




DE CHRISTIANIS APVD IAPONIOS
TRIVMPHIS
SIVE DE GRAVISSIMA IBIDEM CONTRA CHRISTI
FIDEM PERSECVTIONE EXORTA
ANNO M DC XII
VSQ. AD ANNVM M DC XX.



LIBRI QVINQ.
In annos totidem summa cum fide ex annuis Societatis
IESV litteris continua historiæ serie distributi.
AD SERENISSIMOS PRINCIPES
GVLIELMVM PARENTEM,
FERDINANDVM ET MAXIMILIANVM,
S.R.I. SEPTEMVIROS ELECTORES, ALBERTVM
F F F.
COM. PAL. RHENI VTRIVSQ.
BAVAR. DVCES.
Auctore P. Nicolao Trigautio
eiusdem Societatis Sacerdote
Belga Duacensi.
cum
Raderi
AVCTARIO ET ICONIBVS
SADELERIANIS
MONACHII
CIϽ IϽC XXIII.







Cum Priuilegio Summi Pontificis, et Sac Cæsareæ Maiest. ad decennium.





SERENISSIMIS
VTRIVSQVE BAVARIÆ
DVCIBVS
GVILIELMO
Parenti


FERDINANDO ET MAXIMILIANO
ELECTORIBVS, ALBERTO
FFF.

NICOLAVS TRIGAVTIVS
Societatis IESV prosperitatem.



ERENISSIMI PRINCIPES, ancipitis animi mei controuersiam dirempturus, consilio vsus sim salutari necne iudices vos arbitrósque compello, singulorum singularia in me Sinensémque Missionem, cuius mihi procuratio demandata fuerat, merita suo iure grati aliquod animi monumentum à me intra dies paucos Europam æternùm relicturo exigebant. non fui soluendo, nec tamen bonis cedere placuit ingrata

† 2 fuga





fuga mecum obliuionem exportando, consilium sumpsi à necessitate, nolens eos abinuicem separare, quos beneficiorum similitudo coniunxerat, nec sum veritus vt nominum multitudine ab omnibus obruerer, dudum magnitudine à singulis oppressus; neque enim me spes satisfaciendi ad soluendum inuitat, quod esset planè temerarium, neque ab ijs expectatur, quorum animi beneficiorúmque magnitudo ab vno Deo rerum omnium largitore mercedem præstolatur. Quod igitur nunc ago, breuiter expediam, testatum enim volo Christiano orbi vniuerso non tantùm intra ætatis huius limites angustos nimis tantæ largitati, sed toti quoad fieri poterit, posteritatis memoriæ, quàm pronis animis ad Sinensem expeditionem Christianè promouendam Serenissima Bauarorum Ducum familia magnitudinem suam inclinarit, non autem mihi videor superbè nimis de hoc opere meo sperare si posteritatis æternitatísque memoriam illi promisero, quæ enim sunt naturæ suæ firmitate sempiterna, non indigent ad æternitatem artis nostræ condimentis; neque enim sale silicem illines vt ætatem ferat. Huius operis materia detracto eo, quem ars eloquens circumuestire posset ornatu, innata sua

ſua placebit nuditate, nihil igitur mihi arrogo, ſed gratulor, quod materiæ felicitas infelicitatem ingenij ſuppleat, ebúrque mihi ſine colore nitidum, ſine condimento æternum ſubminiſtret, idque faciat, vt ſine pudore poſſit nullo duce ad Magnatum colloquia Muſæáque aſpirare; nec ineptum videri debet expeditionis apud Sinas Chriſtianæ Mœcenates Iaponenſibus triumphis recreare, Iapones coloni ſunt Sinarum, ac tametſi ſuperiores armis videri velint, literarum tamen, religioniſque principia non diffitentur ſe à Sinenſi Continente in Inſulas ſuas deriuaſſe, & ſi fortaſſe nondum ſatis aptum grati animi monumentum appareat, pignus ſit non munus, cuius fide Sinenſia quæ deinde venerint, expectentur. A malo quippe debitore deſperati ſtramen ac fænum, vt in prouerbio eſt, accipiunt creditores, quod de fœtu intelligo, quà lambentis parentis ſui linguam tangit, non quà ſeipſo habet eam quam modò dixi dignitatem.

Sit hoc igitur Sereniſſime GVILHELME extremum abeuntis Trigautij (hoc enim tua patitur humanitas) vale, qui prout ſecum tuam cum muneribus pietatem exportat, ita tibi ſe totum deuouet, dedicátque & præſentem commentarium deuotio-

uotionis suæ testem, pignúsque cum aliud non habeat, pro se relinquit, nec sperat vltra Serenitatem tuam nisi vbi est æterna Serenitas, intueri. Tu verò Serenissime MAXIMILIANE Parentis tui Atlantis Hercules in his lege, quàm non malè munificentiæ tuæ opes operamq; collocaris, cuius ego munificentiæ seriem texerem, nisi me prolixitas terreret, tuáque modestia prohiberet. Sed hoc tamen tacere non possum, quod extrema mea in Germaniam excursione ad superiora beneficia adiunxisti, cum enim officiosè præteritis gratias agerem, etiam futura detulisti, quasi nondum bene factis animi tui magnitudinem expleuisses, cui Deus Opt. Max. postquam speratum dederit incrementum, tum denique tua nobiscum Serenitas exultabit, tandémque aliquando constabit apud Sinas beneficij conscios Bauaricam familiam qua pietate Catholicam fidem in Germania conseruauit, eadem Christianam apud extremos Orientis populos propagasse. Fratri quoque similis fuisti, Serenissime FERDINANDE, neque te à communi familiæ tuæ piáque fidei propagandæ conspiratione subduxisti, sed insigni quoque liberalitate aptissima ad eandem rem promouendam munera è Musæo tuo exemisti,

ſti, maxima cum pietate proteſtatus nihil eſſe tibi ita charum quod non libens ad rem tantam promouendam prodigeres, tibíque ſubtraheres. Sed neque tu, Sereniſſime ALBERTE, deeſſe voluiſti, quin communem voluntatem peculiari tua beneuolentia munificentiáque complecteretis, quibus omnibus, cùm nihil aliud ſit, quod rependere poſſit noſtra tenuitas, niſi duo quæ à nobis exegiſti, conabimur omnes id præſtare, quod à nobis expectatur. Alterum vt frequentibus, quantum locorum interualla permiſerint, rerum noſtrarum euenta, literis commendemus; alterum vt continuis apud Deum precibus, quod noſtri eſt peculiariter iuſtituti, Deum Opt. Max. exoremus, vti Sereniſſimam familiam veſtram ſua manu tueatur, quod vt faciat precor ac precabor, omniúmque nomine labores noſtros, quos Chriſtianæ fidei cauſa ingredimur, ad precum noſtrarum tenuitatem iuuandam in auxilium euoco, vobíſque, Sereniſſimi Principes conſecro dedicóque, Vlyſſiponenſi ex portu cum Socijs ad Sinas ſoluturus. Anno ſalutis M DC XVIII. Menſe April.

Candi-

Candido Lectori S.



ùm ante biennium è Sinensi regno in Europam redux velut salutationis officium Christiana apud Sinas expeditionis commentario peregissem, nunc alium tibi commentarium de Christianis apud Iaponios triumphis valedicturus exhibeo: ac si priorem illum nouitas ex tua beneuolentia commendauit, nibil dubito, alterum hunc planè in omnibus admirabiliorem, renouata nostro seculo aurea nascentis ...ietas non sine applausu euulgabit, prior enim ille expe... ac spes potius futuras, quàm frugem præteritam dedit. hic tametsi videatur præteritos labores euertere, messis est tamen ex multorum annorum labore collecta. Sanguis enim Martyrum (vt est apud Tertullianum) est semen Christianorum. ad Christiana dein fidei apicem martyrio peruenisse, maturam procul dubio segetem esse demonstrat.

Nuper ediderani breuem de rebus Iaponensibus commentarium, principio facto ab Anno M DC IX. toto triennio gesta decurrens nunc insequens quingennium exhibeo; atq; ita habes à me si vtrumq; legeris octennij totius res gestas nulla interruptione sibi mutuo succedentes, quibus addam Deo fauente sequentia ea celeritate quam temporum interualla permittent.

Nobilissimam planè materiam assecutus voluissem ad eam cohonestandam plus otij, plus laboris dare, sed continua per Europam excursiones, & quotidiana negotia hunc & priorem partum inconditiùs effuderunt, possúmq; tibi sanctè affirmare me maluisse minùs politè scribere, quàm te res tantas ignorare, quæ si redolent lucernam, non ideo elaborata prodibunt, sed quia detractis consueto sopori plerumq; suis horis dormitans sæpe mecum hanc scriptionem lucerna concinnauit, sed non ideo fides illi deerit, quia ex nostris annalibus decerpta omnia, duorum quoq;

Iaponiæ

Iaponiæ procuratorum, qui magnam partem omnium spectatores fuerunt, censuram prius subierunt, quàm in tuas manus venirent. Cùm enim Iaponiam nunquam attigerim, non nisi cura hac fidem exoluens, fidem à te ausus sum postulare, lege quæso ac fruere, mirabitúrq; ac dilatabitur cor tuum, cum videris quod nondum sit abbreuiata manus Domini: & plerunq; paria leges ijs, quæ nobis antiquitas reliquit admiranda. Interim nos denuo maria sulcamus, ad stationem nostram redituri cum auxiliari Sociorum manu, qui ad Sinenses Iaponensésq; expeditiones ac triumphos socijs annuentibus accurrunt, vel noua plantaturi, vel vetera exculturi, pro quorum labore minuendo fructúq; augendo Deum Opt. Max. comprecare. Vale ex portu Vlyssiponensi intra dies paucos Sinas meos repetiturus. Mense April. Die 5. Anno Salutis CIↃ IↃC XVIII.



AVCTORITAS
R. P. PROVINCIALIS.

LIBROS quinque de Christianis apud Iaponios triumphis P. NICOLAI TRIGAVTI Societ. nostræ, cum Auctario, à destinatis Societ. nostræ Patribus lectos & approbatos, ego CHRISTOPHORVS GRENZING Societ. IESV per Superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis ex auctoritate R. P. N. G. MVTII VITELLESCI in lucem edi permitto, cui rei fidem manu mea & signo Societatis appresso publicè facio. Monachij XXI. Octobris CIↃ. IↃC. XXII.

CHRISTOPHORVS GRENZING.

INDEX
Capitum Totius Operis.

Liber Primus.

†† 2 Quid

LIBER SECVNDVS.

Ignis

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

Tertia

LIBER QVINTVS.

De

AVCTARIVM

DE

DE CHRISTIANIS APVD IAPONIOS TRIVMPHIS

Anno Domini CIƆ IƆC XII.

LIBER PRIMVS.

QVÆ IAPONENSIS IMPERII FACIES SVB HÆC tempora fuerit.

CAPVT I.



PPRESSAM dudum Iaponenſis Imperij legitimam majeſtatem cum tyranni armis occuparint, Imperatorem eum appellabimus qui Cæſarei iuris prouincias,quas Tenca vocant, inuaſerit. Hoc enim nomine ab Sinis accepto, quam inde in Inſulas(quæ à Solis principio Iepuen Sinis Iaponibus Gitpon vel Nitpon vocantur) coloniam deduxere, imparem licet pari titulo nimis vtrique ſpecioſo cohoneſtarunt.Quod enim Sinis Thienhia,hoc Iaponijs Tenca, quicquid ſub cœlo eſt, ſignificat, ijſdem characteribus expreſſum dum ſcribitur,non eodem ſono dum profertur.

Sinar[illegible] Iapon[illegible] imperij [illegible] pellatio.

Annos iam quatuordecim excluſo Finde Taicoſamæ filio, è quatuor tutoribus vnus imperium ita obtinebat, vt raro Iaponenſium Annalium exemplo in pace continua regionum illarum conſueta volubilitas ſub Imperatore, qui Cubus vel Xogun voluit appellari, quadratam dici poſſit reperiſſe firmitatem: felix planè futurus,

Quis & quomodo imperet.

A

turus, nisi qui potuerat eam quæ sub cœlo est Iaponensium Insularum monarchiam paci subijcere, impia in cœlum ipsum impietatis arma mouisset & magnas in barbaro Principe virtutes perfidiæ labe fædasset. Verum bella illa in cœlum velut sagittæ submissa in eius deinde caput, perturbata Imperij pace, reciderunt, prout huius tragœdiæ principia cum extremis componentes aduertent.

Is igitur, quem neglectis ceteris eius nominibus Imperatorem appellabo iam ab annis aliquot Imperij sui sedem ab vrbe Miacensi in Surungæ regni metropolim Fuchu nomine, dierum ferè sex itinere transtulerat; ibique custodem ærarij sui arcem extruxerat non minus mole suâ visendam quam subita substructione mirabilem, quam credibilem facit ingens mortalium manus à Regulis ac dynastis non ad arma solùm, sed ad Imperatorias etiam moles Cæsareo iure submittenda.

Imperij sedes

In alio regno Musaxi vrbe regia Yendo vocant primogenitus à parente imperij hæres appellatus, & cum nepte Imperatoris Nabunangæ, quæ soror est Taicosamæ vxoris & Findessori Principis amita nobilissimis & ad retinendum Imperium aptissimis nuptijs illigatus regiam vrbem sibi statuit Imperatoris filius & hæres, triduo toto à parente seiunctus in qua dynastarum omnium obsidibus imperium sibi stabilire conatur, & aliquam administrationis publicæ partem capessens dum prope decrepiti parentis senectutem supplet annos iam natus omnino quadraginta, paulatim sese in eius locum magna illius voluntate, cui carus est, inducit & morum similitudine sperat se nō parentis solum imperiū sed eandem quoque felicitatem assecuturum; nec minùs parem in Christianos atrocitatem Iaponensis in eo Ecclesia reformidat.

Verū Taicosamę filius, hæreditatis paternæ iustus, vt sibi videtur cōpetitor, interim dū infidus tutor senescit, annis animisq; sub suæ parentis educatione adoleuit & arce sua tutus ac thesauro parentis terribilis multa molitur, nec impune credit extremum se tyranni diem præstolari. Qui nisi hunc filio suo metum viuens eripuerit, satis credibile est, quod pupillo rapuit eius filio periturum; nam plerique Iaponensium familiarum dynastæ vel Taicosamæ memoriam filio reseruantes vel tutoris perfidiam exosi, vel innata volubilitate

Taicosama filius imperij cōpetitor.

bilitate propensi creduntur facile ad Findeyori partes transituri,
tametsi, vt est astutus senex, vti noluit suæ tyrannidis initia pupilli
sanguine fœdaturus Taicosamæ factionem acrius incitare, ita non
creditur confirmata nunc tot annorum maiestate, hunc hęredi suo,
suæ stirpis hostem tanto periculo legaturus, & vt est rerum sine tu-
multu conficiendarum cupidus & peritus conatur bellicas illius
vires exhausto ærario eneruare, nam anno, qui has in neophytos
turbas proximè præcessit, euocatum tandem adduxit, vt egressus
arce Miacum ad se veniret, vbi maximo apparatu excipiendum in
magnos sumptus iuuenili fastu delusum studio coniecit, perfecit-
que, vt immortalitatem nominis sectatus fanum aggrederetur Vr-
bi Miacensi suburbanum, in quo Daibut (grande simulacrum so-
nat) colendum exponeret, quod fanum à parente Taicosama olim
incredibili sumptu extructum ignes absumpserant, quos filius (si
famæ creditur) duorum triúmue vt vocant millionum profusione
putatur instauraturus. Cuius colossi monstríue ex ære inaurato
magnitudo ita portentosa scribitur, vt ad illius pollicem constrin-
gendum palmus defuerit complectenti è nostris cuidam, à quo
hoc ipsum accepi. Vt iam facilè sit, ex eo pollice monstrum to-
tum dimetiri.

Lusitanorum ex Amacaënsi Sinarum portu (vt propiora tan-
gamus) ad hæc vsque tempora commercium Imperatori gratum
fecerat, quæstus ingens & Sinensium rerum importatio, quam per
suos ideo sperare non poterat, quod Iaponios natura vel exercita-
tione pugnaces, pacis æternæ cupidi Sinæ horreant, animísque ma-
gis quàm mari ab ijs disiunguntur. Imperator igitur tametsi san-
ctissimæ legis nostræ odium intra stomachum iam diu coqueret,
quam ab hoc ipso commercio magnam partem pendêre non ne-
sciebat; plus tamen in eo cupiditas quam religio poterat, nec Nu-
minum suorum venerationem lucro, cui ferè omnia famulantur,
præferebat. Cùm tamen ante annos aliquot orta Iaponios inter
ac Lusitanos Amacaënsis Emporij ciues rixa non sine aliquot Ia-
ponum cæde sedari potuisset, ea non satis fideliter ad Imperatorem
in Iaponiam delata ita eius animum alienauit, vt Lusitanorum one-
rariam, quæ Amacao in Nangasaquiensem Iaponiæ portum de mo-

Lusitanorum commercium cum Iaponijs.

Hollandi Lusitanis commercium eripere conantur.

re appulerat, Arimensi Regulo diripiendam, quæ tamen inter prælium incendio absumpta est, commiserit; ipse verò à Batauis, qui tum primum eò fortè deuenerant, in alienam messem falcem, si possent, iniecturi, quæ à Lusitanis importabantur, postulauit; hi liberalius quàm possent Europęas merces ac Sinenses polliciti optato commercio potiri poterant, si quod liberaliter spoponderant, æquè fideliter exsoluissent. Verùm cum Iaponij à lacticinijs abhorrentes eorum caseos neniásq; respuerent, ipsique ab Sinis nullo in portu admitterentur, nouo tamen negotiandi genere, piraticam in Sinas exercebant, dum ipsi ad insulas Philippinas sua deportarent; vt ea deinde mercimonia Iaponijs, quæ non emerant vili precio venditarent. Sed Philippinarum Insularum Gubernator erepta illis præda effecit, vt promissis exciderent & apud Iaponios, qua apud ceteras gentes fide laborarent.

Lusitanis cōmercium restitutum.

Biennium totum Lusitanorum negotiatio stiterat, ne sponte redeuntes commercium suum iniquis legibus restaurarent, quod sperabant æquissimis breui repetendum. Cùm enim Imperatorem à Batauis delusum facti pœnituisset, missa ad Amacaenses è Societate nostra, legatione, quod omnes cupiebant facilè commercium impetrauit. Itaque nauigatio illa solitum cursum tenet: quem ne interrumperet atrocissima in Neophytos indigenas procella, ab Europæis tamen illius vineæ cultoribus violentas continuit manus, & cum suorum sanguinem funderet, externorum, qui suis auctores fuerant, proscriptione contentus fuit.

Hæreticorum in Iaponiam nauigatio neophytis periculosa.

Nec tamen reuocatis in antiqua commercia Lusitanis Bataui exclusi sunt, qui è Firandensi portu commercij sui statione bellicum subinde apparatum ad suos in Malucas Insulas exportant potiùs quàm in Iaponiam promissas Imperatori merces important. Et quamuis errorum suorum venena neophytis adhuc propinare neglexerint, lucris suis acriter intenti, non omittunt tamen vbi possunt Euangelij cursum, qui Euangelici videri volunt, impedire, & impudentibus mendacijs illius propagatores in odium vocare, videri vt meritò possint malle Idololatriæ cultum, quàm Ecclesiæ Romanæ fidem propagari, nam ipsi de sua propaganda inter gentiles parum laborant. Verendum tamen est, si diutius ea nauigatio

tio tenuerit, fore vt neophytos suis fraudibus in errorem inducant, quod tamen antehac inter tot nauigationes nusquam tentasse cognouimus. Nam tametsi omnia retro secula repetens hæresim nullam reperies quæ Christo gentem aliquam Apostolico instituto pepererit; in multis tamen iam Christiana luce perfusis suas ipsi tenebras obduxerunt.

QVIS ECCLESIÆ IAPONENSIS STATVS *sub huius procellæ initia.*

CAPVT II.

HÆc erat ferè Iaponensis imperij facies, si politicam illius administrationem spectaueris, fidei propagationi, quæ pacem amat, non inepta, ideo vix vllo tempore post sexaginta retro annos, ex quo coli cœpit hoc nouale fertilius & culturæ fuerat accommodatius. Nam si eius amplitudinem spectes, vix erat vllus illarum Insularum angulus, quò non ipsa fides penetrasset; vbique neophyti numerabantur, nec satis certò numerus iniri poterat, posteaquam ita sese dispersisset. Regna integra iam eo propendebant, vt vnum Christum breui veneratura viderentur si diuturnior quies aspirasset, aut cultorum penuria paratam segetem nusquam fefellisset. Vnus Arimensis dynastæ ager multos iam annos habitatorem nullum nouerat idola venerantem. Omnis inde superstitio, omnis profana religio exulabat, solius religionis Christianæ vexilla Cruces assurgebant, nulli simulacro fanum, vni Deo templa consecrabantur. Oppidum Nangasaquiense Arimæ simillimum videri poterat, vrbs Europæ Christianis insignita ornamentis. Vbique templa erigebantur, pietatis instituta, sacri cætus, Xenodochia, nosocomia, pauperum ægrorúmque remedijs parabantur. Si sacri ieiuniorum dies recurrebant, multa ieiunatio, flagellatio, comploratio; si festiui dies incidebant, frequentia in templis quotannis seipsa frequentior, maior sacrorum rituum maiestas, apparatus, ornamenta. Orationi studebatur, etiam illi, quæ in horas quadraginta continuo cursu perdurat. Denique Iaponensis Ecclesia eam faciem induebat, vt non enasci primùm, sed iam in ætatis flore iuuenescere videretur.

Arimæ regni omnes Christiani.

Magni Ecclesiæ Iaponensis progressus.

Iaponenses ipsi Ecclesiæ illius administri fiebant.

retur. Erat non infrequens Societatis nostræ gymnasium alumnorum Iaponensium iam diu seminarium, è quo traduces plantæ in Societatem nostram transferebantur, nonnulli etiam sacris Ordinibus initiabantur, & parochorum munera obire incipiebant; ij omnes etiam ante religionis ingressum, aut sacros ordines, Societatis nostræ Sacerdotibus adiuncti Catechistarum officio fungebantur eo fructu quem gentis solertia rebus suis ac nostris instructa suóque sermone loquens promittebat. Neophytorum autem priuatus erat in religionis exercitationibus ardor talis, vt Europæos nostros æquare sæpe primitiuámque Ecclesiam iudicares. Hæc annales nostri multis produnt, & quæ his commentarijs dicenda sunt fortiùs etiam confirmabunt. Non enim potuit incredibile in retinenda religione studium ab alio fonte quam ab ipsa religione accuratè exculta proficisci. Numerus porro neophytorum etsi aliquando ad nonnulla centena millia excreuisse scribatur, hoc tamen ipso tempore quo furere cœpit Tyrannus non admodum trecenta adultorum millia creditur superasse, aliquot enim anni ob peculiares in priuatis regnis procellas solito steriliores Christianum gregem paulatim non parùm imminuebant.

Numerus Christianorum adultorum in Iaponia.

Societas Iesu prima & diu sola Ecclesiã Iaponensem studiosè excolit.

Hanc vineam prima & diu sola excoluit annos iam ferè septuaginta nostra societas cuius alumnus S. Franciscus Xauerius lumen illud Orientis primus ab orbe condito, quod constet, veri Numinis cognitionem in eas Insulas induxit, cuius Socij exemplo incitati semel inchoatum opus nunquam deseruerũt, & hoc ipso tempore centũ & viginti, pusillus grex ad frugum amplitudinem, hanc vineam excolebant in triginta quinque Societatis nostræ domicilia distributi, & magnam partem tota Iaponia sparsi, quo sese latius operæ fructus laboresque diffunderent. Horum omnium continui labores satis ex ipsa occupatione colliguntur, dum alij neophytos fouent, alij Ethnicos sollicitant, omnes ad omnia collaborant.

Ad eandem alij religiosorum Ordines excolendam aduenerunt.

Ad hunc Societatis nostræ manipulum ante annos paucos accesserant ex alijs religiosorum Ordinum familijs auxiliares socij nostri laboris æmuli, & coronæ canditati. Et hoc ipso tempore è D. Augustini familia quatuor, è D. Dominici nouem, è D. Francisci totidem cum laicis quinque numerabantur. Hi omnes in suas quo-

quoque ſedes diſtributi ſinguli pro viribus Spartam ſuam ornabant, ſuíque tenaces inſtituti non ſermone magis quam exemplo progreſſus faciebant. Quid his omnibus acciderit in communi Eccleſiæ illius procella narrabitur cum locus admonebit.

Huius Eccleſiæ Paſtor è noſtra Societate Luſitanus Ludouicus à Cerqueira clauum tenebat, magna ſapientiæ laude venerabilis, nec gregi ſolùm ſuo charus ſed ethnicis quoque dynaſtis acceptus, à quibus vel literis vel internuncijs officiosè colebatur. Is tametſi ſedem ſuam Nangaſaquij in Luſitani commercij emporio ſtatuiſſet, excurrebat tamen ad inſpiciendum gregem ſuum quantum tempora patiebantur aut neceſſitas exigebat. Tanti paſtoris vigilantia inter aſperrima huius turbinis tempora gregi ſuo defuit. Nam importunè ſublatus è viuis, vt ſuo loco dicetur, ſponſam ſuam in tantis locorum interuallis hodieque viduam dereliquit. *Epiſco[...] pone[...] temp[...]*

Et quidem etſi à primis huius Eccleſiæ incunabulis nunquam defuit, qui naſcentem præfocare niteretur: nulla tamen alia tempeſtas maior, nulla communior acriùs latiúsue omnes illius partes vno tempore peruaſit, quàm hæc ipſa, ad quam modò narrandam accingimur, cuius atrocitate nolim ita percelli quemquam, vt arbitretur ex ea tempeſtate illi Eccleſiæ naufragium imminere; non aliàs vnquam ſperari certiùs potuit magnos illius fore prouentus, qui etiam alieno tempore pullulant, magnos affulgere breui ſplendores, qui medijs in tenebris interlucent. *Perſe[...] hac [...] ſtian[...] ximæ [...] liquiſ[...] bus ſ[...]*

DVPLICI CRVCIS PRÆSAGIO IMMINENTIA *mala portenduntur.*

CAPVT III.

NOn rarò præteritis temporibus contigit, vt peculiari Dei beneficio rerum futurarum pręſagia pręirent, ne incauti præſentib[9] malis obruerentur, qui pręmoniti futura pręuidiſſent; id iam ſecundo in Iaponia legimus eueniſſe, quoties à ſupremo illius Imperatore in Eccleſiã procella deſæuijt. Nã ſub annũ ſalutis noſtræ nonageſimũ antequã Taicoſama ſecũdo fureret, & Euãgelij pręcones iterũ terris ſuis exterminari iuſſiſſet in Ariminenſi agro, ab illi[9] metropoli *Crux alterius perſecutionis 1590. præſagium.*

poli Arima leucis tribus ad pagum, cui nomen Obama, prodigiosa Crux intra truncum arboris apparuit Crucis imminentis in quam acti sunt aliquot & tyrannidis proximè venturæ præsagium. Ea multis clara miraculis hodieque asseruatur. Anno etiam qui hanc Ecclesiæ Iaponensis perturbationem proximè præcessit, aliæ duæ visæ sunt illius indices non obscuræ, quæ quoniam ad rem quam modò tractamus spectant, priore omissa, maximè quod illis non erit ab similis narratio, quomodo sese prodiderint edicamus.

Cori regio est, in Omuræ terris sita, longa leucam vnam, dimidiatam lata, pagos habet aliquot, è quibus vnum incolit colonus quidam Neophytus Fabianum vocant, is agrum habebat tritici feracem in pago Ixibaxiri, eo in agro arbor erat quædam, quam Iapones Caquinoqui, Lusitani ficulneam Iaponensem appellant, ex eo quod fructus habeat molles, qui etiam passi ad instar ficuum conseruantur; truncus tamen prædurus est, & multum à ficulnea nostra differt; biennium iam arbor infrugifera erat, eam Fabianus amputat, trunco ad domus columnam, ramis ad focum vsurus, truncus ad solem expositus annum integrum arescebat, tandem octauo Idus Decembris anno 1611. ascia truncum dedolans ecce tibi aduertit in vno ex decussis fragmentis esse crucem atri coloris expressam in trunco suapte natura candido. Eo conspecto filium accersit. Vide ait, Paule, sit ista crux necne. Crux est planè, ait, ac, prodigio similis. Attoniti ambo agere cæperunt quid ei facerent, filius parenti suggessit vt eam taciti asseruarent, non videri eo tempore commodum rem istam euulgare, futurum aliquando, vt eam securiùs proderent.

Hoc ipso tempore in ædes Fabiani aduenit Laurentius eius germanus, cuius etiam testimonio crux ea supra naturæ vires visa, eóque auctore quod indecens esse diceret, Crucem Fabianus honestiore loco asseruauit. Biduum crux ibi resedit priusquam euulgaretur, sed tandem vxoris Pauli indicio proditur, postridie quippe Michaeli Neophyto Fabiani nurus secretò quidem sed tamen narrat crucem admirabilem in arboris fragmento repertam, ac simul *Prodigium euulgatur.* eam exhibet. Et huic etiam visa est præter naturæ ordinem mirabiliter expressa, erat enim in intimo trunco omnibus suis partibus abso-

abſoluta, longa palmum vnum, brachijs vtrinque cum titulo Crucis ſuperpoſito iuſta ſymmetria diſtributis, craſſities vbique ſibi ſimilis, ad quam effingendam ars humana nulla ratione poterat intimum truncum penetrare. Eam Michael ad pagi ſui Neophytos deferendam petijt, ſed non impetrauit. Abiens ſecretum muliebre Neophyto quem primum iuuenit, narrat, is tanta cupiditate viſendæ Crucis exarſit, vt eam totam noctem inſomnem propè traduxerit. Ergo cum primum illuxit in Fabiani domum aduolat, crucem vt vidit, ſtupuit, adorauit, & ad parentem ſuam ægram ea lege deferendam impetrauit, vt mox reſtitueret. Hinc cum ea res vt fit, erupiſſet, ad Crucem viſendam vniuerſi Neophyti concurrere. Magnus fuit omnium ſtupor, magna veneratio, & quidem is, qui pagi princeps habebatur, tanta eſt admiratione defixus, vt affirmaret, tametſi aliud nihil in vniuerſa lege Chriſtiana reperiret, quod in ea veram eſſe ſalutem confirmaret, id tamen vnum videri ſibi, eſſe ad perſuadendum ſatis, maximè poſtquam neophyto ibidem quartana laboranti ſanitatem reſtituit, aqua poſt huius ligni fruſtulum iniectum epota.

His auditis cœpit Fabianus quem repererat theſaurum precioſius æſtimare, crucemque iam ſibi ſuam repoſcebat. Interim res ad vnum è noſtris in Fudoiama ſede quinque leucarum itinere commorantem defertur à neophytis aſſerentibus rem ſacram apud Laicum hominem minus decenter aſſeruari. Aberat domo Sacerdos noſter P. Alfonſus Lucena qui diu Omuræ rei præfuerat Chriſtianæ, ſed ſolus qui aderat frater noſter accurrit, inuenitque iam Crucem Fabiano reſtitutam, & publicè vt ab omnibus coli poſſet, expoſitam. Voluit ſocius Crucem Sacerdoti noſtro deferre, ſed nullis precibus impetrauit, cauſabatur eam rem ita euulgatam, vt ſine dubio ad dynaſtam breui eſſet peruentura; vereri ſe, ſi eam extra illius fines regulo inconſulto tranſmitteret, fore vt ab eo plecteretur, aliáque addebat multa, quæ ſua homini pietas ad retinendam Crucem ſuam ſuggerebat. Ergo noſter ſine Cruce, ſed non ſine ſtupore, domum redijt. Triduum aliud crux ea tenuit in domo Fabiani tanto neophytorum concurſu, vt pœne obrueretur, neque enim è Cori ſolùm & Omura, ſed è conterminis quoque vicis

Ab vno è noſtris videtur.

B trium

trium quatuórue leucarum itinere concurrebant, omnium eadem erat admiratio, eadem in cruce colenda contentio nec nulli Fabianum ipsum ad crucis ornatum Oriza, nummis, oleóque ad concinnandam lucernam sponte donabant.

Dynastæ soror Marina crucem accipit. Concursus iste tenuit à Sabbatho in feriam tertiam, tum enim matutinis horis advenit à nobili matrona Marina Omurandoni dynastę sorore, religiosáq; fœmina & huius Ecclesiæ columna, nuncius ad Fabianum, vt eam Crucem extemplo ad se deferret; detulit eam Paulus, quod parens ætate prohiberetur. Non abest inde Omura leucam totam, tantus tamen fuit excitorum fama concursus, quibus ex itinere satisfacere cogebatur, vt non nisi nocturnis horis aduenerit. Crucem nobilis matrona magnò cultu excepit & vna cum Neophytis qui plurimi adfuere venerata magnificè asseruauit. Ex Crucis veneratione truncus ipse in precio haberi cœpit, maximè posteaquam accepissent eo cõtrito dilutóq; plurimos tertianas aut quartanas excussisse. *Crescit crucis veneratio.* Vnde qui frustulũ eius fragmenti, in quo Crux erat, obtinere non potuerunt, ad ipsum truncum qui etiamtum humi jacebat refugerunt, quem ita conciderunt, vt exigua mora, qui aduenicbant, ne truncũ quidem inuenirent, qui ad radices conuersi eas penitus extirparunt, vsq; adeo vt eò nostri sacerdotes duo cùm ex itinere diuertissent optassentq; illius arboris frustulũ, qui missus ad locũ fuerat, ne radicum quidẽ fibras reperiri nunciarit, tanta fuerat illorum neophytorum pietatis auiditas. Nec mirum ita neophytos exarsisse, cum ipsi ethnici & inanium Deorum sacrificuli, plus veritati quàm odio tribuentes, faterentur eam Crucem rem videri humana maiorem planeq; cœlestem. Et subinde accidit res noua quæ admirationem auxit: nam cum viri primarij ædes à dæmone nocturnis spectris ita infestarentur, vt nullũ in vlla re præsidium inueniret, eam crucem sibi tradi exorauit. Noctem vnam Cruce potitus est, nec vltra dæmones eas ædes infestarunt.

Longiùs deinde sese Crucis fama sensim diffundebat, & iam in opidum Nangasaqui peruenerat, & quoniam ea crux pro miraculo vulgo habebatur & colebatur, suarum partium esse iudicauit Episcopus eam rem excutere ac rite statuere an pro miraculo haberi posset & coli. Crux igitur ad eum delata est, aduenere testes ij, qui

qui nouerant, vnde prodijsset, & quomodo seipsam prodidisset. E testibus iuratis excussa res accuratè, deinde cum doctis ac pijs viris deliberatione habita ex præscripto sacrosancti Concilij Tridentini pronunciauit, eam crucem pro vero miraculo haberi colique posse ac debere. Et quia vrbani quoque neophyti eius visendæ & colendæ desiderio flagrabant, Antistiti visum est externo aliquo apparatu prodigium cæleste meritò prosequendum. Ergo solemni ritu sacris de Cruce votiuis operatum est, è superiore loco sermo habitus frequenti cócione, quo sermone, quî prodijsset, quibus effectis eam deinde Dominus admirabiliter cohonestasset cum fide narrabatur; tũ circa templi porticus supplicantiũ pompa explicata, qua in pompa Præpositus Prouincialis fragmentũ illud admirabili Cruce insignitũ, decentiq; ornatu compositũ sub conopæo gestabat, ipsum conopæum vrbis primores deferebant, comitabatur Episcopus & socij quotquot aderant omnes. Magna fuit concurrentium ad spectaculum multitudo, quibus vt satisfieret totam eam diem in ara gestatoria spectanda Crux & colenda exposita fuit.

Episcopus miraculum examinat & probat.

Alia crux etiam Nangasaqui reperta in suburbanis nostræ Societatis ædibus quas ab omnibus Sanctis appellant. Templum ibi primum est inter omnia, quæ in illo deinde opido plurima assurrexerunt, in illarum ædium interiore atrio Iaponensis, vt superior, ficulnea visebatur, è cuius trunco rami duo velut brachia protendebantur. Iam biennium ramorum alter tres palmos crassus nullos fructus dabat, & vitem proximam vmbra sua infrugiferam reddiderat, ergo ramus ille suæ ac alienæ sterilitatis reus amputatur, tres fere menses iacuit inglorius, donec sexta quadam feria, altero die mensis Martij anni 1612. famulus domesticus lignis indigens securim arripuit & altero ictu tenue fragmentum exilit, digiti crassitudine. Findenti nec aduertenti famulo aderat ex alumnis vnus, qui eo in trunco candido atram crucem conspexit, sed minus distinctam adhuc & expressam. Ergo inclamans famulum admonet, vt tantisper abstineat, manum ictúmque suspendat, ipse fragmentum arripit in eóque crucem bipartitam videt, præcipua pars in crassiore trunco, altera in aduerso fragmento videbatur, securis enim Crucem mediam in longum diffiderat.

Alia crux reperitur.

Ad eius conspectum & alumni clamorem domestici omnes accurrunt, ac metu quodam sacróque horrore correpti vtrumque fragmentum in quo Cruces erant ad patrem deferunt rei ordinem enarrantes. Visa ea exultauit, & feriam sextam notans aduertit se quoque ipsa die Sacris de Domini passione votiuis litasse. Illius crucis hæc erat figura. In ipso trunco non planè interiore sed infra superficiem digiti latitudine visebatur. Et mirum videri poterat, vt eam Crucem tenuem & exilem, quanta fere est chartæ quater quinquiesúe complicatæ crassities, securis inter findendum nihil læserit, sed eam ita diffiderit ac si compaginatas tabulas dissoluisset, nulla neque in longum, neque in transuersum laceratione. Eius longitudo erat quatuor fere digitorum transuersorum brachia crucis & ipse titulus iustam habebant symmetriam, & omnium partium eadem erat crassities idem color, verum in titulo crucis nullus character videbatur.

Qualis fuerit.

His omnibus rite perpensis nihil dubitauit noster esse prodigio parem, idemque quotquot eam videre iudicarunt. Idem quoque antistes re vt prius excussa pronunciauit, quoniam in hanc quoque eadem concurrebant quibus conficiebatur, eam Crucem naturæ artisque vires superare. Atque in hunc maximè modum duæ cruces admirabiliter hoc tempore prodierunt, prior eo in loco vbi annis superioribus ædes inuentę Cruci sacra visebatur, altera in ęde huius Ecclesiæ prima & antiquissima, vtraque in ficulnea eáque infrugifera vt maiorem pietatis fructum daret. Quid his prodigijs portenderetur, tum quidem ignorabatur, licet non dubijs indicijs timebatur, qui tamen hos de atroci huius Ecclesiæ calamitate commentarios legerit, nihil vt arbitror dubitabit, quin ista Crucis Christi demonstratio imminentem procellam & Christi Crucis imitationem præmonstrarit. Tum tamen orabant omnes vt in bonum monstra verterentur, quod vti esse solet Deo in bonum mala vertente, ita futurum confidimus, vt crux ipsa Martyrum sanguine irrigata ramos suos magno cum fructu extendat ac propaget.

Quid portenderint.

REMO-

REMOTIORES TOTIVS MALI *causæ proponuntur.*

CAPVT IV.

NOn subita fuit huius ruinæ vel inexpectata calamitas, cùm enim iam ab ipso regnandi exordio propensissimus in simulacrorum cultum Imperator animum sæpe suum prodidisset, minimè mirandum videri debet, si nouis deinde conatibus aliquot impulsus in barathrum ruit, quo nemine impellente prius incumbebat. Nam cum toto suo imperio, ac imperij tempore interdictum edicto publico esset nobilitati ne Christianis sacris nomen daret, facilè apparebat eum vulgus reliquum non mitius tractaturum si se id consequi sperasset, hoc tamen assequi conabatur, vt vilis abiectáque religio passim haberetur, à qua nobilitas, permissa plebi, arceretur: quo suo edicto etsi nō id omne consequebatur, quod maximè cupiebat, cùm plus posset ipsa veritas ac salutis cura, quàm humanæ apud multos rationes, id tamen efficiebat, vt impetu minore præceps antea in Euangelium cursus laberetur.

Ab initio Christiana fides aduersatur imperator.

Huius igitur mali causæ plures nec eiusdem omnes rationis fuerunt, aliæ remotiores Imperatoris animum sensim alienarunt, aliæ propiores vltimo impetu deturbarunt, illæ ab regnandi libidine petitæ in suspicionem induxerunt, hæ ab odio religionis conceptæ prima sæuientium tyrannorum tempora reuexerunt. Hoc loco prioris generis causas persequar, ac subinde posteriores, prout historiæ series admonebit.

Huius mali causa duplices.

Tenera res est regnantium auctoritas, quæ tangi se non sinit, sed tyrannorum suspicax est conditio, quæ solis vmbris territatur. Cùm igitur occupata per nefas imperij maiestate, satis habeat intra viscera quod metuat Imperator, nihil mirum si externam potentiam multarum gentium domitricem sibi proximam reformidet. Non ignorabat Hispanos Reges deductis per tot maria classibus ortum & occasum victorijs suis tremefecisse, Indicos vbique portus ferè domitos in continentem etiam penetrasse, Molucas Insulas, Malacam arcem, Philippinas item Insulas occupatas, quæ postremę ita Iaponiæ imminent, vt nauigantium oculis videri ac manibus

Prioris generis causa suspicio de Hispanis.

prope tangi posse videantur, imperuia quippe prioribus seculis maria huic nostro ita patuerunt ac paruerunt, vt nationes olim inter se vix ipsa fama cognitæ, iam sibi mutuo contiguæ frequenti commercio dici possint.

Has suspicionum vmbras quas Lusitanicus in oriente ipso splēdor excitauit, ab Insulis Philippinis Hispani dum alia cogitant imprudentes condensarunt. Nondum extincta memoria erat onerariæ cuiusdam quæ Taicosamæ præcessoris tempore ad Iaponiæ littora in regno Tosa perierat, cum è Philippinis in Hispaniam nouam cursum de more dirigens adnauigaret. Cum enim ad diripiendas naufragij reliquias iussu Imperatoris è primaria nobilitate quidam accurrisset, Yemondono dicebatur, inter colloquendum in hydrographicam Nauarchi tabulam incidit, in qua ostendi sibi petijt quos in Indijs portus quæ regna obtinerent. Attonitus imperij magnitudine, ecquibus ait artibus ab Europa ipsa tot potuistis regna occupare, quibus viribus potestis nunc tueri? Nauarchus de rebus suis magis quàm de futura suspicione solicitus, vt raptori metum incuteret, respondit Hispanos cum vniuerso terrarum orbe nauigationibus suis penetrato commercia miscere, si commerciorum fides seruaretur, nihil moliri, si ius gentium violaretur, vltores iniuriarum hæc omnia occupasse; hoc enim tum agebat Nauarchus vt bene haberetur. Ad hæc institit alter; in hunc igitur finem præmittitis legis vestræ propagatores, vt similitudine religionis illectos ad res vestras habeatis comparatos? planè, inquit Nauarchus, qui vt metum augeret, calumniam est commentus. Et quoniam Gentilium animi è suis ceteros metientes adduci non possunt, vt credant, reperiri hodie mortales ea in externos bonitate præditos, vt ad eorum salutem procurandam non dubitent nullo fructu tot labores, nulla spe tot pericula suscipere; procliue fuit alteri credere quod ipse, qui, vt verum esset, silere debuerat, sponte fatebatur. Quod malè audiuit, peius etiam vt fieri solet retulit, effecitque vt ab Imperatore tum, & à multis hodieque crederetur Christianæ fidei propagatores, Hispanicæ Monarchiæ prodromos aduenire. Licet enim Iapones ab insita animi superbia nationes exteras despicere potius quàm timere ostendant, visa tamen tanta Christianorum

Nauarchus Hispanus imprudens causa huius suspicionis.

rum

rum concordia & in ſuſcepta religione conſtantia, vt pro eius defenſione fortunas omnes vitámque ſuam facilè contemnant, haud parùm metuunt, ne ſi maiori numero ſint, vires animósque coniungant, & Hiſpanorum auxilio aliquid contra regnum moliantur. Nec deſunt in ſectis ſuis huius rei innumera exempla eorum, qui ſub ſpecie falſæ religionis ſuæ monarchiæ ſæpe quietem perturbarunt, idque paſſim ab Hiſpanis in India factitatum eſſe habent perſuaſum, idemque in Iaponiam meditari. Nec ea res vnquam huic Imperatori eripi ex animo ita potuit, vt non recentiore caſu non abſimili denuo pullularit.

Ex Hiſpania noua venerat in Iaponiam Hiſpanus quidam oneraria vectus non maxima, is nauigandi ſtudio portus aliquot vicinos bolide explorat, vt ſciret ecquæ ſtatio tuta nauibus, quas ingentes venti eo ſæpe deferunt perituras, occurreret. Ea res publicè bonáque fide facta à Nauarcho & à Iaponijs abſque ſuſpicione conſpecta permiſſaque eſt. Aderant tum in Regia Hollandi aliquot ex antiquiore naufragio iam Iaponenſis linguæ vtcunque periti & inter eos nauarchus eorum Anglus natione, qui iam aliquot annorum mora magnatibus notus erat. Hi omnes eo quod in Hiſpanos odio ſecum vehunt perciti, & in Catholicam religionem maleuolentia incitati & Hiſpanos & Euangelij præcones apud ipſum Imperatorē in inuidiā vocare potuerūt, docebant enim hanc explorandi portus alienos rationem pro hoſtili haberi apud Europæos. Hiſpanos gentem eſſe vagam, imperij cupidam & alienorum regnorum domitricem, quaſi verò temperantiores eſſent Hollandi qui legitimū regis ſui jugum excutientes non iuſtis bellis ſed piratica infeſtatione in gentes omnes nullo delectu graſſantur. Addebant, Religioſos illos Impoſtores mentitę pietatis fuco regna perturbare & Hiſpanis noua regna quęrentibus viā parare, prout iā alijs in locis abundè præſtiterāt. Quam ob rē affirmabant in Europa ipſa regnis pelli ab ijs principibus qui acutius eos explorantes artes huiuſmodi deprehenderāt. Ita ſe apud ſuos, ita alios factitaſſe. Adeò hæretici ſuum in Religioſos viros odiū in extremos orbis fines deportant. Quibus apud Europæos ea fides habetur, quæ rebellibus & hęreticis haberi debet. Ethnici, q̄ hęc neſciūt, in fraudē inducti plura

Hollandi.

Hollandi Religioſos apud Imperatorem calumniantur.

etiam

etiam quam dicebantur crediderunt. Et Imperator, qui hæc audierat, continere se non potuit, quin paullò ante huius persecutionis initium palam diceret. Si reges in Europa principesue suis illos regnis & prouincijs exterminant, quid est cur iniurius in illos videar, si eos eiecero aduenas qui à suis non feruntur. Quibus sermonibus incitatus Imperij hæres, voluit extemplo de Neophytis inquirere, eósque ab regia vna cum suis pastoribus ablegare, arbitratus se hac in re parenti obsecuturum; fecissetque, nisi ex Iaponiæ moderatoribus vnus natura pacatior eum à præueniendo in re tanti momenti parente deterruisset, ne parentem docere velle videretur, & pro gratia offensionem reportaret. Exinde igitur quoties de religione coram Imperatore sermo inciderat, non deerant æmuli qui flammis oleum adderent, & ipse non rarò maleuolentiæ suæ indices parum beneuola verba laxabat.

Non parum etiam alienauit Imperatoris animum illa, quam initio attigi, Amacaensis Iaponum cum Lusitanis rixa in qua cum aliquot perijssent, & in his Arimensi regulo quidam in paucis carus, qui rixæ superfuerant Lusitanorum causam exasperantes, suam eleuantes effecerunt vt ab Imperatore, Arimensi dynastæ vindicta demandaretur, qua præfecti mortem & onerariæ deprædationem exigebat, verum cum resistentibus acriter Lusitanis Iaponum strages opinione maior edita fuisset, & oneraria, quæ fortuitum incendium initio corripuerat, iniecto in extrema præfecti desperatione in puluerē tormentarium igne cum maiori oppugnantium clade tota dissiluisset, vindicta ipsa prope maioris offensionis quam rixa causam dedit. Quæ cum omnia fierent à Christianis, facilè deinde in legem ipsam inuidia facti apud hominem simulacris addictum vertebatur. Sed hæ omnes remotiorem malo causam attulerunt, nunc eam quæ initium proxima tumultui dedit commemoremus.

GRAVIOR PROPIORQVE HVIVS TEMpestatis causa commemoratur.

CAPVT V.

Proxima causa inchoandæ persecutionis.

TAmetsi non defuerunt huius tyrannidis augendæ, producendæque temporis lapsu causæ vel prætextus, qui suo loco non omit-

omittentur, hæc tamen quæ nunc tractatur proximam materiam tyranno iam sensim ac dudum comparato tyrannidis obtulit inchoandæ. Ex duorum neophytorum culpâ ipsi religioni sanctissimæ inuidiam immeritò sanè comparante arripitur occasio. Tanti refert integritatem vitæ vnà cum sanctissimis legibus copulare.

Ioannes Arimensis dynasta ille ipse qui olim Protasius vocabatur, etsi jam diu in Christi militiam adscriptus, & eius strenuus toto Arimensi agro propagator, non bene domitis tamen animi perturbationibus, cùm paulatim vita licentiore declinare cœpisset, post admissam Imperatoris proneptem in pellicē filij potius quàm coniugem, quippe qui prius Ecclesiasticis ritibus legitimo, quod per nefas reiecit coniugio esset illigatus, post onerariam non sine omnium offensione oppugnatam, cum jam sibi videretur his officijs Imperatorem sibi demeruisse, vt erat animo ad magna procliui, nec facile partis contentus in fortuna conquiesceret, nurûs fauore fretus ad altiora cœpit aspirare. Magnam regni proximi Figen portionem maiores ipsius ante possederant, eam sibi recuperandam suscepit.

Ioannis Arimandoni mores.

Agebat in aula Neophytus quidam Paulus Daisachi nomine Conzuquedono (quo nemo erat Imperatori carior) multum familiaris & Ioanni iam dudum notus. Is aptus visus est, qui, quod optabat, heri fauore & largitionibus obtineret. Paulus erat astutus & cupidus, vt esse solet eiusmodi harpyiarum Reipub. genus, & occasionem non negligendam lætus arripuit, & promissis largus Arimensis reguli liberalitatem inuitauit. Multa igitur accipit, quæ distribuat, sibi vni omnia seruaturus. Protracta res est in annum & eo amplius cum interim Paulus nouis quotidie largitionibus, Ioannes sola spe lactaretur. Denique cum sola spes sine re emunctos iam loculos siccaret, fingit Paulus ab Imperatore quæ promiserat impetrata, & vt efficaciùs falleret ipsius diplomatis exemplar, quod prototypo carebat, mittit ad Ioannem, diploma ipsum cui nescio quid sigillorum adhuc deerat, breui destinaturus. Quis non in fraudem induceretur? Ioannes euentu lætus omnia iam tuta credens nullam fraudem suspicabatur, donec ipsa mora, diuturnum Pauli silentium, largitionum nouarum postulatio suspicionem

Daisachi Paulus Ioannem fallit.

euocauit. Cum nihil certi per literas ageretur, ipse ad Paulum ipsum ire statuit, vel negocium præsentia sua confecturus, vel fraudem detecturus. Et quia fauorem in aula sibi præ ceteris aulico conciliare oportet, Imperatoris proneptem vna cum filio secum, eorum quæ texebantur nescius abducebat.

Michael enim filius regnandi cupiditate vitio paterno per se ipse laborans & pellicis suæ hortationibus impulsus, de excludendo parente interim dum noua regna meditatur, secreta dudum cum pellice consilia miscuerat. *Ioannes in regiam vadit.* Querebantur Iaponiæ morem à parente suo damno negligi (solent enim cum iam inclinat ætas parentes filijs sua dominia tradere, ac se ipsos in exigua illorum parte contrahere) iam sibi annorum satis, parenti nimis ad imperandum, indignum esse proneptem imperatoris post nuptias priuatam degere. Ad hæc timebat ne fortunas suas cum filijs quos ex secunda vxore iusta susceperat, partiretur, vnde parentem inter ac filium, pellice vbi poterat omnia turbante, iurgia grauiora nuper intercesserant, ac licet externis beneuolentiæ signis, quod Iapones exactè possunt, simultas omnis tegeretur, in filio tamen iam alia machinante manebat alta mente repostum, quod parentis in animo iam amor extinxerat. Cum igitur in aulam euntem viderent, consiliorum suorum tempus aduenisse crediderunt.

Iam ventum erat in Fuximi dierum sex itinere à regia, ibi consilio inter se inito parenti suadent vti subsistat, præiturum cum vxore filium qui negotij statum exploret ac moneat, ipsi enim rem suam absente parente tentare tutius arbitrabantur, ipse rem parum nitidam exponere multorum censuræ non nisi coactus statuerat. Ita proditus parens filium dimittit, eique dat in mandatis vti Paulum vrgeat, eúmque si tergiuersetur, minetur se ad Conzuquedonum delaturum vel proditæ fidei, vel dilatæ. *Michael præmittitur in regiam.* Michael qui piscari statuerat in perturbato negotiorum parentis stagno, impigrè facit omnia & plus etiam aliquanto quàm iubebatur. Cùm interim pellex apud imperatorem & in palatio multa de Arimensi dynasta quereretur, ab eo se parum coli, priuatam viuere, nihil sibi prodesse quod illius sit proneptis quem ille vereri debuerat.

Pau-

Paulus igitur perfrictè constans quæ hactenus scripserat intrepidè confirmat, sed cum adhuc moras necteret, ad herum rem Michael totam defert, quid à parente in mandatis habeat exponit, ille rei nouitate attonitus & fœditate offensus timens, ne & ipse in ea re suspectus haberetur, rem totam defert ad Imperatorem, quo iubente Paulus in vincula conijcitur. Ioannes in regiam ad dicendam causam euocatur. Non defuit interim vtrique tempus ad omnia ociosè miscenda, filius enim cum pellice & præcipuè Nangasaquiensis Gubernator Safioye totius tragediæ incentor multa in Ioannem siue vera siue falsa acriter criminantur. Nominatur huius caussæ, quæ atrox visa est Iudex senatus regius, cuius sententia re discussa Paulus impostor, Ioannes alienorum malis artibus affectator declaratur, pœna vtrique debita ad imperatorem reijcitur, qui toti Iaponiæ in Paulo statuens exemplum viuum lentis ignibus exurendum vna cum vxore addicit, Ioannem regno suo abdicat & proscribit. Vxor tamen Pauli interpellationibus vitam ea lege impetrat, vt mariti supplicio interfit, eoque spectaculo in marito inedia moriatur. Is igitur vili iumento insidens per celebriores vrbis regiæ vicos contumeliosè circumducitur, præeunte reum cubitalibus literis in tabula quæ gestabatur causa simul & pœna. Ergo Aprilis 21. qui dies incidit in sabbatum sanctum 1612. in publico reorum loco alligatur ad palum, & circumstructo ad tres fere passus igne torretur, quo in supplicio tum ille tum vxor præsenti semper animo, ita se gesserant, vt ille scelerum suorum pœnitens moreretur, illa maritum officij sui moribundum efficaciter admoneret.

Daifachi exuritur. Ioannes proscribitur.

Ioannes autem cùm exilij sententiam ipso die quo Christi Domini mortem atrata luget Ecclesia, recepisset, ipso paschalis festiuitatis die relegatur vnà cum vxore, nec plures quam famulos ad omnia officia quinque supra triginta secum ducere permittitur. Ibat militum cohorte stipatus in exilij locum Yamura, regni Cai, quod est Surungano conterminum, à regia non plus triduo ad Aquilonem in pede montis Fugi altissimi & tota Iaponia poëtarum versibus cantatissimi. Ibat igitur

C 2 huma-

Ioannes in exilium pergit. humanas res alijs iam oculis intuens, & diuinorum in se iudiciorum in vitæ cursu retro lapso seriem admiratus agnoscebat se pœnas suis peccatis debitas tandem luere, próque neglectis Christianæ pietatis officijs in eum ipsum diem exilij sui primordia incidisse, quem Christiani lætissimum habent, vt illi Christiana læta festáque celebritas iusto Dei iudicio in luctum verteretur. Rogabat etiam, vt quoniam ipsius captiuitas exilijq; sententia in eum ipsum diem inciderat, quem ad peccati vincula dissoluenda, & inferni captiuitatem liberandam mortalesque ab exilio in patriam reuocandos elegerat, vt illius inquam meritis & virtute peccata prioris vitæ delerentur, vtque hoc illi exilium in pœnam cederet delictorum. Magna vis est aduersæ fortunæ ad mentis oculos aperiendos, si animo non impotenti excipiatur. Sed Ioannem tantisper humanis rebus exutum sibi relinquamus, donec breui moriturum reuisamus.

Ioannis prouincias Imperator Michaeli filio ac pronepti tradidit ea lege vt ille Christi fidem abdicaret, & suos omnes cogeret pariter abdicare, quam ad rem illum Safioie tradit Christianæ religionis hosti acerrimo & Nangasaquensis portus Gubernatori, vti eum in omnibus sed maximè in extinguenda religione consultorem ac moderatorem agnosceret. Quibus omnibus assensit miser regnandi cupiditate magis quàm quod esset à Christi sacris alienus. Vnde defectorem Christiano posthac nomine non dignabor, cùm abdicato Christo simulacrorum sectam, Iondoxu vocant, quam Imperator ipse profitetur, susceperit. Is quas deinde turbas excitarit, & vt regnum hac ipsa qua conseruare nitebatur ratione perdiderit, historiæ series enarrabit.

Multis iam antè annis Arimandono per suos suaserat Imperator, vti omnino sui causa christianæ religioni renunciaret, indignũ esse dicens tanto natalium splendore seruili externæ legis iugo collum submittere: sed cum constantem se semper ille in tuenda Christi fide præberet, nihilque omni suo molimine actum videret Imperator inuitus cessit aliquando, dicens, se illius causa Patribus religioníque parcere quam vtique nullo modo approbaret. Hac igitur leui occasione oblata erupit ex eius visceribus ira & furor in

Christi

Christi Domini legem, & qui longè maiora flagitia in suis posset sugillare, horum verò duorum Ioannis inquam & Pauli culpam in ipsam religionem retorquens in eam velut doli magistram & alienorum affectatricem, est impotentissimè debacchatus; nec deerant, qui vel eodem religionis odio, vel adulandi studio ignes ignibus adderent, & quæ dicebat omnia comprobarent. Mirum enim est quam apud Iaponios Christianorum vita offendat, si cum integritate legis non conspirarit, cum Ethnicorum atrociora delicta vix aduertantur.

Ex hoc euentu Imperator occasionem persecutionis arripit.

EXORTÆ CONTRA IAPONENSEM ECclesiam tempestatis exordia.

CAPVT VI.

Exulcerato in hunc maximè modum Imperatoris animo dæmon totius auctor tragœdiæ sibi non defuit, sed nihil vltra cunctandum ratus, id quod per suos ministros dispofuerat est aggressus. Et ne dubitaretur cuius maximè fraudibus ea faba cuderetur; subinde res accidit admirabilis. His enim ipsis temporibus energumenus quidam à neophyto interrogatus vnde & quorsum veniret, dæmon respondit, se ex Anglia venire vbi multos annos Catholicis torquendis præfuerat, eo consilio, vt Iapones doceat, quis in torquendis Christianis modus debeat obseruari. Ac tametsi parum habeat auctoritatis auctor falsitatis, nonnunquam tamen vel inuitus obsequitur veritati. Quod ita nunc esse, tum multa, tum Angli nauarchi opera in hoc opus egregie collocata confirmat.

Dæmonis responsum ex energumeno.

Hoc igitur doctore aggreditur suos ciues tyrannus nihil minus in iis reperturus quam Anglicus furor semper experitur firmitatis, quæ hoc mirabilior est, quòd Iaponiæ tirones, Angliæ veteranos pugiles in religionis arenam exponat. Imperator itaque ab aula sua initium sumens, vt exemplo suo ceteros dynastas in eundem furorem concitaret, inquiri iubet ecquis è familia sua contra edicta sua quibus hac secta nobilitati interdicebatur, Christi sacra suscepisset, ecquis auderet suscepta profiteri. Delati sunt quatuordecim, quorum aliqui erant è prima nobilitate, tametsi plures omnino numerarentur. Hos omnes interrogari iubet, qua fronte ausi essent

Christiani 14. Imperatoris aulici Christum intrepidè confitentur.

 sent



ſent edictis ſuis repugnare. Omnium fuit vna, ſi rem ſpectes reſponſio in hanc fere ſententiam. Vnum eſſe cœli ac rerum omnium moderatorem, cuius leges ac ſcita, qui terræ imperant, violare non poſſunt, ſed neque illius legem vlla in re Cæſareis commodis obſequióue aduerſari, in quibus non tantum non erant hac lege ſuſcepta defecturi, ſed cum ea obligari ſe nouo vinculo vt Imperatori ſuo fidem arctius obſeruarent; qua ex re ſi quid incurriſſent pœnæ, nullá refugere, ne ipſam quidem morteḿ ad animi vitá conſeruandá.

Ea reſponſio ſanè libera, & Chriſtiano nomine digna non placauit Imperatorem, ſed furentem incitauit; ergo renunciari iubet omnes quidem legibus ſuis obnoxios mortis pœnam incurriſſe, ſed adductis in obſequio ſuo ad rationes laboribus vitam vnicam impetraſſe, cetera perdidiſſe, nam proſcriptione perpetua patriam, fortunáſque omnes, & ſpes futuras rapiebat. Ac ne fortè mitiorem alibi fortunam inuenirent, tota Iaponia grauibus pœnis interdicit, ne quis Satraparum aut ceterorum, quatuordecim familiares ſuos à ſe proſcriptos exciperet, aut rebus ad uitam neceſſarijs ſuſtineret. Ita tyranni dum maximè diuturna morte ſæuiunt clementes etiam videri volunt.

Omnes iubentur exuti bonis exulare.

Hanc ſententiæ atrocitatem Chriſti pugiles ita tulerunt, vt vnam ſibi vitam quam Chriſti cauſa exponerent ſupereſſe quererentur. Multa de ſingulis dicenda eſſent, ſi ſingula perſequi eſſet animus. Verum vt hoc ſemel dicam, ne ſimillimarum rerum ſępius iterata narratio lectorem offendat, plurima omittuntur, ita tamen vt è ſingulis illuſtriora quęq; ſeligentes, faſtidium cum deſiderio commutemus. Et in hoc quidem facto duo proxima capita totidē nobis horū athletarum facinora proponent, vt ex ijs reliqua colligamus.

Exulum conſtantia & alacritas.

Ibat igitur primus huius pugnæ manipulus vnà cum filijs & coniugibus, quò eos caſus ferebat potius quàm conſilium, ita lætus & alacer, ac ſi deeſſet nihil, timendum nihil ſupereſſet. Vt enim nihil iuuat vniuerſa lucrari, animæ verò ſuæ facere detrimentum; ita qui ea ſeruata cetera perdidit, nihil ſe arbitretur amiſiſſe.

Huius porro belli prima præludia Imperatoris aſſeclas aſſecuta mox vulgato malo in Chriſtianum vulgus eruperunt. Nam vicorum præfecti (quales apud Iaponios eſſe ſolent) vt Imperatoris gratiam

tiam aucuparentur propria auctoritate, vti nemo incolendas ædes Christiano daret edixerunt. Vexari cœperunt inquilini, vti cederent, quas incolebant, ædibus, aut quod erant, esse desinerent, cum vtrumque à neophytis æque negaretur, testantibus, se fidem nulli, ædes Imperatori soli cessuros. Causa ad vrbis gubernatorem delatã, cum neophyti sibi constarent, res metu alicuius perturbationis Imperatoris iniussu procuratæ, sedata est.

Neophytorum è plebe constantia.

Verum sedatus non est neophytorum ardor, qui cum huius certaminis primos insultus viderent, non temerè maiores ominati, acriter se ad futuros comparabant. Nunquam aliàs ita patuit, quam altas in animum radices egisset suscepta religio, nam Patris domicilium frequentari, Sacramentis animum vegetare, colloquijs mutuo se incitare, sacris orationibus interesse, ita fuit per eos dies perpetuum, vt ijs in quos huius rei cura recumbebat, magna esset laboris ac solatij concertatio; nec vllus modus iniri potuit ad hunc impetum ideo nonnihil compescendum, ne Imperator se etiam putaret irritari, qui sibi nolebat repugnari. Nec is ardor intra vrbanos muros continebatur. Magnus erat è vicinis pagis in ædem sacram concursus, ne obeundi martyrij occasio, quæ in manibus erat, cuipiam laberetur. Magnus est sanè diuinæ gratiæ impetus, si quem impulerit minimè renitentem. Sed hæc initia vix dum tepent, quæ deinde legentur ea sunt vt stuporem inijcere possint, Dei laudẽ prouocare debeant, labores tot annorum in hac excolenda vinea pro bene collocatis haberi debere persuadeant.

Neophytorum feruor.

Hanc porro animorum incitationem non ipsi solum neophyti in seipsis mirabantur, sed ethnici quoq; suo calculo comprobantes affirmabant in Christiana lege nescio quid supra naturam reperiri, cuius vi quæ tantopere natura horret, alacriter tolerarentur ab illius cultoribus, aut expeterentur. Eò naturæ lumen, conspecto supra naturam gratiæ splendore, sese audacter ingerebat. Iuerat forte id temporis neophytus quidam nobilis Miacensis dynastam nescio quem visitaturus in regno Mino. Primis sermonibus ita hospitem Satrapes compellauit. Semper ego quidem hucusque legis vestræ scita iuraque suspexi, sed post spectatum quatuordecim pugilum cum Imperatore certamen, multũ mihi, ad antiquã existi-

Gentilium admiratio.

existimationis accreuit. Profectò si humano dumtaxat pede factum metiamur, habeo quod in ijs gloriæ decus inuideam, honoris equidē semen sparserunt, eius fructū sedato hoc turbine collecturi.

Non in solo imperatore stetit primus hic perfidię contra fidem impetus, sed eius exemplo permoti ex prætoribus non pauci de familiaribus suis inquirentes non paucos vbique proscripserunt, æquè spoliatos fortunis suis & censu, quem stipendij loco ab ijs colligebant. Inter quos etsi nonnulli vrgentibus parum fortiter cessere, plerique tamen pari cum superioribus alacritate omnia Christi, cuius sacra susceperant, causâ profudere: numerus hoc primo insultu proscriptorum ad quadringentos in varijs locis scribitur excreuisse, triste vbique spectaculum cum tot repente à diuitijs ac delicijs in extremam inopiam angustiásque redigebantur; sed alacritas, quâ hæc omnia patiebantur magnam inspectantibus doloris partem detergebat, maximè quòd neophytorum ingeniosa comiseratio, tyrannorum sæuitiã in miseris subleuandis superauit.

Quadringenti varijs in locis proscribuntur.

Hos primos huius procellæ imbres illius Ecclesiæ pastores, & maximè societas nostra, cuius in eo regno præ cæteris est maxima multitudo, ita excepit, vt videret non facilè humanis vijs restingui posse quod exarserat in cendium. Itaque ad diuina, quæ sola supererant, recurrerunt. Episcopi ac Præpositi auctoritate, multa in eam rem sacrificia, ieiunia, voluntariæ corporis afflictationes, horarum quadraginta continuæ preces, supplicantium pompæ, magna omnia religione peragebantur, vti placatus dominus Ecclesiæ suæ pacem restitueret, aut pugiles in fidei agone confirmaret. Quod alterum iam impetratum videmus, alterum impetrandum aliquando speramus: quod interim dum consequimur, constantia nos huius Ecclesiæ triumphisque inter quotidiana prælia partis recreemus ac solemur.

Preces ad Deum hoc tempore institutæ.

PRIMI È QVATVORDECIM EXVLIBVS virtutes & constantia.

CAPVT VII.

PRimus ex aulicorum Imperatoris numero, qui spes humanas exutus in melioris domini aulam fortuna meliore confugit, Dida-

Didacus Gonnoio vocabatur. Is annos natus quatuor supra viginti ab annis sex non amplius in Christiana militia meruerat, nobilis inprimis, & qui clientelarum sibi deuinctos obsequio non paucos numerabat, quia etiam à nonnullis Imperatoris filius putabatur, ex quo Christi sacra suscepit ita vixisse scribitur ab ijs qui hominem pernouerant, vt ab interioris animi purissima integritate Angelus, externa corporis compositione Religiosus potius quàm aulicus videretur. Tanta erat virtutis opinione, vt qui deinceps meliora, ipsum se Didacum fore promitteret. Ipsi ethnici vitam inter aulicos tumultus ac delicias talem sine prodigio transigi non posse affirmabant. Tantus erat in eo transmittendæ in alios quam ipse agnouerat veritatis ardor, vt cùm è famulis & clientibus tres duntaxat ante ipsum Christi sacra suscepissent, ipse intra breue tempus trecentos numerarit, & nouis quotidie artibus id agebat, vt nemo extra Christi gregem è suis periclitaretur. Quod magis mirum est in iuuene aulicis negotijs impedito. In pago è suis quodam, ædem sacram non minimam erexerat, ibidem sodalitium sub Deiparæ patrocinio coëgerat, cuius hoc erat institutum ethnicos ad audiendas de doctrina Christiana quæ à nostris habebantur prælectiones inuitare, ipse quoque primus & inprimis domicilium nobis occultum (propter imperatoris legem) in vrbe regia collato in fundum sumptu procurauit, eiusque munificentia potissimum rei Christianæ Pater vnus cum alijs administris alebantur, vxorem, fratres ac sorores, vniuersámque familiam (si solam parentem exceperis) Christo adiunxerat. His virtutum exercitationibus occupatum procella præsens non imparatum excepit. Aberat tum fortè à regia triduo fere in regno Micaua; verùm primis rumoribus excitus ad spes futuras dimissis quæ tractabat omnibus aduolauit, & omissis quas habebat ædibus ad nos diuertit, in hæc lætus verba prorumpens, Iam tandem aliquando aduenit hora tot à me votis expetita, eámque noctem insomnem diuinis de martyrio colloquijs illustrauit, horis matutinis peccatis expiatus sacro pane se refecit, his armis tutior in arenam proditurus. Verum cum adhuc eo tempore res Arimensis dynastæ cum Daifachi penderent, auctoribus nostris ad sua redijt, parendi magis studio quàm propria voluntate discedens, habebat

Didaci virtutes.

Accurrit ad spem martyrij.

bebat tamen ex neophytis aliquot, qui se quamprimum de omnibus admonerent.

Reuersus ad suos Didacus, Sodalitium cogit in æde sacra, quam nuper extruxerat, cereisque in ara dispositis, quos ritibus Ecclesiasticis nuper consecratos asseruabat, ipse ad omnes de re præsenti perorauit, eo ardore quem spirabat. Denique cum hæc Micauæ ageret, de eo quoque in aula tractabatur, nam cum absens in numero quatuordecim pugilum meritò primas obtinuisset, absens quoque simili cum cæteris proscriptionis pœna damnatus est; Ea denunciatio duos in eius animo motus excitauit admirabiles, alterum lætitię, pro eo quod Christi causa dimittebat, alterum mœroris pro eo quòd illi vita remanebat; qua vna de causa malè collocatos in imperatoris obsequio labores arbitrabatur, quorum intuitu vita illi pro beneficio concessa dicebatur, hos etiam animi sui motus coniugi, fratribus, sororibus, ipsi etiam ethnicæ parenti renunciauit, quæ in furorem versa contumelijs affectum delirare aiebat, quod non solum sibi ipse suam perniciem volens ac prudens procurasset, sed quod etiam de hoc ipso lætaretur. Noua Didaco ex contumelijs lætitiæ seges, sed & mœroris ex parentis cœcitate. Ergo extemplo fortunis cedens vna cum coniuge & bima filiola in proximum pagum extra fines suos gaudio subsultans emigrauit. Ex eo pago literas scripsit ad varios è quibus binas exscribam totidem verbis absque fuco, vt constet ea quæ superius dicta sunt, aut in posterum de alijs dicentur, nihil à verborum lenocinijs, sed ab vna veritate habere quicquid habent ornamenti.

Absens proscriptione damnatur.

Ita igitur ad P. Hieronymum de Angelis scripsit, qui rem Surungæ Christianam procurabat. Pater mi, à quo sum in Baptismo Christo regeneratus, & à quo fidei luce illustratus, inueni certam ad salutem viam.

Epistola Didaci.

Non parum admiror diuinas in me miserationes, quod cum sim peccatorum maximus non dubitauerit me diuina maiestas hoc insigni beneficio afficere, vt in numerum quatuordecim pro sua sancta fide proscriptorum adscíscerer. O mi Pater, quantum est mihi istud beneficium, quod tandem aliquando liberum me videam

am ab aulicis peccandi laqueis, in quos in aula me continua cum ethnicis nobilibus tractatio conijciebat! Nunc ego me felicem existimo, quod liber sim Deo meo. Prius Imperatori Iaponiæ & simul Imperatori cœli obsequi contendebam, nunc verò humanis obsequijs expeditus totum me ad diuina conuertam, hoc beneficium ego sanè pluris æstimo, quàm quicquid ab Imperatore poteram aliquando sperare. Vna res me angit, quod me mea peccata ab exponenda vita exturbarunt. in eius causa, qui suam pro me in cruce dereliquit. Verum de illius bonitate spero fore, vt qui votum dedit, illud expleat, si hoc ad maiorem ipsius gloriam est futurum. Tertiæ Lunæ decimoquinto.

Didacus.

Ad nostros autem qui Miaci agebant alias scripsit in hæc verba. Ex Daifachi negotio factum est vt Imperator in domesticos suos Christianos inquiri iuberet, ego ex proscriptis vnus fui, sed indignus martyrio quod optabam, nihilominus lætum sum ob labores qui mihi nunc obuenerunt, hinc breui discedam, vt ex alia epistola, quam mitto, constabit. Ita mihi mea sors arridet, vt totus sim in gratijs Deo referendis, quod nihil mihi supersit, quod à mundo sperem. Hoc erat quod semper optaueram, & quod nunc pro insigni Dei beneficio reputo. Desunt mihi verba, quæ lælitiam meam explicent. Gaudio cor meum exilit cum occurret, quod Orizæ sacci sexies mille, quos in annuo censu numerabam mihi hodie à domino meo cum regno cœlorum commutantur, Sit ille benedictus. Iam mihi mundus videtur esse puluis ac stercus. *Alia eiusdem.*

Cætera cum nos breui viderimus tertiæ Lunæ decimoquinto.

Didacus.

Scripsit etiam ad reliquos certaminis sui socios, nec non ad neophytos qui Surungę degebant, hortatrices literas vt in fide persisterent, & omnes huius procellæ fluctus vt maximi futuri essent exciperent intrepidi, tum extremum vale suauissimis verbis, precibus eorum postulatis, dicebat.

Sed omitti non debet, quid illi cum fratre contigerit. Is natu minor annos natus viginti in fidei causa similem fortunarum

suarum iacturam in lucro reposuerat, & quia id temporis nauigium è portu in Hispaniam nouam soluebat, eo nauigaturus sese comparabat, quod cùm resciscet Didacus omnino illi auctor fuit ne id faceret, hoc est, inquit, venari laudes humanas vltra maria, pro ea iactura quam in religionis causa fecisti, hoc est auxilia humana ab aliquò lucello quærere. Satius erit in Iaponia forti animo penuriam, labores, extremam necessitatem, quæ nobis imminent, tolerare, hoc enim patrimonium Dominus electis suis legauit. Quibus consilijs animosus iuuenis fratrem imitatus acquieuit.

Hortatur fratrem ne se subducat laboribus.

DVORVM FRATRVM EX EODEM NVMEro ardor admirabilis.

CAPVT VIII.

ADmirabilior mihi videtur duorum fratrum ardor, qui cum inter inquirendum neglecti fuissent, excludi ab eo numero nulla ratione voluerunt. Duo fratres Imperatoris aulici Christi fidem biennio ante complexi fuerant, eorum alter Ioachim annos natus supra viginti, alter Bartholomæus decimum septimum attigerat. Hi dum inquireretur, quod abessent neglecti sunt, quod cùm adhuc nescirent, sed de Imperatoris in Christianos ira solum inaudissent extemplo accurrerunt, vt ibi victoriam præstolarentur, vbi prælij pondus futurum credebatur. Et quia putabant ab ædibus nostris inchoandum, ab ijs seiungi noluerunt, sed iterum sacramentis muniti dum primum sua nomina in proscribendorum serie neglecta deprehenderunt, ita perculsi sunt, vt continuis lachrymis madidi nullum admitterent solatium, nec cessere nostrorum consilijs vrgentium, vt ad sua negotia redirent, adfuturos victoriæ si ad prælium vocarentur. Verùm assiduo gemitu & suspirijs hæc ipsa verba sæpius iterasse scribuntur: Eheu nostra nos scelera Surunga eduxerunt, & à serie Christi seruorum excluserunt, vnde vel Martyrij coronam vel certam proscriptionem eramus adepturi, quantum perdidimus! quantum lucrari poteramus. Et quoniam sub noctem exclusos se fuisse audierant, magnam eius partẽ reiecta omni quiete, suam sortem continuis lachrimis deplorarunt, ea dicentes, quæ non sine animi sensu audiebantur, à quo serio procedebant.

Die

Die insequenti matutinis horis in palatium se conferunt, & præfectum cuius curæ suberant conueniunt, diuino quem spirabant igne succensi. Cùm de Christianis aulicis inquireretur, inquiunt, ideò quod magno nostro infortunio abessemus neglecti fuimus, etiam atque etiam te rogamus præfecte, vt per te nostra nomina cum ceteris ad Imperatorem deferantur, quem nolumus nescire nos esse Christianos. Præfectus his sermonibus turbatus amicè illos rogat vti sileant quod maximi referret, se pro amicitia secreti fidem seruaturum. Habitis propensæ in se voluntati gratijs, vrgent ne sileat, sibi enim certum esse ad Imperatorem ipsum adire suam religionem vt aperirent, pro ea si res tulerit morituri; simul dicturos ideo se venire quod præfectus idipsum rogatus renunciare recusarit. Ea denunciatione magis etiam perturbatur, quod iam cum alieno periculo proprium videt coniunctum. Et cum diu frustra illos ab eiusmodi cogitatione deterreret; ne sibi periculum ex silentio accerseret, rogatus eum adit, cui maximè hæc de Christianis inquisitio fuerat ab Imperatore demandata. *Nomina sua cum ceteris adscribi rogant.*

Is audita re tota eodem momento iuniorem accersit, ratus in eo minus fore firmitatis, cuius deinde exemplo poterat alter à proposito deturbari. Vocatus igitur tum demum animum composuit, & aulam ingressus inuenit eum qui vocauerat nobilibus stipatum supra octoginta. Quis non adolescentis vice metuat, vnum id ætatis, inter tot, à fratre separatum, in vitæ mortisue negotio perturbatum iri? Sed cum steteritis ante reges & præsides nolite cogitare quomodo aut quid respondeatis, dabitur enim vobis in illa hora quod loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Qui hoc non vidit impletum, quæ sequuntur attentè legat, vt vim gratiæ præsentis & fidei victricis aduertat. *Vocatur iunior à iudice.*

Iudex igitur ita eum compellat. Christianus es tu? Bartholomæus elata voce & clara in magno ceterorum silentio, Sum, inquit, & semper ero diuina gratia aspirante. Ex quo tempore, ait Iudex. Iam fere biennium est, respondet, ex quo Christi domini nostri fidem suscepi, qui cœlo terræque imperat, & est verus vnicúsq; seruator. Vide, inquit iudex, præcipi tibi ab Imperatore, vt legem

istam abdices, quod si feceris, vti faciendum tibi intelligis, ipse te fortunis & honoribus auctum cumulabit. Ego (inquit Bartholomæus supra ætatem responsa sua erigens) accuratè perspexi, extra legem Christi filij Dei salutem nullam reperiri, hanc legem profiteor, hanc in medio cordis mei conseruo, nec ego viuens. b ea discedam, quia æterna homini salus pluris esse debet, quam vita; neque me potest Imperator vlla re cohonestare, si ego me perfidiæ in Deum scelere fœdauero. Quicunque sanctam Dei legem seruant honorabiles sunt, quia sunt filij veritatis, principum verò terræ decora & ornamenta non ea sunt vt contumeliam Deo exhibitam possint occultando cohonestare. Hæc dicebat adolescens ceteris silentio & stupore defixis, itaque cùm nemine interpellante nonnihil substitisset, hæc addidit vocem intendens. Audiat cœlum, audiat terra, audiant quotquot hic adstant quæ dicam, & sint mihi testes confessionis meæ. Malo hoc ipso momento viuus ardere, membratim concidi, aut quodlibet aliud vt horribile sit tormentum subire, quàm in minimo deficere à lege sancta Dei mei.

Admirabilis adolescentis responsio.

Hæc eo animi impetu dixit, vt nemo non stupuerit, & iudex præ ceteris, facilè enim constitit hanc firmitatem non esse huius ætatulæ, sed aliquid intus aspirasse diuini. Ergo iudex nihil vltra Bartholomæum interpellans, Ioachimum fratrem accersit. Ingressus fratrem videt circumfusa nobilitate stipatum, in aula media iudici adstare, ac tametsi quid dixisset ignoraret penitus, ex ipsa tamen vultus alacritate animi latebras introspexit, & propiùs ad fratrem accedens futuro prælio se accingebat. Verum iudex mutato consilio, ne bis coram tot testibus vinceretur, omnes dimisit; ipse verò nec tentata vlterius eorum firmitate, imo nec interpellato Ioachimo, rem ad Imperatorem retulit, cuius iussu ad ceteros duodecim adiuncti numerum quem dixi athletarum quatuordecim expleuerunt, & eadem proscriptione damnati hoc suo ardore omnibus admirabili absentiam suam compensarunt. Qua sententia ita recreati sunt, vt animis compositis lacrymæ, suspiria, gemitúsque cessarint; nam à iudice triumphum reportantes, cùm ad nostros domum redijssent, in hæc verba

ba proruperunt, In æde sacra manibus in cœlum elatis Domino gratulantes, Nunc domine, nunc serui tui sumus electi ac dilecti, tua sancta lex nos seruat, tua sancta lex nos honorat &c.

Non eadem fuit vnius è delatorum numero defectoris constantia, nam cum initia certaminis pari cum ceteris animo sustinuisset, turpiter tandem à Christo defecit. Is Cafioie vocabatur, Imperatori gratus in paucis, & arcis cuiusdam præfectus magna rei militaris apud omnes opinione. Is duobus ante hos tumultus mensibus vnà cum primogenito & aliquot famulis salutaribus aquis expiatus Christo nomen dederat, sed pari sententia damnatus propinquorum hortationibus & iacturæ sensu adductus est, vt à Christo recederet. Ea res à propinquis ad gubernatores inquisitoresque delata, & ab ijs ad Imperatorem. Quid expectas? quod illi? gratiam Imperatoris, nouos honores, aut proscriptorum pro munere fortunas? alia omnia consecutus est, nam quod Imperator in alios non fecit, in hunc vnum debacchatur, abiecti animi virum & pusilli appellat, quem fortunarum sensus ab eo quod rectum semel iudicauerat elegeratque, auertisset. Ita miser honore simul ac fortunis excidens, nec sperata obtinuit, nec ante possessa retinuit. Cuius vt est excusabilis lapsus ab recenti legis tirocinio, ita miseranda conditio, cum hodie hominum oculos fugiat, qui poterat cum socijs de tyranno triumphare.

Deficit vnus à fide.

Gratia Imperatoris & bonis nihilominus excidit.

IN HONORARIAS AVLÆ MATRONAS inquiritur.

CAPVT IX.

NOn satis fuit ab aulicis suis ac pueris honorarijs turpiter in fidei causa superari, nisi etiam à fragiliore sexu ac ætate turpius vinceretur. Proscriptis igitur vt scripsimus huius certaminis primipilus in honorarias aulæ suæ matronas inquiri iubet. Delatæ sunt statim tres nobiliores vel san-

Trium matronarum constantia. sanguine vel officijs, in quas nisi resipiscerent seuerius iussit animaduerti. Iuliam, Luciam, & Claram. Ergo vt primo impetu metum conciperent, in cubiculum tres simul recluduntur, Eo primariæ tyranni pellices aliæque nobiles matronæ aliæ post alias conuenerunt & pro se quæque rationibus ab ira regia, ab ætatis flore, à diuitijs ac sperandis honoribus, à tormentorum metu petitis conantur fortissimas matronas de proposito deturbare. Sed illæ viragines ignea nequissimi tela clypeo fidei retuderunt ita fortiter, vt amissa spe defectionis tota res ad Imperatorem denuo deferri debuerit.

Ille quam debuerat in fragili sexu admirari constantiam, eò tulit impotentius, quo faciliori prælio vinci turpius videbatur. Nihilominus dissimulato cum duabus furore, vnam in Iuliam congerit vniuersum. Erat Iulia Corea natione, belli sub Taicosama Coriani militaris præda, quæ ab Augustino illius belli duce domi à teneris annis liberalius habita propter eximia virtutis ac naturæ dona, extincto Augustino ad Daifusamam transierat non minus illi grata quam Augustino, vnde cùm ipse Iaponiæ imperium occupasset, ab eo in præcipuis aulæ matronis fortuna sua fortunatior habebatur. Et quoniam apud Augustinum educata Christi fidem altè imbiberat, eam ad hæc vsque tempora vna cum Christianæ pietatis laude conseruauerat. Imperator igitur, Minus, inquit, molestè fero Luciam & Claram sibi constare, verùm Iuliam captiuitatis suæ immemorem ac beneficiorum quæ apud Iaponiæ Imperatorem ingrata repererat, iussis meis repugnare, ferenda non est contumacia. Socias itaque nunc quidem liberas suis locis restituant, sed Iuliam iterato aggrediantur iubet.

Nobiliores igitur matronæ aliquot ad Iuliam adeunt, monent, nihil vltra cunctandum post formidabilem iram illius à quo tot beneficia inuita sua fortuna recepisset. Ad hæc ita Iulia respondit, nam in his hortatorum aries librabatur. Negare se non posse quin Imperatori plurimis maximísque beneficijs esset obnoxia, quibus conata fuisset ante hac semper, & etiamnum cuperet omni obsequiorum genere respondere. Verum esse alium cœli terræque moderatorem à quo plura recepisset; nam præter ea, quæ sunt illi

cum

cum ceteris communia: Agnosco, inquit, in mea captiuitate diuinam manum cuius fauore factum est, vt Augustini beneficio de medio nationis prauæ educta verum Deum & vnicam ad salutem viam reperirem, quo scelere me astringerem, si clementis domini beneficia proijcerem, & quæ à mortali principe accepi diuinis ac immortalibus anteferrem? Vrgebant nihilominus vt ore saltem Imperatori obsecundaret, cor suum Deo suo qui corda inspicit reseruaret, negauit se illi quicquam detracturam, à quo nihil non accepisset. Hoc responso in furias versæ hortatrices, Iuliam barbaram, seruam, ingratam, sine sanguine ignobilem, rusticam aliísque nominibus contumeliosè compellant. Sed Iulia contumelijs in patientiæ cumulum congestis silentio suo primam tenuit firmitatē. *Iulia sapiens responsum & constantia.*

Quæ venerant hortatrices eum furorem secum extulerunt, vt calumniatrices esse maluerint, quàm tantæ virtutis in suo sexu laudatrices. Constituunt enim apud Imperatorem illius integritatem in dubium vocare, deferentes clam extra palatij septa nonnunquam excessisse. De hac re secundum iura inquiri iubet Imperator, constititque illam non alias egressam, quàm vt in ædem sacram non sine pudicitiæ suæ testibus rei diuinæ causa se conferret. Nota item eius probitas virtutum omnium exemplar ipsam omnium calculo calumnia liberabat. Vnde quod maximè voluerant mali artifices, vt alio quàm religionis prætextu infami morte damnaretur, nullo modo impetrarunt; nam integritatis fama non minus quam sanctitate religionis iā ex calumnia clarior hoc solo nomine quod Christum nollet abdicare, proscribitur. *Iuliæ pudicitia in dubium frustra vocatur.*

Et quoniam in eius exilio multa sunt posteritatis memoriâ non indigna, exulantem tantisper comitemur. Primum igitur, in Insulam Oximam relegatur, in eum finem Vrbano Prætori tradita. Iacet Oxima ad meridiem regni Idzu, sed ad Orientem Surungæ littora respicit. Mirum quantum Iulia hac denunciatione sibi ac Deo gratularetur, exilium in præcipuis diuinæ munificentiæ beneficijs meritò reponens, ac tametsi fortunis planè omnibus, famulis ancillísque exuta (præter vnicam quam illi neophyti dederant, & vt eius obsequio vteretur ægrè impetrarant) nihilominus illa præclarè secum actum dicebat quod opes suas id est sacram supellectilem

secum efferre sineretur. Aberat portus Agiro dictus itinere terrestri leucas nostrates omnino quindecim. Eo cum custodibus intra lecticam deportabatur, & quo animo ferret exilium insigni facto demonstrauit, nam desiderio patiendi æstuans cum in lecticæ suæ commoditatem animum reflexisset, pudere cœpit, quod in exilium lectica deportaretur. Extorta igitur à custodibus facultate nudis pedibus in terram exilit, aulicis delicijs per vniuersam vitam tenerè educata. Erat iter asperum & saxis obsitum, sed omnia vincebat de Christi tormentis cogitatio Christum dominum cum in Caluariæ montem adreperet, non lectica gestatum, non calceatum, & ad hæc omnia sua cruce onustum in montem euasisse, non sine lapsu frequenti multóque sanguine totum iter designante; quod cum illa ita faceret, vt iam nec vires sufficerent, vi à militibus in sellam retrusa iter suum quo nollet modo prosequi cogitur, cùm enim vulgò crederetur eam ab ipso portu à tyranno reuocandam, nolebant videri minus comiter sibi creditam tractauisse.

Insigne in Iulia pro Christo patiendi desiderium.

Verùm res aliter cecidit, nam parata eam in portu nauicula præstolabatur, è quo breuissimis literis ita post nonnulla Societatis nostræ Visitatorem P. Francisco Pasio vale fecit. Magna mecum misericordia vsus est Dominus ex ea occasione, quæ nuper in aula successit. Relegor in insulam Oximam. O quantum in me diuina prouidentia se ostendit inæstimabilem, quod cum nullo anteacto meo in eam obsequio quicquam meruerim, hoc me tam insigni beneficio afficit, quod ego plurimum æstimo, & me comparatam inuenio ad labores quoslibet ærumnásque alacriter tolerandas. Itaque mea causa nullam curam R. V. subeat, præter eam quæ in sacrificijs ac precibus mei memoriam excitabit, literis etiam suis subinde me solari non omittat, non enim deerunt, in eam insulam qui eas ferant. Vrgeor ad soluendum, ac ideo sum breuior. Tertiæ Lunæ vigesimo sexto.

Literæ Iuliæ ad P. Visitatorem Societatis.

Aderant, cùm solueret Iulia, neophyti quidam, quibus cùm tenerrimis lachrymis madida valediceret, ait, duo se in hoc exilio sentire, quod Missæ sacrificio & peccatorũ confessione fortasse in perpetuum esset caritura, Et, quòd spem omnem seipsam in martyrem sacrificandi deponeret. Ad hoc secundum intulit neophytus audisse se

se se à quodam è Societate, quem nominabat, Ecclesiã non paucos martyres colere, qui siccam sine sanguine inter exilij labores mortem obierant. Ea re ita recreata est, vt in ipso portu literas ad nostrũ scripserit, quibus gratias agebat, quod sibi talem doctrinam opportunissimo tempore per eũ neophytum Deo ita volente ingessisset.

Ergo iam lætior soluit in insulam, quo cum peruenisset incolumis, intra dies triginta in vlteriorem ac minorem Nyxima nomine denuo relegatur. Aberat à Surungæ littoribus prior leucas 20. posterior à priore leucas quinque. Hic tamen exilij locus ex aliarum mulierum, quę è Dairi palatio fuerant relegatæ consortio commodior erat, nam cùm alias inter se notæ essent sibi mutuo solatio simul esse poterant & auxilio. Sed non diuturna fuere solatia. Nam ad maiorem meriti segetem post dies quindecim in tristem scopulum cui nomen Cozuxima sex vlterius leucas tertio deportatur, in quo præter labores ac merita nihil erat earum rerum sine quibus vitá non ducitur, nisi quas septem octoue piscatores tenuissimi arte sua in straminea sua mapalia inuehebant, nec vllũ illi ab Imperatore vitæ subsidium suppeditabatur, qui id vnum agere videbatur, vt nouis quotidie laboribus exercitam in suam pertraheret voluntaté. *Ter Iulia mutatur exilij locus.*

Verùm operęprecium videre est quantum vnà cum laboribus fortissimæ matronæ virium animique accesserit, quod maximè colligere licebit ex literis ad P. Moresonium è nostra societate Sacerdotem à quo baptismum susceperat, & Miaci rei præerat Christianæ; dicebat enim se in eo scopulo sibi videri ditissimam, ac lautius aliquanto viuere, quàm cùm in palatio degeret, ita cœlestibus à sponso suo solatijs recreabatur postquã humana deessent. Nã etsi non parũ sentiebat priuari se Missæ sacrificio sacramentorúmq; vsu conari se tamen quę deerant quotidiana rerum cœlestium commentatione supplere, qua in commentatione sibi suum scopulum Caluariæ montem esse fingebat, in quo, ad pedé Crucis Christi, sibi statuebat esse cũ eo moriendum; à quo deinde petebat enixè sua sibi peccata cõdonari. His exactis fingebat sibi se missæ sacrificio interesse, & ad singulas illius sacrificij partes aliquid de Christi tormentis animo tractabat maxima semper animi suauitate ac cœlestis solatij copia inundata. Et quoniam ibi vitã exigere cupit & cogitat, ab

eo petit sibi libros mitti, qui res ab Apostolis ac Martyribus & virginibus gestas continent. Item petit ad suas commentationes distribuendas clepsydram, & ad sacrificij memoriam excitandā cereos duos ac tintinabulum. Rogat item vti sibi imago mittatur, in qua expressa cernatur aræ, ac sacerdotis sacro operantis effigies cuius aspectu efficacius sacrosancti mysterij memoriam possit renouare, quando eius præsentia iam frui prohiberetur. Ita quo remotius ab hominum consortio seiuncta, eo propior cœlo videtur continuis cum sponso suo colloquijs detineri. Felices animas, dignásque quas tot periculis ac laboribus per vlteriora, si fuerint, maria vestigemus.

ARIMENSIS EXREGVLVS IN EXILIO capitis damnatur.

CAPVT X.

IN hunc modum primus tyranni furor in Christi gregem Surungæ desæuijt, in altera porro regia yendo nomine, imperij hæres præter edicta prioribus acriora nihil aliud innouauit, nam cum antea solis nobilibus non etiam vulgo Christiana religione interdiceretur, nunc æquè ad omnes legum suarum acerbitatem extendit, & si qua in re parenti sua tarditate defuerat, anno insequente qui fuit salutis nostræ 1613. tarditatem grauitate pœnarum & rerum multitudine compensauit, ea suo loco, seruato rerū ordine, persequemur. Nunc verò antequam in Arimensem agrum quo se proximus turbo intulit diuertamus, Arimensem exregulum Ioannem quem in exilio reliquimus, reuisamus, eique morienti iusta persoluamus.

Quid in altera regia geretur.

Degebat Ioannes vna cum Iusta coniuge in exilij sui loco, ita iam alius à se ipso vt hanc illi ad salutem viam clemens Dominus aperuisse videretur. Nam tametsi vitæ anteactæ cursus non rarò à recto vitæ Christianæ tramite deflexisset, tanta tamen erant eius in Ecclesiam Iaponensem merita superiorum annorum annalibus abundè cantata, vt hanc à Domino gratiam extorserit, æternas nimirum pœnas cum breuibus commutandi. Longum esset narrare quam vitæ rationem auctore semper Iusta teneret, quæ illum frequen-

quenti piorum auctorum lectione ad rerum diuinarum sed maximè dominicæ passionis commentationem tempori accommodatam inuitabat. Qui Ioannem nouerant Arimensem dynastam, non pauci ex eius animo satis impotente conijciebant illum tot malis superatum, sibi more Iaponensi violentas manus dissecto ventre illaturum, sed fefellit omnes subita commutatio, nam quæ multos solet sæpe calamitas tristitiæ nubibus obscurare, Ioanni mentis oculos aperuit, vt videret, quàm vanæ sint mortalium spes, quàm vana per tot labores illarum venatio, quæ si non fallit insectantes, vt solet, sua tamen quam ostentat venustate deludit. Agnoscebat in hoc suo infortunio præsentem Dei manum criminum pœnas à se velut vlcerum saniem medica crudelitate repetentem. A coniuge petijt secretorum conscia, vti quæ continuo tot annorum contubernio in se delicta aduerterat in commentarios redigeret, quos ipse postea sæpius euoluens ad singula pœnitentiæ animum contestentis actus quo sensu poterat iterabat, sæpe cum famulis ea detestabatur, & qua poterat compensatione sarciebat, frequens illi Arimensis Ecclesiæ cura, ne quod in hac rerum perturbatione caperet detrimentum. Vnum sæpe querebatur, nullam sibi per Imperatorem fidei profitendæ spem relictam, vt in Christi causa moriens proprio in sanguine peccata mergeret, & offensionem Ecclesiæ Iaponensi datam exemplo recentiore sarciret.

Ioannis in exilio sciuendi cum Iusta coniuge ratio.

Et quoniam ad hæc omnia Iustam habebat hortatricem, quæ fuerit illa non erit abs re breuiter attingere. Illa nobilissima stirpe orta primis nuptijs parem inuenerat maritum, quem intra paucos annos lugens annorum viginti præmaturam viduitatem cum Ioanne Arimensi dynasta, agente magno illo Augustino, contrahens solata est. Nondum erat tum Christianis sacris imbuta, sed cum Arimam venisset, mariti auctoritatem & exemplum secuta anno post Christum natum 1579. à P. Alexandro Valignano, qui tum Visitatoris officio fungebatur, salutaribus aquis expiata ita deinceps Christianæ pietatis exemplo præluxit, vt nihil mirum sit eam tot annorum exercitationem ad hanc fortunam fortiter ferendam attulisse. Sed ad Ioannem redeamus.

Iusta Ioannis coniunx quæ fit.

Is tametsi hac viuendi ratione ærumnas suas falleret, nonnun-

quam tamen iniuriarum ab ijs illatarum quibus nihil nocuerat memoria antiquos impotentis animi impetus suscitabat, ac tametsi eos intra rationis limites contineret, videbatur tamen sibi nihil proposito suo aduersari, si calumnias aliquas elueret, si nonnullorum animos datis literis mitigaret, si exilij sui fortunam, infortunio potius quam vllis in Imperatorem offensionibus arrogaret. Ergo subinde ad magnates aliquos modestas de rebus huiusmodi literas dabat. Sed quia pauci sunt qui cum aduersa fortuna conseruent nedũ contrahant amicitias, nihil his literis prodesse sibi potuit, nocere quamplurimum, quòd nihil interesat amicorũ desperato succurrere, inimicorum referebat etiam desperatum opprimere. Nouerant illi Ioannem natura sagacem, nec facile quieturum, nouerant eloquentem, & nonnullis calumnijs oppressum denuo posse emergere. Ergo Michael ipse filius agente pellice Imperatoris pronepte, & Safioie malorum omnium incentore & consiliorũ Michaelis ex Imperatoris mandato, moderatore, filius inquam, proh nefas, parenti mortem machinari maluit, quàm sui status amittendi, quem nuper impetrauerat, discrimen incurrere. Sed perdidit, vt videbimus, illius industria, qui tantorum scelerum author fuerat Safioie. Cum igitur in itinere Arimam repetentes tantisper substitissent, in regiam remittunt, qui nouis criminationibus exulem obruant; nec difficile fuit inauditũ & amicis destitutum, prǽsentiũ ac potentiũ fauore opprimere. Ergo Imperatoris iã offensi voluntate, capitis damnatur.

Quæ causa mortem illi procurarit.

Hanc vltimam Imperatoris voluntatem Ioanni renunciandam & exequendã senatus regius gubernatori illius oppidi in quo exulabat, & filio gubernatoris Miacensis demandauit. Ij stipati supra centum & quinquaginta militũ satellitio, quinto Iunij anno 1612. cùm illucesceret Ioannis ædes obsident, & Ioanni renunciari iubent, vt nisi sententiam in se capitis admittere velit, ventrem sibi de more laceret. Hanc subitam sed non planè inexpectatam denunciationẽ Ioannes tanta vultus serenitate animíq; magnitudine excepit, vt pacatissimè responderit, non deesse animosas manus quas sibi violentas adferret, nisi Christiana lege quam à iuuentute professus in morte cõseruabat, à tã immani scelere deterreretur, interim præscripturum se rationem, qua regia voluntas effectum sortiretur ita pacatè, vt qui aduenerant militibus nullis armis esset opus.

Capitis sententia Ioanni renunciatur.

Nam cùm in simili casu solenne sit famulis per medios lictorum

ensses ruere, vel heri mortē vlturos vel inter vlciscendum perituros, omnes ad se quamprimum vocat, rogátque vt ab omni iniuria sibi temperent, neq; se viuū aut mortuū vllo tempore vlciscantur, memores se Christiana religione mansuefactos à barbaris Iaponiæ legibus defecisse. Nec eorum promissis fidens, petijt etiam atq; etiā, vt in sui gratiam arma huius expeditionis ducibus tradenda exuerent, hoc vltimum fore, quod eos esset in hac vita rogaturus, postremum hoc ægrè, tandem tamen impetratum. Et quoniam aliam esse nouerat consuetudinem superiore ferociorem, vt aliquot è famulis, quos accepta beneficia hero arctius obligassent, discisso ventre vna cum ipso proprijs manibus interirent, quod mortuus impedire non potuisset, accepto à singulis ac Iustæ coniugi, quæ huius auctor fuerat, tradito in scriptis Sacramento, fore neminem qui hoc lugendi genere fidem in herum suum barbarè testaretur, viuens impediuit. Ad hæc stupebant è lictoribus aliqui, cum inaudita Iaponiæ, Christianæ mansuetudinis facinora spectarent. *Qua cum famulis egerit.*

His ita peractis ad expeditionis duces è suis vnum emittit, qui renunciet Christianos nonnulla quæ ad salutem animæ suæ spectant, hoc extremo vitæ suæ tempore procurare, petere sibi ad ea concedi non diuturni temporis interuallum. Libenter illi ac vrbanè conceditur. Accersit igitur amanuensem, & aliquot literas scribenti dictat ad nonnullos de hoc in quem deuenerat extremo vitæ statu, voluit tamen à solita scribendi formula quæ ventrem dissectum sonat abstineri & Christianum loquendi morem apertè substitui. Inter eas literas vnas ad filium dedit, modestas illas & Christiano parente dignas veniā ab eo ipso petens, à quo maximè fuerat offensus. Idē Safioie per literas officiū exhibet, etsi non ignoraret sibi ab illis mortem procuratam. Ad propriora deinde morientium auxilia se conuertit, Euangelicam sibi de seruatoris nostri tormentis narrationem prælegi non cursim iubet; tum breuem de pœnitentis animi sincera contritione commentarium, cuius actus quām potuit tenerrimos, vt facilè mors imminens elicit, iterabat, & vt confessionis partem qua posset arte suppleret, genibus coram sacra imagine positis, grauissima quæ tū occurrebant memoriæ delicta clara voce coram omnibus famulis commemorabat, ad quos conuersus demisissimè præteritarū in eos offensionū veni- *Ad mortem se comparat.*

quam tamen iniuriarum ab ijs illatarum quibus nihil nocuerat memoria antiquos impotentis animi impetus suscitabat, ac tametsi eos intra rationis limites contineret, videbatur tamen sibi nihil proposito suo aduersari, si calumnias aliquas elueret, si nonnullorum animos datis literis mitigaret, si exilij sui fortunam, infortunio potius quam vllis in Imperatorem offensionibus arrogaret. Ergo subinde ad magnates aliquos modestas de rebus huiusmodi literas dabat. Sed quia pauci sunt qui cum aduersa fortuna conseruent nedũ contrahant amicitias, nihil his literis prodesse sibi potuit, nocere quamplurimum, quòd nihil interesat amicorũ desperato succurrere, inimicorum referebat etiam desperatum opprimere. Nouerant illi Ioannem natura sagacem, nec facile quieturum, nouerant eloquentem, & nonnullis calumnijs oppressum denuo posse emergere. Ergo Michael ipse filius agente pellice Imperatoris pronepte, & Safioie malorum omnium incentore & consiliorũ Michaelis ex Imperatoris mandato, moderatore, filius inquam, proh nefas, parenti mortem machinari maluit, quàm sui status amittendi, quem nuper impetrauerat, discrimen incurrere. Sed perdidit, vt videbimus, illius industria, qui tantorum scelerum author fuerat Safioie. Cum igitur in itinere Arimam repetentes tantisper substitissent, in regiam remittunt, qui nouis criminationibus exulem obruant; nec difficile fuit inauditũ & amicis destitutum, pręsentiũ ac potentiũ fauore opprimere. Ergo Imperatoris iã offensi voluntate, capitis damnatur.

Quæ causa mortem illi procurarit.

Hanc vltimam Imperatoris voluntatem Ioanni renunciandam & exequendã senatus regius gubernatori illius oppidi in quo exulabat, & filio gubernatoris Miacensis demandauit. Ij stipati supra centum & quinquaginta militũ satellitio, quinto Iunij anno 1612. cùm illucesceret Ioannis ædes obsident, & Ioanni renunciari iubent, vt nisi sententiam in se capitis admittere velit, ventrem sibi de more laceret. Hanc subitam sed non planè inexpectatam denunciationẽ Ioannes tanta vultus serenitate animiq; magnitudine excepit, vt pacatissimè responderit, non deesse animosas manus quas sibi violentas adferret, nisi Christiana lege quam à iuuentute professus in morte cõseruabat, à tã immani scelere deterreretur, interim præscripturum se rationem, qua regia voluntas effectum sortiretur ita pacatè, vt qui aduenerant militibus nullis armis esset opus.

Capitis sententia Ioanni renunciatur.

Nam cùm in simili casu solenne sit famulis per medios lictorum

enses ruere, vel heri mortē vlturos vel inter vlciscendum perituros, omnes ad se quamprimum vocat, rogátque vt ab omni iniuria sibi temperent, neq; se viuū aut mortuū vllo tempore vlciscantur, memores se Christiana religione mansuefactos à barbaris Iaponiæ legibus defecisse. Nec eorum promissis fidens, petijt etiam atq; etiā, vt in sui gratiam arma huius expeditionis ducibus tradenda exuerent, hoc vltimum fore, quod eos esset in hac vita rogaturus, postremum hoc ægrè, tandem tamen impetratum. Et quoniam aliam esse nouerat consuetudinem superiore ferociorem, vt aliquot è famulis, quos accepta beneficia hero arctius obligassent, discisso ventre vna cum ipso proprijs manibus interirent, quod mortuus impedire non potuisset, accepto à singulis ac Iustæ coniugi, quæ huius auctor fuerat, tradito in scriptis Sacramento, fore neminem qui hoc lugendi genere fidem in herum suum barbarè testaretur, viuens impediuit. Ad hæc stupebant è lictoribus aliqui, cum inaudita Iaponiæ, Christianæ mansuetudinis facinora spectarent. *Qua cum famulis egerit.*

His ita peractis ad expeditionis duces è suis vnum emittit, qui renunciet Christianos nonnulla quæ ad salutem animæ suæ spectant, hoc extremo vitæ suæ tempore procurare, petere sibi ad ea concedi non diuturni temporis interuallum. Libenter illi ac vrbanè conceditur. Accersit igitur amanuensem, & aliquot literas scribenti dictat ad nonnullos de hoc in quem deuenerat extremo vitæ statu, voluit tamen à solita scribendi formula quæ ventrem dissectum sonat abstineri & Christianum loquendi morem apertè substitui. Inter eas literas vnas ad filium dedit, modestas illas & Christiano parente dignas veniā ab eo ipso petens, à quo maximè fuerat offensus. Idē Safioie per literas officiū exhibet, etsi non ignoraret sibi ab illis mortem procuratam. Ad propriora deinde morientium auxilia se conuertit, Euangelicam sibi de seruatoris nostri tormentis narrationem prælegi non cursim iubet; tum breuem de pœnitentis animi sincera contritione commentarium, cuius actus quam potuit tenerrimos, vt facilè mors imminens elicit, iterabat, & vt confessionis partem qua posset arte suppleret, genibus coram sacra imagine positis, grauissima quæ tū occurrebant memoriæ delicta elata voce coram omnibus famulis commemorabat, ad quos conuersus demisissimè præteritarū in eos offensionū *Ad mortem se comparat.*

veni-

veniam postulauit, ea verborum lenitate vt nemini non lacrymas singultibus mixtas excusserit; tum quod abeuntes aut morituri apud Iapones solent, aut vini aut aquæ feruentis vasculum puluere cuiusdam herbæ permixtum coniugi primum, ac famulis deinde singulis propinauit, eaque omnia ea vultus serenitate, & animi quiete faciebat, vt non iam moriturus, sed tantùm abiturus videretur, quibus ita suorum corda molliebat vt nemo quicquam eloqui, nec nisi singultibus ac suspirijs animi sui potuerit sensa patefacere. Quin ethnicis ipsis aliquot, qui ingressi fuerant, spectatores, triste sed pium spectaculum, ex oculis lachrymas ab vtroque motu excitas exprimebat.

Demum ad extremam huius tragœdiæ catastrophen venitur; duas è storeis more Iaponensi compositas culcitras alteram alteri superponi iubet, in suprema illarum parte Christi pendentis piam effigiem inter duos cereos accensos mediam statuit, tum in culcitras conscendens vestem ad amputandas ceruices sibi ipse componit. Et quia Iapones ignominiosum putant plecti se ab ijs qui eò in eum finem destinabantur, liberum illis est, à quo maximè velint, ictum præstolari, qui tum publicus iustitiæ minister habetur, maximè quod etsi multa in Ioannem accusatores confinxissent, propter nonnulla tamen non vt innocens plectebatur. Hac igitur ex causa vnum ex famulis qui sibi ceruices amputaret, designauit. Aderat huic spectaculo Iusta, quæ animo virili dolorem dissimulans ad ea maritum hortabatur, quæ tempus exigebat. Denique genibus flexis cum aliquo temporis spacio sola mente se Domino commendasset, inclinato capite percussori signum præbens vnico ictu obtruncatur. Iusta caput extemplo arreptum tenerè osculata, truncóque corpori mox reddens sibi hactenus similis in interius cubiculum se recepit, vbi naturæ castóque amori fræna laxans, lachrymis viam aperuit, ac Domino infortunium hoc suum & exilium, quod ipsa insons patiebatur offerens, suam cum ipsius voluntate composuit, & iam seculo nuncium remittens more patriæ crinem rasit, cuius exemplum quæ illam comitabantur imitatæ, famulis, vt idem facerent, præiuerunt.

Piè moritur.

Ad extremum huius spectaculi actum ingressi fuerant duces duo,

duo,quorum intererat & ex militibus alij spectaturi.Horum omnium communis fuit admiratio, nec paucorum comploratio, tum à ducibus herum sepeliendi facultas data: quod factum est more per omnia Christiano comitantibus honoris causa expeditionis huius ducibus cum vniuerso satellitio, sub noctem instituta. Funebris pompa hoc habuit admirabile,quod quidam ex neophytis clarè distincteque cantantium Sacerdotum & alumnorum voces precesque pro vita functis Ecclesiastico more recitari solitas audiuisse referebant. Quod cum famulus ille qui herum obtruncauerat clarè percepisset, ad Iustam accessit interrogans ecquid audiret, audiebam inquit dudum, sed rata me fortè solam audire, dissimulabam. Die tamen insequenti cùm ad explorandum nonnulli accessissent nihil vltra audiuerunt.

Atque hunc maximè finem habuit Ioannes Arimensis Exregulus,in quo Deus Ecclesiæ Iaponensis exemplum statuit non impunè à neophytis Christianam seruata fide (quod ille semper fecit ac procurauit integerrimè) negligi pietatem,nec principum rationibus diuina iussa postponenda. Is enim bis graue toti Iaponiæ dederat offensionem, primam cum Imperatoris iussu Christianus Christianorum onerariam inanem pertæsus vindictam aperto Marte conatus est deprædari, alteram cum Ecclesiasticis ritibus illigatum coniugij filium nouis sacrilegisque nuptijs cum Imperatoris pronepte implicari permisit. Et factum est vt inde illi extrema tandem pernicies obuenerit, ac post eum deinde, vt suo loco dicetur, filio prope extrema, vnde rerum suarum sperauerat incrementa. Elusit quidem Ioannem antiquæ possessionis,qua antè maiores potiti erant,desiderium,quot vt facilius assequeretur, in prædictum libens consensit filij connubium. Licet enim illud nefarium esse intelligeret, alia tamen via id etiam se nolente futurum prouidebat, quo facto grauem sibi Imperatoris iram & filio simultates conflare timebat. Accedebat ad hæc,quod accepta,quam sperabat,prouincia, omnibúsque gentilium superstitionibus ex ea euulsis, nouísque Deo templis erectis, contractam culpam abundè expiandam existimaret. Sed eum postea insperatus rerum fefellit euentus,serô lamentantem atque errorem suum fatentem, cùm diceret

F Deum

Deum peccato ad vniuersæ Iaponiæ conuersionem non indigere, neque felices habere exitus, quę via non iusta procurarentur. Quòd si tamen eiusmodi aliquid ex animi sententia aliquando succederet, Dei esse, quicquid in eo boni inesset, ad mortales verò solum delicti sui malum pertinere. Itaq; priusquam Surungam proficisceretur omnia ante actæ vitæ flagitia manantibus lachrymis expiauit.

Ioannis olim somnium admirabile.

Quod iam diu antè videtur illi diuinitus esse prædictum. Cum enim, vt ante dixi, sub annum 1590. prodigiosa crux Arimensi in agro apparuisset, paulo antè quàm proderetur viso nocturno est in hæc verba præmonitus: Quare in finibus tuis Crucem non humana manu factam, si bene vixeris illius ope te ac tua tuebor, si contra feceris ego te ac tua perdam; quod qui hæc legerit ad finem in Arimensi regno videbit impletum. Sperari tamen merito debet de morte ita piè Christianeque obita iacturam illam, ex peculiari Dei fauore, intra huius vitæ terminos constitisse.

Quid Iustæ, quid eius famulis postea factum.

Iusta nondum mariti morte satis luisse visa est Imperatori, quæ non admiserat, nam in eo ipso exilio arctius custodiri iussa est nec ad domestica obsequia permissa nisi duas ancillas & tres famulos retinere, quam solitudinem ita tulit, vt filio, quem ex primis nuptijs susceperat spondenti, se libertatem impetraturum, respondisse dicatur, sibi certum esse totum triennium ad mariti tumulum preces fundere; quo exacto se illius ossa Nangasaquium vel etiam Macaum extra Iaponiam vna cum Patribus Societatis, si eo relegentur, elaturam. Eiusdem Imperatoris iussu famuli omnes traditi sunt Michaeli apostatæ, parricidæ & breui tyranno Arimensi; qui spectata heri sui morte mores ita composuerunt, vt qui liberius vixerant, se collegerint & firma de seruanda Christi fide, si ad eam abdicandam ab hero recentiore lacessantur, proposita conceperint.

ARIMENSIS DYNASTA NEOPHYTOS persequi aggreditur.

CAPVT XI.

Persecutio turbini cōparatur.

NOn ineptè hæc in Iaponensem Ecclesiam procella, turbini comparatur, qui ab vna cœli parte ingruens omnes quidem simul

mul

mul territat, sed non omnes vnà obruit; ita vicissim illa ex alio in aliud regnum transuolans, pæne singulas Iaponiæ partes afficiens, tandem tamen occupauit vniuersas. Et quoniam secundus imber è regia in Arimensem agrum se transtulit, quam stragem ediderit, & quæ messis imbrem intrepida sustinuerit, ac primum quæ Arimæ, tum quæ in cæteris oppidis gesta sint, videamus.

Nouus itaq; Arimensis agri dynasta (quem ex nominis similitudine delusos audio nonnullos arbitrari, eum esse qui Pontifice Gregorio XIII. vnus è quatuor legationem è Iaponia primam ad sedem Apostolicã detulit, hic enim biennio ante in lucẽ editus legatus esse non potuit) dynasta, in quam, interim dum in itinere parenti mortẽ molitus cum Safioie moderatore suo subsistit, pręmittit è sua nobilitate quatuor omnino sibi deuinctiores, qui magna stipati militum manu suo nomine regnum adirent possidendũ; qui tametsi ne quas absente regulo turbas mouerent, nihil circa neophytos aut religionẽ, quę sola erat in eo regno Christiana, innouarunt, edicto tamẽ cauerunt, ne quis iniussu suo ac sine chirographo Arimensis agri fines excederet. Itaq; ad mare portus clausi, terrà militares excubiæ vias occuparunt, exeundi facultas indigenis non ægrè, nostris autem nulla permittebatur, vt pro ijs solis edictum vulgari appareret.

Edictum ne quis regno Arimensi excederet.

Totos dies quadraginta ea ratio suspensos omnes tenuit, cúmque nihil boni ominarentur, meliora tamen continuis à Deo precibus expetebãt. Tandẽ pridie illius diei quo Spiritus Sanctus nascenti Ecclesiæ mirabiliter illapsus est, aduenit ciuium suorum perturbator qui consolator esse debuisset. Ximabaræ portus est Arimensis agri, quò primùm appulerat, hic tantisper subsistit, dũ principes cõuenirent in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius In hoc cœtu id potissimũ cũ impijs agebant: Dirumpam⁹ vincula eorũ & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Quod vt facerent accomodatiùs, eligunt è cõfessorũ numero tres fidei Christianæ desertores, qui quod fecerant, alijs persuaderent, & efficaciùs, quòd illorũ interesset culpã suam eleuare, & vtraq; manu verbo exemplóque erroris sui socios euocare. Eos inter primarius erat inueteratus dierum malorum senex, quondam in ea secta, Ienxus vocant, quæ animum negat imortalem Sacrificulus, qui tempori seruiens ante annos 30.

Consilium initur contra Christianos.

 fidem

fidem Christianam in aures, salutares aquas in caput, non vltra, admiserat; alij duo vel à vita licentiore, vel ab honorum cupiditate in defectionis barathrum lapsi secum plures inuoluebant. Huic trium capitum Cerbero committitur vti latratu suo neophytos terreant, atque sollicitent; & vt in malis mora nulla est, ex eo ipso portu edictum conscriptum. Vetari tota Iaponia Imperatoris auctoritate legem Christianam, cui consentiens dynasta iubet eam suis terris exterminari, qui repugnabit legibus, obnoxius pœnas dabit. Fieri tamen liberam cuique sectam quæ magis è receptis tota Iaponia placuerit eligendi, agrum singulis ad restituenda cuique sua fana designandum. Hoc edictum locis omnibus toto Arimensi agro frigidè satis initio edicitur, & tamen hoc primo strepitu non defuerunt, qui castra deseruerint, maximè in pagis, ethnicorum agro conterminis quo sese antea cõtagionis aliquid è proximo vulgauerat.

Edicto Christi sacris interdicitur.

Biduo in his exacto Arimam è portu nouus dynasta contendit, & ne nesciretur, quo animo veniret, obuias aliquot Cruces iussit deturbari. Interim tres illi iudices triumuiratus sui sedem in senioris ædibus, qui ætate ceteros & impietate anteibat, delegerunt, è qua nouo edicto, quos accersere statuerant, & his expugnatis ceteros terrere aggrediuntur. Edicunt igitur, eum qui superiori dynastę voluntati parere cunctabitur, bonorum suorum, vt leuissima pœna, sit proscriptione contumaciam luiturum; è qua proscriptione rei cum liberis & vxoribus, præter nuda corpora nihil essent elaturi, nec ab amicis quicquam speraturi, quos ab omni humanitatis genere atrocissimæ pœnæ deterrebunt, nec externa subsidia intra fines retinendis circumspicienda, vt inedia palam in ipsis vicis perirent contumaces.

Edictum tertium.

Contra huius edicti atrocitatem pugnaturi neophyti se spiritalibus armis munierunt. Nam præter continuatas in sacris ædibus preces, præter ieiunia, flagellationes, ac ceteras corporis afflictiones, sodalitia ipsa continuis Patrum adhortationibus eum ardorem conceperunt, vt plerique scripto sacramento se adstrinxerint illud ipsum proprij sanguinis chirographo confirmantes se hunc ipsum sanguinem in fide Christiana tuenda fortiter exhausturos & huiusmodi chirographo subinde quingenti se, alias plures paucioresúe obli-

obligabant. Hic Neophytorum ardor accreuit, cum cœpti sunt à Iudicibus nobiliores euocari, nam viginti aut triginta cum pridie monerentur vti se sisterent triumuiris, ipso diluculo Missæ sacrificio intererant, peccatisque expiati cœlesti epulo vires confirmabant in arenam prodituri. Quod si quis improuiso euocatus hoc præsidio caruisset, mox à prælio præmium in eodem conuiuio reperiebat. Et quoniam Sacerdotes in æde Sacramentorum administratio continua detinebat, partita in alumnos ciuitate, vicatim confirmandis ciuibus vacabatur, quin illi ipsi pugiles, qui à prælio victores redibant, in huius laboris partem ideo vocabantur, vt quo ardebant igne ceteros inflammarent. Quin etiam delectæ sunt piæ matronæ quæ vicos obeuntes eodem cum suo sexu munere fungerentur: quę ratio à Patrib⁹ semel introducta, sicubi in narratione deinceps omittetur, nihilominus introductã puta. Hæc enim sunt huiusmodi, vt non nisi cum fastidio sæpius ingerantur. Hinc in neophytis tantum exarsit Christiani ardoris incendium, vt alij alijs serio gratularentur, quòd in hæc tempora deuenissent. Nec animus iste militares animos duntaxat à natura & exercitatione ad gratiam & huiusmodi constantiam comparatos inuasit, ne naturæ, quod erat gratiæ referretur, acceptum, sed nec pueros ætas, nec fœminas sexus, nec puellas vtrumque ab hoc impetu retardauit. E quibus frequentes cùm ad expianda primùm peccata genibus aduoluerentur, à Sacerdote pueriliter interrogati respondebant, se martyrium affectare. Quos gratia docebat, prius Deo suo mori velle, quam mundo viuere occepissent.

Christianorum ardor.

PRÆCLARA CORAM TRIVMVIRIS NONnullorum confessio.

CAPVT XII.

NObilissimorum Athletarum coram triumuiris responsa & constantem in religione retinenda firmitatem non ingredior, exhausturus id omne quod ea de re scribi potuisset, sed nonnulla de multis electurus, ne in fastidium multitudine, in desiderium negligentiâ lectorem inducam, sed media incedens via conabor paucitate fastidium, electione desiderium temperare.

Inprimis euocatus, in paucis ſibi conſtitit Thomas neophytus è Cami oriundus, cuius etſi nota eſſet in alia procella ſub Canzuie regni Fingo dynaſta anno poſt ſecularem ſecundo firmitas, denuo tamen eſt tentata conſtantia. Verum ille cum accerſiretur ne domo quidem exeundum ratus, paucis verbis ſcripto conceptis triumuiros illos de ſua ſpe deturbauit, Vt vt ſit, ſcribebat, neque ego neque frater meus Matthias in Deum vllam perfidiam admittemus, in huius rei fidem chirographum propria manu firmauimus principi noſtro exhibendum, cuius erit eo lecto de vita noſtra fortunisque vt maximè voluerit diſponere. Hoc factum excepit totius familiæ ad martyrium accurata comparatio, excidit tunc tamen ſua ſpe, nam per ipſum tyrannum licuit illi peculiari gratia fidem ſuam publicè retinere, qui ne tali cliente priuaretur, maluit de religione aliquid quam de rerum ſuarum ſtatu reſcindere. Sed in annum ſequentem dilata eſt palma, non ſublata.

Thoma conſtantia.

Damianus alius neophytus omni triumuirorum arte & auctoritate tentatus, hoc vnum reſpondebat, Chriſtianus ſum & ero etiam cum vitæ diſpendio. E iudicibus vnus, non neſcius quam carus eſſet dynaſtæ propter parentis memoriam, qui in bello graui fortiter pro patria dimicans perierat, in ſe ſuſcepit illius negotium. Ergo priuatim aggreſſus eum, cum lacrymis rogabat, vt procliuem in ſe heri animum admitteret, tanto ſuo fructu, tanto illius ſolatio. Damianus autem ſibi notum eſſe dynaſtæ animum, in cuius obſequio adhuc ceſſiſſet nemini, aut hac vna re excepta ceſſurus eſſet, quibus remunerandis vnicam Chriſtianè viuendi libertatẽ ſibi ſufficere, Se quidem ſi duas vitas haberet alteram dynaſtæ obſequijs conſecraturum, ſed hanc vnam quã habet ſe Deo ſuo maioriq; Domino debere. Iudex dimiſſum ſibi ſinit, Damianus ad maiora ſe parat ac ſi eſſet extemplo cum tota familia moriturus, & vt conſtaret, quã libens omnia dimitteret, vniuerſam domũ euerri, arma concinnari, ſupellectilem componi iubet, vt ſua omnia dator hilaris eleganter expoſita raptoribus exhiberet. Quę dimiſit ille quidem omnia crudeli bonorum proſcriptione cum ſolis veſtibus quas tum induerat vna cum vxore ac filijs quos habebat quinq; relegatus. Seceſſit ille eadem ſemper vultus hilaritate æquabilis, in vallem quandam, vbi ſcopu-

Damianus poſt multa pralia relegatur.

ſcopulum paulo commodiorem legens ſtramine mapale ſibi ſuisq; conſtruxit, ibi cum ſuis inediam ac temporis iniurias toleraturus. Et omnium tanta erat hilaritas, vt is, qui non habuit, vbi caput reclinaret, vnà cum ijs commorari, minimè dubitetur.

Quid dicam de Ioanne viro nobili & coniuge Iſabella regis Bungenſis olim Franciſci priuigna? nam à triumuiris fruſtra accerſiti, tandem proſcribuntur nouo illo intra regnum proſcriptionis modo, quo illis igni & aquâ interdicebatur. Ergo cum ſolis veſtibus eiecti domo nemora petebant, poſtea Nangaſaquium ire permittuntur, clam tamen voluit illum regulus ab vno è ſuis præfectis detineri, ne talis viri auxilio deſtitueretur. Is eum intra ſtramineum mapale cum ſuis recipiens media ſub vrbem leuca occultauit, ibi diſtributis horis aliàs orabant, aliàs manuum labore vitam quærebant. Puerulus annorum tredecim lignatum ibat in montem, vxor in proximo torrente pannos lauabat, ac deniquein ſummis rerum omnium anguſtijs læti viuebant. *Nobilis familia exsilium.*

Sed quæ Adriano domi acciderunt omittenda non videntur. Poſteaquam enim aliquot iudicum impetus intrepidus eluſiſſet, poſthac intelligere cœpit agi de capite, in quo vna eũ cura tenebat dubium an vxori & infantulæ Catharinæ defuturus eſſet animus ad tormenta; angebatur hoc metu; nec vxori aperiebat, illa verò de ſe quoque ſecura eadem circa maritum cura laborabat, nec vltra diſſimulans ita eum aggreditur Adrianum noua Natalia (quamuis Iſabella diceretur) Conſta tibi Adriane, viam ſalutis aggreſſus ne declines, eſto fidelis Deo tuo, ille tibi; ne terreant tormenta, ſua breuitate tolerabilia, oculos in altum erige, vbi Chriſtus regnat & certantes coronat. De me quidem ſic habeto, ſi defeceris in minimo, conſortium meum deſpera, triſtis viuam aut moriar, ſi tale quidpiam audiuero. Non capiebat ſe præ gaudio Adrianus, ſed denuo ſtringens vxori manum, nouum coniugium communis non vitæ ſed mortis contraxerunt. Filiam ipſam parentum animus corripuit, ait enim mater: Catharina, pro Chriſto mactabimur, & tibi quid erit? vobiſcũ, ait illa, paradiſum petã, & ſeriò velut cũ parentib. moritura, puerilia crepundia inter ęquales ſponte diſtribuit, ne quid eſſet cuius amore à cõmuni morte pro Chriſto obeũda retinere- *Inſignis alterius familia conſtantia.*

neretur. Sed hic ardor omnis tyranno conniuente intra vota sese continuit.

Neophyti præsente morte constantia. Longiora cum Thoma neophyto nobili certamina triumuirorum caput senex ille sacrificulus ita clausit, cùm iam ira fremeret nec se amplius contineret, Martyrium, inquit, affectas, ego te martyrem creabo, cedo mihi arma tua. Nec mora, Iaponenses animos ponens Christi miles se discinxit, & arma tradens ictui corpus parabat. Verum seni animus non fuit nisi ad minas: quasi verò plus possent, quàm præsentis supplicij terribile spectaculum.

Dum Arimensis nobilitas ad iudices illos vocaretur, non rarò contingebat absentes ac suis aut reguli negotijs extra vrbem occupatos euocari, hi ne sibi deessent, alij redibant, alij quod vetarentur, ne quid offensionis ceteri neophyti caperent, solemni se in hæc verba sacramenti formula astringebant, quam formulam ad nostros, vt ceteris exhiberetur, destinabant. Nos infra scripti iuramus per Dominum nostrum Iesum Christum, ac per sanctissimam eius parentem ac virginem Mariam, per omnes Angelorum ac Diuorum cœtus in Christiana religione perseuerantiam, irruat in nos hac de causa quicquid irruerit. Et iterum constanter promittimus, nos huic nostro proposito nunquam, adspirante Dei gratia, defuturos.

NEOPHYTORVM ALIQVOT PROscriptiones & constantia.

CAPVT XIII.

Nvllus erit finis si singula constantis in retinenda religione neophytorum animi facinora prosequamur. Quis tamen omittat quæ sequuntur? Insignem neophyti cum filijs duobus proscriptionem ac deinde alterius, huic synonymi mortem fortissimè in Christi causa obitam persecutus Arima discedam, vna cum socijs antiqua sede sua pro eadem Christi causa relegatis. Vterque Leo vocabatur & erat; priori duo filij Michael ac Matthias parenti pares: fortes creantur fortibus. Hi in circum à triumuiris euocati facti sunt in arena spectaculum mundo Angelis & hominibus, nam antequam lacesseretur Leo rugijt in hunc modum, Nihil

est,

est, quod nobiscum tempus teratis, neque ego neque filij mei pro quibus spondeo fidem Christi quam profitemur abdicabimus, tametsi hac in causa fuerit moriendum. Quo dicto victores ex arena se, nullo salutato, proripuerunt, ac spectatores illos, aut potius prouocatores victos cum perturbatis animi sui motibus pudore rabieque confligantes inter se dimiserunt. *Constans Leonis responsum.*

Leonem in posterum non sunt in arenam ausi reuocare. Michaelem tamen catulorum alterum denuo tentarunt, Cerberum cum leonis catulo conferentes, præcipua pugna fuit cum seniore ceterorum capite, nam ille simulata lenitate de more se insinuans, hinc spes in dynasta reponendas, illinc pœnas à tyranno timendas proponebat. Simili latratu parabant alij duo sine morsu territare, quos præueniens Michael ait, frustra collatratis omnes: mihi vincendum aut moriendum, quanquam prima erit in morte victoria. Senex ætatem allegat, quam seniorum auctoritati cedere, nedum iuuenili ardore repugnare oportebat, nominat eos qui eodem in puluere cedere non dubitarint. Sed frustra. Viderint alij, Michaeli certum est neminem audire qui alia quam Christi voce loqueretur. Mouit seni stomachum diuturna cum iuuene colluctatio, è quo stygio vomitu antiquum de animis mortalibus errorem ructans, quem Christianus olim in corde seposuerat, nunquam deposuerat, ait; Vnde certus es esse vitam alteram, cuius intuitu præsentem spernis? è cuius inde redeuntis ore pœnas aut præmia didicisti? Certius ait Michael hæc noui, quam vt cuiusquam narrantis fidem exigam, hæc fide didici eo reuelante, qui æquè fallere quàm falli repugnat, tu cum hac luce careas nō vides, & rationum momenta quibus euinci potes non capis, neque meum est, ea docere, quæ didici, retinere meum est, Christianus enim sum, Christianæ legis doctor non sum. *Non absimilis filij constantia.*

Non tulere diutius tenebræ lucem, nam è iudicibus duo qui iam cœcutiebant quidem sed nondum lucem omnem amiserant, nouo splendore perstricti vultum auerterunt, & manu opposita occultarunt, non ferentes suam ipsorum defectionem cum tanta firmitate componi; Senex verò qui nunquam oculos aperuerat veritati, ne præsentis quidem lucis splendores aduertebat, sed in rabiem versus, Michaelem latronem ac degenerem appellauit, latro-

nem ideo, quod heri sui stipendijs antehac vixisset ad omnia quæ iuberet minime comparatus; degenerem, quod illius causa pœnas infernis in ignibus paratas pati nollet. Ad hæc ita Michael, Nobis hic agendum Christiane non militariter, liberè vtere contumelijs, quas spernit, qui mortem in votis habet. Et hoc dicto parentem imitatus in primo congressu luctantem, abit ex arena bis victor, ad vlteriora prælia vires continua comparatione cum parente ac fratre instauraturus.

Quis vnquã domini sui causa cupiat ad inferos descendere?

Verùm vni Michaeli è tribus funes ceciderunt in præclaris, cùm enim tyrannus à triumuiris didicisset quam irrito conatu laborarent valde anceps fuit, quid ageret. ne nihil tamen fecisse contra quod Imperatori promiserat deferretur, aliquot selegit ex ijs qui acrius obstiterant, in quos ceteri propius intuentes, suis rebus alieno malo consulerent. Ergo in quinque familias atrocissimæ proscriptionis sententiam pronunciauit, de qua proscriptione cum sæpe sparsim aliquid tetigerimus, nunc aliquid ex professo dicamus, ne alias sæpe repetamus: In ea igitur nonnulla erant ipsa morte terribiliora. Primùm enim vniuersa familia id est paterfamilias, vxor, proles omnes detractis famulis omnibus proscribebantur, tum præter vestes quibus tum inclusos esse contigerat, aliud planè nihil efferre permittebantur, deinde à reliquo hominum consortio, oppidorum pagorúmque commercio arcebantur, præterea seuerissimis pœnis interdicebatur ne quis vllo humanitatis genere illorum miseriam subleuaret. Denique ab externis auxilijs aliquid sperare ideo prohibebantur, quod Arimensis agri fines egredi per occupatos portus, & interceptas vigilijs vias non licebat. Ex his facile est colligere quanta incommoda nascerentur.

Quam atrox esset proscriptio.

Egreditur igitur Iunij 20. nobilium familiarum in Christi causa certantium manipulus capitum supra viginti, inter quos Michael Leonis filius cum vxore ac filiolis duobus, & vt esset maior meriti seges è cœlo placuit hunc exitum ex Ægypto continuis id temporis imbribus irrigare. Ibant in proxima nemora, & instar mysticorum illorum animalium vnusquisque coram facie sua ambulabat. vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambularent, *in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis*

Aliquot familia exulant.

luncis & in cauernis terræ. circuibant egentes, angustiati & afflicti, quibus dignus non erat mundus. Et Michael quidem cum alio cui nomen Mancius, postquam vxores ac filios clam apud neophytos deposuissent, ipsi ne se ipsos hac de Deo benemerendi occasione priuarent, in proximum nemus inscijs omnibus ab vrbe leucam vnam secesserunt, nec ea contenti penuria, quam secum locus afferebat, indicto sibi ipsis silentio biduum triduúmue præter agreste quoddam pomum nihil gustauerunt. Vires iam illos sensim deficiebant, cum egressi nemore ad cogendam stipem incidunt in hominem pluuia è stramine lacerna more Iaponensi tectũ, ad eum cum venissent Michael famulum, famulus herum agnoscit, qui clam Arima egressus, herum suum temerè per agros errans quærebat, inuentum lachrymis magis quàm verbis salutans Oriza cocta, quam secum ferebat, vtrumque refecit. Michael dimissum iubet silere ne à neophytis visitatoribus, qui eos vestigabant, reperti, solatium acciperent, aut solitariæ vitæ studium interturbaretur.

Sed frustra, nam inuentos neophyti tum hos tum cęteros pœnarum omnium contemptores omni Christianorum obsequiorũ genere fouent ac recreant: nec illi solùm qui Arimensem agrum incolunt, sed postquam huius proscriptionis fama finibus egressa contineri non potuit à vigilijs quin erumperet, irrupit mox è vicinis regnis ad eos visendos ac recreandos tanta hominũ multitudo, vt sopito primo illo gratulantium & caritatis tumultu tutius visum fuerit nostro Sacerdoti qui eam vineæ partem è latebris quoque suis excolebat, in secretiorem omnes locum cogere, concurrentium frequentiam cohibere, vt vnum omnibus obsequium facilius esset, & in vnam partem concursus minus notaretur. In secretiorem itaque vallem secedentes mapalia singuli sua construxerunt, & Thebaidem illam in Iaponiam transferentes, suis velut cellulis distincti Anachoretarum veterum speciem exprimebant. Ter intra octauum quemque diem ieiunabant, tempus suum horis distributis orationi, rerum spiritalium inter se tractationi dabant. Necessaria porrò ad vitam sustinendam officiorum onera inter se partiti viri nobiles, fœminæ delicijs assuetæ, pueri ludicris exercitijs domi suæ dediti cœnobium quoddam erexisse

Qualis exulum vita.

videbantur. Michael cum vxore Mexia annorum non plus viginti Marthæ officium sibi in culina delegerat, nec adduci vnquam potuit vt in propinquorum ædibus quo eam initio receperant, latitaret. Ad eos subinde noster Sacerdos excurrebat, quibus Episcopus & Societatis nostræ Præpositus & sua & neophytorum auxilia clam sine tumultu, rebus iam melius constitutis submittebant. Quin ad eos etiam ex famulis aut ancillis aliqui ventitabant, nec eiici se sinebant ab herilibus obsequijs. Et fuit ex ijs Agnes nomine, quæ cum in grauem morbum incidisset redire ad suos noluit, sed hoc exilij loco sanctissimè moriens ad patriam emigrauit.

LAPSI NONNVLLI RESIPISCVNT, ET Arimensi agro nostri expelluntur.

CAPVT XIV.

INterim dum acriter impetus triumuirorum multi sustinent, non defuere quoque nonnulli, quos fortunarum, honorum, familiæ, vitæ denique amor à proposito deturbauit, ideo fortasse præter alia permittente Numinis consilio, vt qui stabant aduerterent, *quod non manus nostra excelsa facit hæc omnia, sed Dominus.* Ex ijs tamen plerique varijs temporibus ita in se redierunt, vt teporem suum nouo ardore sarcirent. Ex his meo instituto vnum alterumue seligam ceteros relinquens æquo rerum æstimatori.

Inter primos ab instituto cōtra neophytos Arimenses triumuiratu, quidam euocatus ita responderat, vt elusisse iudicum quæsita, potius visus fuerit, quàm apertè defecisse. Huiusmodi responsio pro tacita defectione non sine offensione neophytorum habebatur, ac ne ad plures ea dissimulatio perueniret, si religioni sibi non ducerent, in religione titubare, seriò monetur à nostris, quàm sinistrè accepta fuerit eius tergiuersatio, quantum inde mali ad cæteros offensione peruenerit, quantum posset ad plures imitatione peruenire. Nō distulit emendare neophytus, quod fortasse potuerat excusare. Ergo ad senem illum è triumuiris primum pergit, clarè aperit de religione quid sentiat, exponitque quod ante dixerat obscurius. Proditio est ista, exclamat senex, inopina firmitate perculsus.

Dubius in fidei professione se corrigit.

fus. Neophytus (Leo vocabatur) non proditio, inquit, sed professio. Ego enim proditor non sum, sed Christianus. Hæc omnia iube dynastæ renunciari, nam in his mihi proposui mortem præmium factæ professionis. Et his dictis abijt è cõspectu, res suas omnes & maximè seipsum proximæ neci, vt arbitrabatur, aptaturus. Verùm aliter planè cecidit, nam senex delator à dynasta reprehensus quod eum solicitasset, & quod minimè sperabat, liberam forti neophyto Christianè viuendi facultatem impetrauit, ideo quòd eius generis clientes publicè benemeritos conseruari oporteret.

Alius cùm varios insultus sustinuisset defecit tandem, quem vxor, Monica dicebatur, eo eiulatu excepit, ac si mortuum accepisset, effecitque quod olim illa Monica de filio ne tot lachrymarum maritus periret. Inspexit ergo seipsum & correxit: iustis tamen ex causis totos quinquaginta dies à cęterorum communione seiunctus, vt Ecclesiæ restitueretur nondum impetrabat, quod spacium vterque lachrymis communibus expiando crimini decurrebat. Incidit per eos dies, vt hunc ipsum dynasta ædium suarum custodem, quas Sarungæ habebat, ablegaret. Is occasionem sibi elabi passus non est, palinodiam cantandi. Nam per internuncios Arimensis prouinciæ optimates duos dynastæ renunciari iubet, se tametsi sciret, quid sceleris admitteret humanis tamen rationibus adductum nuper apud iudices illius imperio cessisse, sed facti pœnitentem, summis precibus postulare vt si Surungæ opera sua vti vellet, faceret sibi publicam Christiano ritu viuendi potestatem, si non impetraret posse dynastam quem maximè vellet Surungam ablegare. Ad hæc pacatius quam sperabatur dynasta respondit, se nuperrimis edictis ac pœnis Christianam religionem persecutum, non posse sine leuitatis nota resilire, aut puerili ludo modò permittere, modò inhibere. Institit igitur per eosdem internuncios, vt quoniam non impetrabat, mors sibi vel proscriptio defectionis suæ pœna ne pœnitenti negaretur. Ad hæc dynasta; cùm admiratio furorem mitigasset, respondit sibi mortem exiliúmue in manibus esse, sed ne animaduersio Imperatorem iam monitum, nobiles omnes à Christi fide recessisse, dubium redderet, aut exemplo lapsos ceteros erigeret, conniuere se ac permittere, vt Christianus sit & habeatur,

Lapsus seipsum corrigit.

ita tamen, vt ne minus necessaria suæ religionis ostentatione videatur petulantius insultare. Hoc responso inter nobiles euulgato nondum contentus ad triumuoros illos se confert & defectionis suæ leuitate damnata, in Christiana castra recipitur, cum prius sceleris sui culpam impositis publicè pœnis expiasset, & offensionem nouo animi ardore sustulisset, & ita reddita illi familiæ lætitia ipse ad iter Surunganum sese victor accingit.

Atque hucusque in oues Lupi, tandem etiam in pastores ipsos sæuierunt: aduertebant satis eorum præsentia multos confirmari, nec seriò res agi videbatur, donec ipsi ablegarentur. Ipso igitur D. Antonij Paduani, vel potius Lusitani die sacro non multis post edictum diebus (fortasse in eam diem sæuire desierat, vt ægre faceret nationi Lusitanæ, quæ vt alias in Oriente permultas, ita hanc expeditionem Christianam cum tanto fructu complexa est) eo inquam die cùm nouus desertor cum pellice sua & Safioie malorum omnium incentore conuiuaretur, duos è conuiuio viros nobiles ad Collegium misit (quàm aptè Herodem cum sua Herodiade imitatus) quibus internuncijs hæc fere Patribus renunciari iubet, Imperatorem suum lege Christiana omnibus interdicere, eam ob causam sibi omnino non licere Patres illius legis præcones ac ministros in prouincia sua retinere: abirent igitur quò maximè vellent, sua secum efferentes, præter ea quæ Iaponensi de more efferri non solent. Hæc consuetudo est, vt proscripti ædes suas storeis instratas ex more, portis ac fenestris, & cetera lignorum congerie instructas fisco relinquant.

Patres nostri discedere Arimensi agro iubentur.

Hoc mandatum extemplo Collegij Rector Matthæus Cores tum Præsuli ac Præposito Prouinciali Nangasaquium, tum reliquis Patribus in singulas paræcias tota ea regione distributis, mittit renunciatum. Quod vbi euulgatum est, dubitari potest vtros perculerit acerbiùs hic nuncius, neophytósne an pastores: illi quippe se deseri dolebant, eo maximè tempore, quo euocari, si aberant, debuissent; his durum videbatur, tot annis cultam vineam vno die vastari, in qua ne vnus reperiebatur

palmes, qui non in Christo vite vera per Baptismum insertus esset. Ad eum ergo nuncium, qui perculsurus omnes videbatur, frequentiores in ædem nostram concursus fieri cœpti, ijque ita excreuerunt, vt in tyranno, quod assolet, metum suspicionemque sinistram excitarint. Ædes enim sacra ad pedem collis in quo arx eminet extructa omnia conspicienti obijciebat. Ergo immissis excubijs lupus oues à pastoribus arcebat. Neophytorum tamen ardor militarem in excubando industriam eludebat, aut superabat. Plerique conscensis, quà minus credebatur parietibus, aut mentito etiam habitu nobiles viri ac matronæ in ædem nostram penetrabant.

Quantopere neophytos ad nostros hic nuncius affecerit.

Et quoniam post mandatum dissimulante toparcha nostri dies aliquot substiterunt, per eos dies continuo labore diurnis ac nocturnis horis concurrentes neophyti salutariter expiati & Eucharistiæ Sacramento refecti dolorem suum, quem detergere planè non poterant, mitigabant, & futuro certamini parabantur. Et quod de Arimensi orbe dico, non minus de reliquis nostrorum sedibus dictum volo. Et sanè Arimensis Ecclesiæ virtus in hac procella superanda talis ab his principijs semper fuit, vt vniuersæ Iaponiæ exemplo esse possit, in retinenda fide nihilo minus, quàm antea fuerat in amplectanda. Interim enim dum triumuiri hoc ipso tempore omnes ad deficiendum prouocant, ipsi breuem pastorum suorum præsentiam in lucro reponentes in hunc fere modum se ad futura comparabant. Nec solùm viri nobiles aut è militari ordine, quibus natura aut exercitatione fere plus est animi ad spernenda pericula, sed ipsi negociatores & agricolæ, ac reliquum vulgus primorum exemplum & auctoritatem præire potius quàm sequi videbantur: è quibus permulti nouo more illustre subeundi martyrij sodalitium contrahebant, & adhibito iureiurando & gentis more chirographum educto sibi è digito sanguine confirmabant, alijsque modis necessitatem oppetendæ sibi pro Christo necis imponebant, ne quis fortasse tyrannorum aries conceptam animo excuteret firmitatem.

Accepto Nangasaquij tristi nuncio, req; in deliberatioẽ vocata,

tametsi neophytis videretur vti patres omnes huic primo furori cederent clam postea redituri. Patribus tamen visum gregem à pastoribus simul non deserendum, aut potius prodendum. Rectori ergo mandatur omnino, tres aut minimum duos nominet, qui etiam cum vitæ periculo sese intra regni fines occultarent. Fecit ille quod iubebatur, duos intra vrbem abdidit, alium extra vrbem, cui mox alij duo adiuncti sunt, qui rem Christianã, quàm prudentissimè possent procurarent. Ceteri magno vtrinque sensu ad mare deducti se Nangasaquium receperunt, vnde proximis consilijs, literis, excursionibus præsentiæ suæ auxilia supplerent. Eò cùm postea ipse Arimensis regulus excurrisset, clam ad Ecclesiæ Iaponiensis præsulem & Societatis nostræ Præpositum Prouincialem salutatorem misit propinquum quendam suum, quo internuncio multa ad se purgandum causabatur; esse se animo quo semper fuerat Christiano, sed ne patria hæreditate excideret cogi se ad ea quæ faceret, & quamuis sciret quanto se scelere astringeret, sperare se tamen mutatis temporibus omnia cumulatè instauraturum. Sed ea fide qua in Deum laborabat, nihil mirum si apud homines laborauit, cum exitus aperuerit, vel eum finxisse quod diceret, vel paulatim in deteriora prolapsum sensim has quoque scintillas extinxisse.

Arimensi ecclesia consulitur.

Multa post discessum nostrorum certis auctoribus portenta contigisse narrantur: sæpe ab excubitoribus, qui eo missi fuerunt, ac per multos dies auditi qui per domum inambularent, sæpe à neophytis auditum campanæ signum sub noctem pulsari solitum ad virginem salutandam, cum tamen non solùm nemo adesset pulsaturus, sed æra quoque campana nostri secum extulissent. Quin etiam ex agro suburbano incolæ narrabant se pulsum ad sacrificia solitum sæpius inaudisse. Sed nihil æque nouum fuit, quàm nocturnis horis, nescio quo die, in paucis apud Arimenses olim celebri, ab excubitoribus visam esse supplicantium pompam, quam nostri planè vt solebant, vnà cum alumnis explicabant. In ædem quoque suburbanam Deiparæ sacram cum desertor quidam dynastæ voluntate habitaturus concessisset, & postes ac valuas profanis simulacrorum sententijs fœdasset, nocturnis lapidationibus ita vexatum ferunt, vt de deserendis ædibus cogitaret.

Nonnulla prodigijs similia contigisse narrantur.

POST

POST MVLTA CERTAMINA LEO PRO *Christi fide fortis occumbit.*

CAPVT XV.

LEo ille de tribu Iuda qui moriens vicit, tulit vnum de leunculis suis & Leo factus est & docuit eum moriendo quoque prædam capere, cœlum ipsum, & dum vincitur victoriam reportare. Certaminis huius narratores sumus, & sumus illius spectatores & admiratores. Leo hic alter à superiore in Arimensi agro natus est in oppido Chingiuà tribus Arima non plus leucis, hic à puero in Christi militiam adscriptus sub prioris procellæ tempus imperante Taicosama, cum nostri Bungo pulsi prope Chingiuam suum collegium transtulissent contracta cum ijs familiaritate tantum in rei Christianæ abdita penetrauit, vt vnus haberetur in Arimensi agro ex ijs, qui nedum concuti multo minus excuti posse crederentur; nec aliorum de se opinionem fefellit euentu. Nam primis huius procellæ diebus cum Ximabaræ nouus prætor de re Christiana euertenda consilia misceret, ipse animo forti procellam ipsam sua sponte lacessiuit. Affinem enim dynastæ adijt Mimbu appellatum, qui Chingiuam regebat, ei exponit se posthac dynastæ, quod parenti fecerat, non alia famulaturum lege, quàm si sibi christianè viuendi publicam faceret facultatem, & interim dum responsum expectat, ab omni publici muneris parte se libenter continere.

Mutato igitur negotiorum genere, qui reguli sui obsequijs abstinebat, diuina, quod & antè fecerat, totus vnúsque tractabat, neque sibi contentus viuere & continua comparatione pro Christo mori, suâ etiam, vt erat apud suos primarius, auctoritate multa perficiebat, Christiano ardore omnia aggrediebatur, cursabat per domos, hortabatur ac prensabat omnes vti officij sui memores sibi Deóque constarent, vt concionator exinde videri malle, quam miles, non mutatis solùm vitæ studijs, sed armis quoque positis discinctus videretur, quam rem cum aliqui nouitatis notarent, aiebat, se pro Christo breui moriturum armis nullis indigere. Oppido deinde ipso cum contineri nollet, in proximos pagos excurrit, sparsitq; quo ardebat diuini amoris incendium. Id temporis post edicta *Leo.*

iam euulgata in pago proximo moritur neophytus, qui rei Christianæ præfectus erat (vt operariorum paucitas in eam Ecclesiam morem induxit) edictorum metu Christianæ sepulturæ ritibus abstinebat, Leo monitum adducere non potuit vti officio suo fungeretur. Ergo ille ipse rem aggreditur, affirmans se vitam ipsam, quam vnam tyrannus auferre poterat, in hac ipsa causa positurum. Contulit quoque se ad visendos intra nemora proscriptos, vt inde ignes suos augeret, quo sua subsidia deferebat: quin etiam in proximum regnum excurrere parabat, vt alijs isthic relegatis omnium fortunarum profusione succurreret.

Bimestri toto hanc vitæ rationem tenuit, nec adduci vnquam potuit, vt aulicis obsequijs vicem suam daret, hoc solo nomine quod nondum libera sibi esset à dynasta palam Christiano ritu viuendi facultas data: imò verò quo tempore in aulicos à triumuiris illis inquirebatur, ipse quoties Arimani petebat palam precatorios globulos è collo gestabat, nec eos vllis amicorum precibus seposuit, ne quam abdicatæ fidei vel debilitatæ suæ firmitatis suspicionem daret. Nec tamen his omnibus prouocatus dynasta seuerius in eum animaduertebat, quem sibi conciliare maximè cupiebat: tamen cum tribus perfidiæ monstris, velut cum Proteo ter Leo noster videlicet cum transfugis fortissimus athleta decertauit. Primus è triumuiris vnus, Camon dicebatur, dissimulato furore officiosis sermonibus blandè venena sua instillabat, asserens videri sibi iustum, vt principi suo libens ac volens assentiretur. Verum Leo, defecisse te Camon à Christo nescis quantopere bonos omnes offenderit, quid erit vbi te auctorem esse alijs vt excidant à religione vulgabitur? Sanè meminisse te oportebat à quo fueris puer educatus, cum à Præpositi Prouincialis Gasparis Cœlij latere nunquam discedebas, cuius in te beneficia id efficere debuerant, vt ceteris titubantibus vnus tibi ipse constares. His erubuit Camon: mittamus isthæc, inquit, & vna cum hero si ita collibuerit inferna supplicia toleremus. Non ita, inquit Leo, heri quippe nostri in nos auctoritas angustis huius vitæ spacijs continetur, quibus euolutis alia sunt imperia, diuersæ clientelæ; nam & modò si quem è vita functis suis clientibus euocarit, surdo canet. atque

 hic

hic hortator importunus silentio victoriam cedens victori se subduxit.

Alter qui eum altero sed non secundo impetu lacessiuit, affinis ille dynastæ Mimbu fuit, cuius opera liberam ab regulo Christianè viuendi potestatem petierat, is renunciauit posse si vellet locum & annuos à dynasta census his legibus retinere vt Christianus esset quidem sed ab externa religionis suæ demonstratione quoad fieri liceret abstineret. Gratijs propensæ vtriusque in se voluntati habitis respondit, se prius heros duos habuisse Arimenses dynastas Stephanum ac Ioannem fratres, & quoniam vterque viuens ac moriens Christianam semper fidem in magna temporum varietate publicè retinuerat, non esse sibi integrum ab eorum exemplis degenerem deficere, nec eorum auctoritate contempta nouo nunc per summam in Deum perfidiam cedere desertori; se tamen ei, si quam petijt, faciat facultatem, eam in omnibus extra religionem officijs, quam in præcessores exhibuit propensam clientis demissionem, nec aliter exhibiturum. quo responso Mimbu obstupuit, nec vltra nunquam cessurum lacessiuit.

Ad triarios iam ea res deuenisse credebatur, cum è triumuiris primipilus senex ille è sacrificulo impostor, ex impostore desertor Yamato ita Leonem est aggressus, initio quidem velut eblandiens propensam suam in eum imò etiam in ceteros neophytos voluntatem exaggerauit, à quo constabat cohibitum nuper dynastam, ne in neophytum Arijensem morte sæuiret: quæso te, interpellat Leo, vt me moneri cures, si quando in eum mortis sententia pronunciata fuerit, vt hortaturus ad eum & gratulaturus possim accedere. Dissimulato etiam tum scommate ait iudex, quid tibi cum precatorijs illis globulis, abde sodes, nec volens nolentes irrita; cùm Christianus, ait Leo, esse desiero. quæ cùm diceret, incurrit in oculos superstitiosa nescio cuius Idoli imago seu characteres in pariete: Quin tu hanc ipsam abdis aut mihi tradis exurendam, in quam numos aliquot inutiliter insumpseris, quod si facturus non es ethnicus, neque ego quod iubes Christianus. Tum indignatus senex, non euades inquit, in hac viuendi loquendique libertate, quod deinde noles euenisse. Nihil minus me angit, ait Leo,

Illius constantia tentata.

Leo, cum id vnum sit, quod dudum cupio, & in horas præstolor. quæ cum dixisset abijt, satis certus extremum sibi post hæc prælu-dia instare certamen, quod animi sui præsagium amicis Neophytis per eos dies cum valediceret Iaponensi de more poculum epotans apertè significauit.

Nec spes eum sua fefellit. Nam tyrannus à triumuiris incitatus, & maximè ab aulico imperatoris, quem rerum suarum testem ab Imperatore acceperat, persuasus, opus esse ad territandos ceteros, morte plecti alicuius libertatem, tametsi grauatè sibi eriperet insignem militem & antiquum clientem, mortis tamen in eum sententiam pronunciauit. Et vt res sine tumultu fieret, notæ virtutis animique hominem aggredi palam, aut reorum more comprehendi visum non est, nam ad interfectores ab iniuria tuendos his sæpe modis rei plectuntur, ne vel ipsi desperatè vitam tueantur, vel eorũ propinqui insolitam mortem ignominiam suam rati velut propriam vlciscantur.

Occiditur pro Christo.

Ergo quo die Assumptæ virginis octiduo celebrata solemnitas clauditur Leoni nostro cœlum aperitur. Nam amici tres dynastæ familiares ac Leonis commilitones eum per dissimulationem ad dynastam euocant, qui cum arma cingeret, quæ ante discinxerat, protestatus est, se id facere, ne tyrannum offenderet, si præter morem inermis eum conueniret, ea se positurum cùm de morte, ad quam euocari se sciebat, ageretur. Verum sicarij illi, dum in angustijs priorem ei locum cedunt, à tergo adorti primo inter humeros ictu inopinantem sed non imparatum propè diffindunt, qui ruens interim dum è latissimo vulnere copiosus sanguis ebullit, inuocans sanctissimum Iesu nomen arma proijcit illius memor quod ante fuerat protestatus; dum autem dextra manu signum crucis efformare nititur exspirauit, & intra triumphum suum sepultus vicit Leo de tribu Iuda, id est, Leo è confitentium turba triumphauit.

Ac ne dubitetur de causa martyrij ab ipso tyranno testimonium repetatur, is enim post extinctum Leonem filio Augustino renunciari iubet, se ipsi annuos parentis census & officij dignitatem confirmare; quem duabus ex causis occidi iusserat, primum quod testatus esset, se postquam Christianis seruierat, nolle sibi seruire

(vtpote

(vtpote desertori, quod ipse reticebat) tum quod nimis videri vellet, nec solum esse Christianus. Quam causam quis dubiam esse posse cogitabit, nisi si quis in ipsa luce meridiana cæcutierit. Sed ad gloriosi martyris nobiles exuuias, quas mortalis immortalitatis desiderio consecrauit, redeamus. Vbi auditum est Leonem occidisse, concursum est eo frequentiùs, quàm spectantis quodammodo ex arce proxima tyranni metus suadebat, ab his crines resecabantur, ab alijs vestium laciniæ truncabantur, à nonnullis tellus imbuta sanguine recenti radebatur. Ad eum deinde terræ mandandum duo nobiles neophyti, quorum alter est ipsius tyranni patruus, accurrerunt, proximo cæmiterio tantum pignus commendaturi. Sed aliquot ex neophytis indignum rati sacrarium illud in profano iam loco, quem desertori attributa possessio fœdauerat, asseruari, intempestæ noctis silentio Martyrem exhumant, nihil veriti vitæ discrimen, si fortè deprehenderentur, & intra triduum Nangasaquium quàm occultissimè delatum Societati tradunt asseruandum. Illud sine pompa, ne malum aliquod neophytis inde crearetur, in omnium Diuorum ædem infertur, vt cuius animus in cœlis Diuorum omnium consortio fruebatur, eiusdem corpus sepulchri iure in eorundem contubernium societatemque inferretur. Ea mors non solum non extinxit ardorem neophytorum, sed acrius inflammauit. Satis constat ex illis ipsis qui sibi defuerant, plures se in hoc firmitatis speculo inspexisse, damnatáque quam in se aduerterant perfidiæ fœditate lacrimis suis animi maculas eluisse, ac Ecclesiæ redditos blandæ matris amplexus reperisse.

Honor martyri exhibitus.

POST SOCIORVM DISCESSVM QVID *Arimæ contigerit.*

CAPVT XVI.

NEophyti Arimenses postrema quam à pastoribus suis acceperant refectione ex ouibus in leones mutati, vt ait Chrysostomus, ignem spirantes ab illa mensa recesserunt, & diabolo facti terribiles de illius ministris triumpharunt, non ij solum qui nullo accepto vulnere prælium adhuc integri sustinuerant, sed illi quo-

Neophytorum feruor.

que qui titubauerant, sibi constiterunt, qui lapsi fuerant, seipsos erexerunt, eámque rem tum demum prę se tulerunt, cum nouo impetu labefactari potius quàm confirmari posse videbantur. Cùm enim cuperent plerique quod negauerant recantare insignem illis publicæ professionis occasionem noua procella subministrauit.

Nescio quis simulacrorum sacrificulus cùm arbitraretur fortasse sociorum absentia pudorem defectionis è multorum frontibus detersum, autor dynastæ fuit vt per speciem exigendi à clientibus sacramenti certam diem diceret quo die in arce ipsa iuberentur omnes Idolorum volumen apud eam gentem sacrum, capiti venerabundi imponere, qui renueret non religionis solum specie reus, sed perduellionis etiam haberetur. Id vbi edictum fuit & indictum, mirum quanta hilaritate Arimenses neophyti spes quisq; suas fundendi pro Christo sanguinis innouarint. Lapsi verò pleriq; non negligendam restituendi lapsus tempestatem minimè neglexerunt, arbitrati nihil solemnius accidere ad fidem faciendam, nihil procliuius ad perfidiæ suæ pœnam plectendam posse contingere. Itaque solemni inter se coniuratione conspirant, se cœtu in medio simul omnes conclamaturos malle sibi ceruices amputari, quàm huius voluminis impia sarcina onerari; quod eum ritum violatæ fidei signum à neophytis exigi satis constaret.

Consilium de publica fidei professione ineunt.

Huius coniurationis sanctè contractæ fama toparcham ipsum permouit ne auderet quod imperauerat exigere, quod videret non solum spem suam eludi, quam auctore sacrificulo de neophytis è sua firmitate deturbandis conceperat: sed etiam intelligeret prope omnes quos tantis laboribus sibi vtcunq; adiunxerat vno momento à se defecturos. Ergo ne videretur rem subodoratus, indictam Sacramento infami diem distulit, non sustulit. Sed neophyti nullius vltra moræ patientes, denuo inter se conueniunt consilium in re dubia quæsituri; statuunt primam coniurationem nulla ratione vltra condictam diem prorogandam. Sed quoniam in publico ciuium cœtu quod constituerant fieri posse desperabant, ea ipsa die simul omnes ad primarium Arimensis agri moderatorem se conferrent, eóq; teste quod ante fuerat constitutum exequerentur.

Nec mora vbi condicta dies aduenit simul omnes ad moderatorem

torem regni se conferunt, ac primum præteritæ suæ defectionis palinodiam cantant, expressam religionis suæ professionem pronunciant, librum à gubernatore exigunt, pedes illi non caput oblaturi. Ceterum Arimensi dynastæ Sacramentum clientelæ Christiano ritu deferre se velle protestantur. Quæ omnia morte, vel si luberet proscriptione, paratos se confirmare potestati rogauerunt vti nomina sua remque ex ordine dynastæ nunciaret, quo præsente optauerant hæc ipsa pronunciare si res ita permisisset. Ad hæc cum primarius ille regni moderator, quique interfuerant obstupuissent, non iudicauit eam rem posse celari, sed ad dynastam ingressus Thomam quendam, cuius maximè ardor eruperat, præ cæteris detulit, effecitque vt in eum mortis sententiam pronunciaret, quam tamen vti reuocaret allatis multis rationibus ceteri moderatores euicerunt, & lentam in tristi exilio mortem impetrarunt; quam Thomas ita excepit, vt solatium amissæ coronæ agnosceret, & mitigatam pœnam, pro incremento laborum acceptaret. Alius etiam ex eadem causa, Gaspar dicebatur, omnium gubernatorũ machinis impetitus æque blandientes repulit, vt contempsit minitantes. Quin cum iisdem artibus per se ipse dynasta Gasparem aggrederetur, promissis reiectis vnam mortem aut saltem exilium pro beneficio petijt, & postremum à desperante victoriam tyranno impetrauit. Exequuntur.

Horum exemplum secutos deinceps plures cum quotidianis protestationibus gubernatores fatigarent, ad toparcham detulerunt; neminem prope esse qui non resilierit à lapsu, neminem qui adduci possit vt labatur. Quo audito ita excanduit, vt inuenili impetu pronunciarit in eos mortis sententiam qui ad defectionem suam reuocandam regni moderatoribus se stitissent, quos ipso momento iubebat plecti, nullo alioqui iuris aut iustitiæ ordine obseruato. Verum cum hac ex causa magna in senatu orta esset altercatio contendentium, hoc esse oleum in ignem inijcere, ita omnes vitæ prodigi credebantur, vt plerisq; mactatis aut fugatis terra in solitudinem redigenda videretur; euicit tandem solitudinis metus, & constantia pertinaciam superante in mitiorem partem coacta tyrannis inclinauit. E toto numero sex nobiliores armis contumeliosè exuendos & in exilium ceterorũ more cum omnium bonorũ

pro-

Sex familiæ proscribuntur.

proscriptione ac tota familia relegandos. Hoc vbi erupit, donec vota pendebant inter omnes certabatur; quæ cùm persecutor nominatione diremisset, gratulabantur omnes ijs quibus *funes ceciderant in præclaris*; plerique etiam exclusos vbi se sua spe viderunt, si dicere licet, inuiderunt. Nec ipsa gratulatio aut inuidia sex Athletarum illorum familijs sese continebat; nam si quis illis propinquus sanguine aut amicitia deuinctus erat, ad eum pars magna gratulationis redundabat, nec erat qui non ad eos pertinere velut laboris particeps affectabat.

Ex ijs vnus fuit quem amicus ethnicus eripere huic fortunæ conabatur, sed cum nihil suadendo profecisset, chirographum quàm proximè potuit imitatus, velut amici nomine ad iudices detulit, quo ille Christi fidem eiurabat. Sensit hoc neophytus, & extemplo quatuor alijs neophytis, quos in testes euocauerat, comitatus confert se ad iudices, & multis de iniuria questus, allatum ab amico chirographum, non Christi fidem eiurat, testatus eum sibi amicum esse non posse qui se malis artibus à Christi cruce auertere conaretur, se Christianum semper fuisse, nunc esse, & in posterum semper fore Deo semper iuuante, quicquid illi hac ex causa contigisset. Ergo cum cæteris in exilium mittitur, vnica veste qua tegeretur è tota supellectile, quam ipse pessimam elegit, amictus. Sed in hac re illustre fuit vxoris illius factum. Nam cùm ad eiurandum chirographum maritus perrexisset, intellexit quàm euidens vitæ discrimen incurreret, cuius magna pars ad eam Iaponensi ex more veniebat. Ergo festiuis induitur vestibus, vt hilaritatem qua in Christi causa necem operiebatur, ipso cultu præ se ferret. Sed cum relegatus domum redijt maritus, extemplo festiuâ exuitur vestem ac maritum imitata tritam lacernam eligit, ne meliora sibi reseruasse, peiora Christi causa reliquisse minore merito videretur. Ita non est abbreuiata manus domini, cuius instinctu nuper sine Numine populi tantis in eius cultu certant obsequiorum artibus, facilè vt videas, vnum eundemque spiritum hortum suum orbis totius cancellis conclusum suauissimè adspirare, & per omnes illius angulos plantásque diffundi.

QVO

QVO EVENTV PER AGRVM ARImensem eadem procella sæuierit.

CAPVT XVII.

IMber qui ab imperij sede erumpens Arimensem ditionem Iaponiámque vniuersam tandem percurrit, non oppidorum mœnibus duntaxat se tenebat, sed in ignobiliores quoque vicos irrumpens vbique suæ calamitatis vestigia reliquit, quæ persequamur. In Arimensi agro multa contigerunt quorum quædam vniuersim omitti non possunt, singillatim vbique repeti non debent. Huius generis instituta vbique martyrij candidatorum sodalitia & proprij sanguinis sigillo chirographa rubricata, magni ad Sacramenta concursus, colloquia de martyrio prope continua, vestes ad Crucem subeundam comparatæ libri de martyrum tormentis manibus triti, flagellatio totius familiæ quæ copiosum sanguinem eliceret sæpius instituta, indicta per dies aliquot intra octauum quemque diem ieiunia & alia huiusmodi sexcenta, quæ ideo nusquam commemorantur, ne alicubi defuisse credantur: quæ peculiaria cuique fuerint in Societatis domicilia celeriter excurrentes percurramus.

Ximabara ideo prius commemoretur, quod primos huius imbris impetus sustinuerit; nam cum ibi à regia redux nouus dynasta exscendisset; ibi primum edicta conscripta, triumuiri nominati, Cruces disturbatæ: sed neophyti repentino casu vinci non potuerunt, vulgo sibi constiterunt, cetera cum ceteris communia, hoc singulare. Non defuit vnus aliquis è neophytis ardentioribus, qui fabricari sibi crucem curauit ad eam formam qua Iapones subinde solent reos plectere, vt si forte in eam agi iuberetur, domi paratam carnifices inuenirent, nec in ea fabricanda sua vota differrent, vtq; illius conspectu ad eam optandam sese vehementius incitaret. Ex ijsdem neophytis alius copiosus inprimis, sed qui præ Christo omnia arbitrabatur detrimentum ad martyrij famam ac spem in vicinum regnum Fingo excurrit. Sed audito iam domi quod foris quærebat posse sperari, domum recurrit extemplo, arbitratus triumuiros opibus suis illectos sibi quam optabat pro fortunis fortunam obiecturos. Sed cum nihil contra eum moueretur, audissetq; *Ingens martyrij desiderium.*

I apud

apud Fingenses edictorum crudelitatem recruduisse; dimissa re familiari venatorij canis instar odorem prædæ persequitur, quam si nondum assecutus est, votorum tamen suorum præmio non carebit. Adolescens alius domestica certamina ita tulit, vt nec rationibus nec minis cesserit: quin potius ab impio parente biduum sine cibo ac potu vinctus manus pedesque ita fortiter, vt intumuerint, hilaritate sua parentem adduxit, vt de victoria desperaret, quam Deo gratulaturus ad nostrum sacerdotem, qui clam ibi rem Christianam procurabat, adducitur, & in constantiæ præmium cœlestibus ad vlteriora si ingruerint prælia sacramentis communitur. Sacerdotem illum cum Dynastæ ministri ad discedendum vrgerent, ædes sacra sacro apparatu in conspectu neophytorum exui cœpta lamentabilem illorum prouocauit eiulatum, quod in ceteris etiam Arimensis agri vicis scribitur contigisse; Cum verò discessurus portum peteret, tanta fuit complorantium multitudo vt angustijs viarum capi non posset, tametsi non ignorarent, intra duas leucas habere se alium sacerdotem cum socio, ipso vt mox dicam dynasta permittente.

In agro Arimensi tempestatis huius vndas euasit vicus vnus, velut scopulus in quem naufragi adnatarent. Is fuit Canayama, cui præerat Georgius Yasengi nobilis neophytus in primis ex Ecclesiæ Iaponensis primitijs à P. Gaspare Villela olim salutaribus aquis expiatus. Is aliquot jam ruinas intrepido capite excipiens, non semel proscriptus, demum in Arimensem agrum Christiana fruge tota Iaponia feracissimum profugerat, è regno Fingo nuper eiectus, fortunarúmque suarum quæ fuerant amplissimæ iactura locupletatus. Is venienti dynastæ Ximabaram occurrerat non tam officij causa, quàm vt Christianè viuendi facultatem primus extorqueret, aut ceteris exemplo futurus primus plecteretur. Eum dynasta præuenit, cùm enim è superioribus prælijs notam fortitudinem præ se ferret maluit vltro deferre, quod frustra negare niteretur. Itaque per internuncium è suis propinquis, Mimbu vocabatur, ei renunciari iubet, se quidem vti cum Imperatore conspiraret tota sua prouincia Christi sacris interdicturum; illum tamen vnum exlegem peculiari beneuolentia fore, posse sacram

Vicus vnus à persecutione liber.

ædem

ædem ſuúmque ſacerdotem cum ſocijs ac cetera quæ ad religionem ſpectant omnia ſibi ſed occultè tamen retinere. Quæ res huic Eccleſiæ magno ſolatio fuit, ac maiori fuiſſet, ſi diuturnior extitiſſet. Interim tamen è vicinis locis turmatim in eo permulti rei ſacræ cauſa conueniebant, nec vt maximè procuratum fuit, confluentium torrens potuit inhiberi, quin per deuia & aſpera loca matronas habitum mentitas prænobiles, pueros ætatis tenerioris præ reliqua multitudine ſecum raperet, & obuia omnia impedimenta, minarum, edictorum, pœnarúmque perfringeret.

In Vico Chingiua maior quam alibi ſtrages fuit, eo eo quod ethnicorum vicina peſtis ſemper ibi ſuæ luis aliquid exempli contagione vulgaret. Ibi quoque plerique tamen ſibi conſtiterunt. Sed præluxit omnibus Martha dynaſtæ Arimenſis vxor legitima, quam Fime noua pellex eo retruſerat. Illa iſthic annum vnum repudij ſui contumeliam Chriſtiana animi æquabilitate tolerabat, & patienter cogitabat quæ Domini erant, coniugij iugo ſoluta. Verum quies illi non fuit diuturna. Pellex enim vxorijs ſuſpicionibus inquieta, rerúmque dubio euentu ſollicita, non ſatis tutum coniugium ſibi videbatur adepta, quam diu Martha ius ſuum ſoluta ſperaret. Itaque machinis omnibus vrget, vt nouo coniugio priores nuptias ac iura deſperet. Verùm Martha id ſibi diuinis legibus humaniſque interdici ſciens adduci non potuit, vt ſacra prodidiſſe vel humana neglexiſſe iura videretur: ſed annos nata non plus vnum ſupra viginti ætate ſua viuente marito viduitatis quodammodo continentiam impetrauit, cuius præmium proſcripta libens accepit, & ſtramineo mapali inter duos montes excepta nouis meritis cumulauit, ac nouis ſubinde exilijs vexata nunquam potuit à ſententia dimoueri.

Martha legitima reguli vxor à pellice vexatur.

Cuchinoccu Arimenſis agri totius, quem Tacacu vocant indigenæ primum nouale Chriſtiani iugi ſulcos admiſit à Patre Coſmo Turriano, & ita feliciter, vt cum antiquitate loca cætera ſuperarit, religionis ardore nulli inferior vnquam eſſe voluerit. Illius incolæ cum huius imbris minas diu ante præuidiſſent, prius ſe compararunt, quàm impeterentur. Coacto quippe ſuorum cœtu ſtatuunt, cùm primùm dynaſta exſcendiſſet, è ſuis primores ad eũ

legare, qui exponant, se primos Arimensis agri Christianæ legis professores, suam legem annuentibus dynastis omnibus semper saluam sanctámque retinuisse, Sacerdotem apud se cum ceteris rei Christianæ administris in qualibet varietate temporum conseruasse, petere vt hoc ipsum sibi eius fauore sartum esset ac tectum, vt fide Numini seruata, proxima illius iura dynastæ ipsi sarta tectáque conseruarent. Quod si per eum non liceret, certum sibi esse sciret, statum, fortunas, liberos, vxores, patriam, ipsam denique vitam ad vnum omnibus in hac ipsa causa prodigere. Hæc rite conscripta, quę dynastę ipsi traderentur, singuli subducente se nemine, propria manu consignarunt, & in archiuium suum dum tempus chirographum commune prodi postularet, immiserunt. Hæc bene concepta Christianorum deinde exercitationum, quas paulò antè commemoraui, accurata comparatione, ad imminentem partum efformabant. Vnde primos parturientium dolores in edictorum eiulatu ita tulerunt, vt de comparatis sperabatur. Si quis ante edicta tepidior ædem sacram rarius frequentabat, ab ea tum auelli non poterat; si quis precatorios globulos è Zona gestabat, eo tempore in collum inserebat, ne illos occultare videretur. Denique omnes commune chirographum denuo in æde sacra coram Sacerdote nostro innouarunt.

Insignis feruor Christianorum.

Sub hæc ipsa tempora fortè ex Arimensis toparchiæ moderatoribus vnus illac iter faciebat, à quo cum loci primores euocati multis vrgerentur, vt dynastæ auctoritatem & exemplum secuti à Christo deficerent, obtemperantibus præmia, renuentibus pœnas esse propositas, ita responderunt, vt professionis suæ sententiam scripto exegerit, ipsi verò cum chirographum commune protulissent, ab eo iubentur Arimam illud ad triumuiros illos perfidiæ hortatores deferre; quod se non illibenter facturos receperunt. Post moderatoris discessum ex heroico facinore admirabilis exarsit omnium ardor pro Christo, vt sperabant, moriendi. Nemo fuit qui non vestem sibi, vxori, liberis etiam tenerrimis ad crucem subeundam compararit. debita passim alter alteri in perpetuum condonauit, fortunas suas cum egenis multi communes esse voluerunt, instituta mutuæ valedictionis gentis more sanctè casteque conuiuia; deni-

Publica fidei professio.

denique omnium erat *cor unum & anima una*, tantáque vbi metus esse potuerat, exultatio, vt aliud potius quidlibet ex his quæ optari solent, quàm imminentia supplicia præstolari viderentur.

Nec id animi robur teneriori deerat ætati. Puero cuidam cum nescio quis è prætoris satellitio occurrisset, cum precatoriam corollam è collo suspensam criminaretur, eam à puero exegit, magis terrendi causa, quàm quod id haberet in mandatis. Negauit puer Christianum Ethnico posse fide integra res sacras tradere. Mactabo te igitur, inquit ille; macta, respondit puer, & in genua mox prouolutus ceruices aptat iunctísque manibus ictum diu præstolatur. Satelles autem admiratus collaudatum puerum suauiter complectitur illæsumque dimittit. Non absimilis huic fuit octennis virguncula, cuius cum parens disturbatam crucem publicè rapuisset, & in suam domum intulisset, professus coram impietatis ministris, exclamauit eum qui sibi prædam eripere cogitaret sciret sibi prius & coniugi debere vitam eripere, & filiolam intuens ait; huius vnius cura me angit, cui, me sublato, superstiti quid futurum sit ignoro. Ad hæc puella ita respondit, ne hac angaris cura, parens, effice, vt cum moriendum vobis erit, ipsa præmoriar, facile hoc erit à carnificibus impetrare, tum demum sine cura morieris. Nonnulli cum extra ictum sua pignora Arimensis agri fi nibus emittere cogitarent, infantium fletu deterrebantur, & fuit qui per fraudem abductus puerilibus armis reditum extorserit. Quis ista non stupeat exclametque, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos.* Testimonium quippe domini fidele sapientiam præstat paruulis.

Puerorum feruor.

Hoc maximè rerum statu nostri ex Arimensi agro relegantur. hic vicus sacerdotem suum dimisit quidem, sed vt in posterum retineret, nam cùm ad nauim deduxisset latebras illi post leucas aliquot præparauit, vnde ad se reductum auxilio suo subsidioque conseruat quàm potest occultissimè. Quo ex tempore cùm Arimam semel euocati primores excurrissent, non sunt tamen ausi triumuiri notam veteranorum potius quam tironum tentare firmitatem: alia igitur omnia cum ijs conferentes dimiserunt, & omnium spem, sed non merita, fefellerunt. Per eos dies cum è Fingo viginti & plures

Christi confessores excepti.

res proscripti ad eum portum delati aduenissent, concurrentes neophyti fortissimos in Christi causa pugiles à multitudine inter brachia elatos in suas ædes non sine visendo charitatis tumultu intruserunt de nouis hospitibus prope harpasti ludum exercentes, ac deinde conuiuijs omníque humanitatis genere certatim exceperunt, nullúsque finis erat, vel commendandæ constantiæ, vel fortunæ gratulandæ. Hæc omnia satis fuerunt, vt vetulam quandam biennio iam apud se commorantem, erroresque suos pertinacissimè retinentem virtutis admiratione adducerent, vt quos antea semper oculos veritati clauserat, in hoc fidei splendore aperiret, ne esset eo in vico qui Christum nollet profiteri, quem omnes obsistente inferno prædicabant.

ARIENSIVM NEOPHYTORVM IN fide constantia.

CAPVT XVIII.

ARije vicus est Arimensis agri feracissimus, quam naturæ feracitatem gratiæ copia cohonestans longa collegij ac seminarij Societatis quæ ibi diu constiterunt cultura, colonorum spem in communi licet calamitate non fefellit, recenti maximè martyrum sanguine irrigatus. Excepit igitur edictorum fulgetra, minarum grandinem, iudiciorum imbres, eadem ac ceteri comparatione, sed feliciore fortuna. Quamdiu licuit illis pastorem suum retinere, illius vocem & pascua secuti cetera egerunt omnia quæ de singulis scribi potuissent. Arimâ se recepit ille Nangasaquium cũ reliquis, verum deinde à superiore nominatus, vt stationem suam minimè dimitteret, latuit apud reguli Arimensis patruum in arcis pede dies septem, quibus exactis nocte concubia Iaponensis coloni rusticanam vestem & stramineos calceos indutus *in præparationem Euangelij pacis*, per deuia sibi ad suos inuenit viam. Latebat in mapali stramineo iuxta vicum extra itinerum commercia, vnde subinde ad suos excurrebat, nocturna fide tectus, expletisque boni pastoris officijs in suum se mapale referebat.

Vnus è nostris occultatur.

Hæc

Hæc ad conſeruandum à paſtoribus inſtituta; ſed neque ad perdendum ouile ſua latronibus induſtria deerat. Arimenſes triumuiri non dubij quàm graue ſibi eſſet cum excultiſſimo vico de religione certamen, eò nobilem deſertorem fraudibus inſtructum & promiſſis excitatum deſtinant, qui concepta fiducia quod Iordanis influat in os eius, ad eos venit iram magnam habens: ſed illi reſtiterunt *fortes in fide*, nec præter aliquot moderatorum regni aſſeclas, aut tributorum publicanos quenquam in ſuas partes, licet adhibito omni conatu pertraxit.

Mittitur apoſtata ad neophytos ſollicitandos.

Ipſi Arienſis agri coloni fortiter ſane de illo triumpharunt. Cum enim eos ad deſerendum Chriſtum laceſſeret, reſponderunt communi omnes conſilio, ſe maturam ſegetem minimè ſecturos, niſi publicam ſibi dynaſta faceret Chriſtiano ritu viuendi libertatem: quod ſi noller, pro ſegetibus ipſi ceruices, ſuas tyranno reſecandas omnes dabant. Super ea re diebus aliquot ita certatum, vt coloni tandem accepta Chriſtianè viuendi facultate cùm primam meſſem feliciter demeſſuerant, ſe ad alteram deinde, quæ ſui muneris erat accinxerint.

Nec ſoli coloni obſtiterunt. E ceterorum numero paucos pro inſtituto ſeligam, æquè nihil, quàm omnia ſcribere refugiens. Arienſem vicum pro Principe moderabatur in rebus minoris momenti Iacobus neophytus inſignis, apud quem ipſe quoque princeps, ſi quando in vicum veniebat, diuerſabatur. Eum inprimis exturbandum ſibi ſuſcepit Arienſium perturbator: ſed ipſe tandem poſt varia certamina de ſpe ſua deturbatus Arimenſes triumuiros in ſubſidium euocauit; à quibus euocatus hoc vnum reſpondit, ſe nihil eorum in dynaſtę obſequijs refugere, quæ religionem ſartam tectámque ſinunt, in ceteris nolle de ſe, quod facturus non erat, ſperaretur. Decies luctatus ſcribitur Iacobus, nunquam claudicaſſe, quem ne tyrannus mactaret, obſequentis viri officia ex moderatorum regni conſilio tenuerunt. Suſanna quoque Iacobi vxor ſæpius territa vel publica ſui corporis nuditate quæ intentabatur, vel lupanaris fœditate cui mancipandam extincto marito minabantur, vel filij quem vnicum habebat orbitate, ſibi conſtitit, & cogitare potuit ſi non dixit:

Neophyti rara conſtantia.

dixit: *Angustiæ mihi sunt vndique, si enim hoc egero mors mihi est, si autem non egero non effugiam manus vestras, sed melius est mihi sine opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu domini.* Filius autem ipse licet puer sua firmitate ostendit, quòd *fortes creentur fortibus, nec imbellem feroces progenerent aquilæ columbam.* Patruum enim suum à quo ad defectionem vrgebatur, in multorum consessu cacodæmonis filium appellauit, & aliàs ab eodem incitatum, nefanda fari. Parens verò de filio solicita ita respondit, sibi vnicum esse, nec alium habere, quem Deo suo offerret meliori vtique domino, quàm dynastæ. Huius certaminis exitus Iacobum fortunis omnibus spoliauit: sed religione sua diues *thesaurum sibi non deficientem in cœlis* reseruauit.

Alium quendam Arimenses triumuiri ad se accersitum acriter solicitarunt, vt quoniam dynastæ annuos census colligebat & ab eo agrum quendam familiæ sustinendæ possideret, illius voluntati obsequi ne cunctaretur: sed maluit agrum dimittere quam centuplum desperare. Illo igitur spoliatus ad sacerdotem nostrum se contulit, intra latebras suas hæc omnia certamina moderantem, vbi cum eo sua gaudia diuidens hoc vnum querebatur, quod tantillum in Christi causa, qui cetera omnia cupierat, dimisisset. Verum intra dies paucos agrum à dynasta vltro recepit, & religionis suæ publicè profitendæ facultatem victor impetrauit. Verùm præ ceteris in hoc puluere Athletis fratres duo maximè vitæ integritate fideíque retinendæ firmitate excellebant; quorum gloriosum in Christi causa exitum proximo capite narraturus, de vtroque pauca præmittam. Michael senior, alter Matthias vocabatur.

Erat Michael Ariensibus à prima ætate Christianæ religionis speculum & exemplar absolutissimum. Continentiam ita coluerat, vt illius splendorem ne suspicionis quidem vmbra obscurarit. In pietatis exercitationibus primus erat, imò solus; corporis afflictatione valetudinem ac vires ita attriuerat, vt æquè cum morbis corporis atque cum animi motibus certamen suscepisse videretur: colloquia illi de Deo rebúsque sacratis continua quia gratissima; sacris mysterijs quot mensibus vt minimum reficiebatur; vulgo creditur nemini vnquam locutus asperiùs. Denique vitam viuebat quam

Neophyti mox martyris vita sanctissima.

quam exigere posses à religiosæ vitæ professore accurato potius, quam ab eo qui medio in tumultu rerum mortalium curis tenebatur. Qui sibi talis erat, qualem in ceteros fuisse arbitraris? In Socios à quibus fidei virtutisque præcepta susceperat, ita beneuolus semper fuit, vt hoc illi gaudium esset vnicum, si qua in re Patribus sibi videretur obsecutus. Sanè cùm ante annos aliquot ex onerariæ Lusitanę conflagratione res nostra familiaris in extremas angustias deuenisset, effecit ipse per se ac suos ciues vt Ariensis vicus domicilij nostri sumptum sustineret. Eo etiam hortatore ac moderatore sacra ædes labefactata primo splendori restituta, quam ad rem ipse cum operis in siluam ad cædenda ligna pergebat, nec solemnis ieiunij per eos dies rigori quicquam vel ægritudo vel labor indulsit, ab aquæ ipsius etiam potu religiosus ecclesiasticæ inediæ cultor abstinebat.

Eodem in vico alia ædes non procul ab ipsius ædibus assurrexit, eo maximè procurante. Effecit enim vt neophyti centum instituto inter se sodalitio, quod à centenario dicebatur, hanc ædem sibi sumerent erigendam penes cuius sodalitij præfecturam Misericordiæ procuratio, pro ædis nomine sumebatur, in eáque æde solis extructoribus intra centenarium comprehensis ius sepulturæ seruabatur. Et huius sodalitij & aliorum tredecim caput erat Michael; nam etsi suus cuique sodalitio præfectus suis temporibus de more legebatur, Michael tamen vnus velut perpetuus sacræ reipublicæ dictator à suo munere nunquam amouebatur, idq; annis antequam occumberet omnino quindecim. Omnium necessitates ad eum referebantur, nihil denique sine Michaele boni tractabatur, nedum perficiebatur. Quibus omnibus nihil non consequebatur eorum, quæ in illius Ecclesiæ bonum designabat, & alia multa, quæ non procurabat, vt nimirum ab omnibus velut communis patriæ pater coleretur.

Post eiectum ex hoc ouili pastorem ipse omnia quæ pro statu suo poterat officia supplebat, è latebris suis erumpens subinde sacerdos noster apud eum sacris operabatur, & sacramenta ministrabat, cetera quæ ab eiecto fieri palam non poterant, palam ipse perficiebat, sacris aquis infantes eluebat, mortuos Christiano ritu me- *Pastoris officia supplet.*

dia die sepeliebat, etiam in publico cœmiterio, licet iam ex dynastæ auctoritate ad profanos vsus verteretur: nec erat qui vellet, multo minus qui posset Michaelis auctoritati obsistere. Eiecto sacerdote nostro quo tempore Arimæ delituerat, omnium sodalitiorum præfectos ceterósq; administros in vnum cogit, & admirabili oratione cohortatus omnes admonuit, aduenisse nunc diem illam multorũ sæpe votis expetitam, in qua ne à Christo recederetur esset moriendum. Cum permotis jam animis perorasset, eo designatore constituitur, vti singuli sodales suæ curæ commendatos adirent, & in catalogum redigerent eorum nomina qui mori pro Christo coniurarent, vt aduenientibus à tyranno iudicibus eum porrigerent, & à periculosa singulorum solicitatione sibi temperarent. Nec huius inuenti spes auctorem fefellit. Intra dies paucos mille quingenti nomina, quæ in Baptismo fluminis acceperant, baptismo sanguinis obtulerunt. Nec omitti debet piscatorum è vicino portu legatio. Mittunt ad Michaelem, qui seriò queratur se negligi, quod sua nomina nemo exegisset, mox ea querela recreatus Michael, mittit ad eos, qui nomina excipiat, quæ superiorem numerum centum supra quinquaginta signatis auxerunt.

Frater illi simillimus. Michaeli frater erat Matthias nomine natu iunior, sed senioris accuratus imitator, exemplo domestico, fratri enim conuiuebat, incitatus. Is magnam fundendi pro Christo sanguinis cupiditatem ita conceperat, vt sæpe diceret, O' terque quaterque beati, queis in hac causa contigit oppetere? Ideo in martyrij candidatorũ vel purpuratorum potius serie, alter à fratre cui vni cedebat voluit inscribi. Quin cùm admonitus esset ab amico, vt, si diutius viuere cuperet, à fratris ædibus tantisper sese subduceret, sibi constare mortem illi in eo contubernio imminere; ita respondit, Nisi fratri conuiuerem, hoc euentu illius conuictum affectarem: non est igitur tempus deserendi, quod nunc habes, si tempus erat optandi, si careres. Sanè quo die sacerdos noster vico excessit, Michael ac Matthias, & aliquot alij futuræ constantiæ pignus à Patre sacrum viaticum in hac pia coniuratione morituri susceperant, ac sese communi domino velut ceterorum duces generosè deuouerant.

MICHA-



MICHAEL ET MATTHIAS, THOMAS ET MATTHIAS OCCVMBVNT.
lib.1. c.19. lib.2.c.2.

MICHAEL AC MATTHIAS IN FIDEI *causa fortes occumbunt*.

CAPVT XIX.

IN hoc certamine, in quo Michael præliabatur cum dracone, vti victor euaserit, & quomodo sors quoq; ceciderit super Matthiam videamus. Desertor ille triumuiratus minister, Canzayemon dicebatur, cum diu Neophytos Arienses frustra tentasset, Arimam repetijt in vnum fremens Michaelem, quo viuo nihil sperandum circa defectionem affirmabat, & multis confirmabat: huic proximum nominabat Matthiam domestico fratris exemplo ita incitatum, vt nisi de his ad territandos ceteros supplicium sumeretur, Arienses dynastæ impune insultaturi viderentur. Hæc apud triumuiros & maxime apud Yamato annosius illud Cerberi tricipitis caput, multis questus euicit, vt in vtrumque capitis sententia diceretur, hoc maximè nomine, quod in serie illorum, qui se Christo deuouerant, ipsi sua nomina primi inscripsissent, effecissentque vt plerique dynastæ suo parere recusantes sua quoque nomina contulissent. Ergo fratres duos ex insidijs mactaturi tres omnino sicarij designantur: vnus Michaeli ægro nec repugnaturo sufficere visus est, duo Matthiam iubentur obtruncare.

Michael ac Matthias capitis damnantur.

Illa ipsa nocte quæ Diuo Iacobo diem sacrum præuenit, omnium inscius Sacerdos noster Pater Ioan. Fonseca Arije venit, & in ædibus Michaelis ipso die ac sequenti sacris operatur, & fratres duos eodem die sub vesperam morituros cœlestibus roborat Sacramentis, tanto vtriusque solatio, vt, quod futurum erat, viderentur præsagire. Ipse verò Sacerdos noster sacris mysterijs auroram præueniens priusquam illucesceret in suas latebras se recepit.

Martyrij ordo.

Sicarij ergo cum Ariem ipso S. Annæ aduenissent, munera inter se diuiserunt. Qui Michaelem susceperat obtruncandum adhibito in consilium è Reguli publicanis vno, eo auctore statuit nihil esse quod eum ex insidijs inopinantem aggrederetur; gratius illi, & sine discrimine fore si moneretur; nec abnuit sicarius qui inuitus Michaelem mactabat. Ergo publicanus ille adhibito in socium sicario Michaelem domo euocat, & metiendi ex dynastæ volun-

luntate cœmiterij specie secum abducit. Erat illud cœmiterium centenario sodalitio deputatum, ædibus Michaelis prope contiguum in quo ille crucem erexerat, quam precibus quotidianis ac sæpe nocturnis asylum sibi delegerat. Illi vero dominus eam crucem triumphi sui locum designarat.

Ingressi locum velut hortum Gethsemani, Michaelem monent, eum ex dynastæ voluntate extemplo ipso in loco obtruncandum: quod vbi audiuit Michael, imperterrito vultu elatis in cœlum manibus, Deo primum gratias egit, quod se votorum suorum compotem aliquando effecisset. Et ad monitores conuersus ait, Sanè tot iam morbis debilitatus satis metuebam, vt illi me siccâ morte conficerent: gratias porro læti nuncij baiulis habeo, quod monitum maluerint, quàm inopinantem aggredi. Tum ad locum Crucis euersæ toties iteratis precibus sacrum delatus, in genua prouoluitur, ictum præstolaturus, sed carnifex effecit, ne ingredientibus nimis obuium iter sanguine fœdaret, vt nonnihil secederet, ergo dexteram eligens electorum locum, denuo in genua ruit, & breui oratione munitus, vestem aptat, ceruices molliter inclinat, & oculos in solum deijcit, & ouis mansuetissima iugulantis ictum patientissimè præstolatur. Hic sicarius educta sica protestatur se quoque esse Christianum, sed heri sui mandatis non ausum repugnare, se coactum hoc patrare, petere se primum ab eo veniam; & quia Christi martyr cum Deo mox esset futurus, postulare vt huius sibi delicti ab ipso quoque Deo veniam exoraret. Annuit Michael, & excipiens ictum primo vulnere obtruncatur. Vix bene ruerat in terram sacrum caput, cum sicarius abiecta sica in genua prouolutus vtraque manu caput venerabundus excipit, & capiti suo superimponit: tum prostratus martyris pedes osculatur, & precatorios sibi globulos decurtatosque crines pro spolio secum effert. Ita Christi Martyr raro exemplo primum veneratorem habuit eum, quem habuerat mactatorem. *Michael obtruncatur.*

Sed ad Matthiam conuertamur breui Michaelem reuisuri. Sicarij duo qui Matthiam erant inuasuri, egresso ex ædibus Michaele, magna dissimulatione quidlibet aliud agentes Matthiam salutant, & interim dum hospitibus herbæ illius quam sanctam vocant, fu-

mum quod Iapones sæpe faciunt, propinandum parat, inopinantem à tergo inuadunt, & altè singuli sicam in humeros adigentes solo affligunt, sacratissima Iesu ac Mariæ nomina inuocantem, quo facto sicarij se nonnihil è conspectu subducunt. Ad tumultum accurrêre adolescentes duo, qui tum forte sacras vestes in interiore sacello, quibus eo die Sacerdos noster vsus fuerat, complicabant; illi Matthiam spirantem adhuc & in proprio sanguine natantem reperiunt, nec aliud illi repetebant, nisi, fortunate Matthia Christi martyr occumbis, hoc è sicarijs alter inaudijt, & regressus cum spirantem inuenisset obtruncat. atque ita fortunati fratres in morte ipsa non sunt separati, cum eos beata mors in æterna vita coniunxerit, quos eodem prope momento extinctos esse, procliue est vt credatur.

Prima nox martyribus fuit lucis æternæ diluculum, quæ vbi vulgauit inuitis tenebris suos toto vico splendores, tantos concursus euocauit, vt osculantium neophytorum, sacra sibi pignora rapientium, sanguine frontes crucis signo notantium, impetus nemo potuerit, ne dynastæ quidem satellites inhibere. Quo in genere tametsi multa commemorari iure possent, vnius admirabili ardore satis erit lectorem incitare. Annos natus septuaginta neophytus Ioachim martyrum fama excitus posuit suos pedes quasi ceruorum, & suæ senectutis oblitus iuuenili passu accurrit, Matthiam obtruncatum reperit, quem Michaelem esse credebat, aduoluitur illius pedibus, osculatur, amplectitur, lacrymis suis tepentem adhuc sanguinem diluit. Et ad sicarios etiam tum astantes conuersus supplex exclamabat: truncate, laniate, paribus in pari causa tormentis conficite, vnus sum ex ijs qui vnà cum Michaele ac Matthia de fundendo religionis retinendæ causa sanguine coniuraui. Vbi verò intellexit Michaelis truncum cadauer in cœmiterio iacere, ad illud etiam accurrit, & eadem repetens hoc etiam addidit nouo sanè charitatis exemplo. nam intinctam sanguine martyris glebulam deglutiens intra viscera recepit, eóque iam entheatus

tus ſicarium, qui etiam aderat, adoritur, ſupplicat, vrget, aptat ceruicem, allegat nominis ſui chirographum in eadem ſerie conſcriptum; ſed nihil impetrat, præter eam quæ talibus votis deeſſe non poteſt coronam, ab eo qui vota non ſecus quam facta remuneratur.

Martyrum victoriam non nemo ad eundem ſacerdotem noſtrum in tugurio ſuo nihil minus opinantem detulit, qui mox accurrit, detegi ſuas latebras poſſe negligens. Opportunus fuit illius aduentus ad neophytorum concurſus auctoritate ſua coërcendos; eo itaque procurante, vterque in ſuum ſarcophagum immiſſus in illo ipſo cœmiterio, in quo Michael ceciderat, tantiſper terræ mandatur, donec alta iam nocte ſubmiſſi clam neophyti ſacra pignora eximunt agro quem intra dies paucos excolendum eſſe conſtabat. ea deinde in proximum portum delata Nangaſaquium mari vehuntur, vbi in omnium Diuorum æde Societatis aſſeruantur; quæ ſi non eo apparatu excepta ſunt, quem eorum merita vel noſtrorum vota poſtulabant, id ſtudio factum eſt, ne honorem mortuis impenſum Arimenſis dynaſta hortatore Safioie Nangaſaquij præfecto in viuorum iniuria compenſaret. Ea mors Arienſes omnes velut iniecto in flammas oleo feruentius inflammauit, cum aduerſarij animorum incendia ſanguine, velut aqua reſtinguere cogitaſſent.

Verum coronidis loco prætermitti non debet inſigne Luciæ matris viſum, quæ hæc duo lumina Eccleſiæ Iaponenſi pepererat. nam cum illa paucis ante menſibus ex ea ægritudine decumberet ex qua occubuit, videre ſibi viſa eſt vigilans die media, nec vlla vi morbi delirans, elegantem puerulum gemmas duas admirabili ſplendore pretium ſuum oſtentantes vtraque manu geſtantem, cumque illa ſibi accedere videretur, euanuit. Altera die reuerſus ramos duos floſculis pulcherrimis ornatos præferebat; ſed iterum vbi propior videri cœpit, diſparuit. Tertia denique die roſas duas purpureas geſtabat, quas cum puero rapere niteretur, puer vna cum roſis oculos & gaudia iam proxima deluſit. Hæc illa *Martyrij præſagium.*

Michaeli

Michaeli moritura narrauit, ille matri silentio indicto, vni è Societate nostra fratri suo reuelauit, à quo deinde, postquam euentus viso fidem fecerat, ea res cœpit euulgari, quæ virorum prudentium iudicio portento similis visa est, nec ad gloriam Martyrum reticenda, quos in horto concluso, nihil dubium, serto sui sanguinis purpureo coronatos. Cum quibus prima hæc apud Arimenses procella defecit, desperante jam tyranno, quod in neophytis ardebat religionis incendium, edictorum aut pœnarum imbre posse restingui. Vixit tamen in eius animo suppositus ignis cineri doloso, qui postea maiore impetu reuixit. Verum respirent nunc quidem tantisper Arimenses, donec huius procellæ vestigia secuti, reliquam per ceteros calamitatem persequamur.

NEOPHYTORVM IN REGNO FIGEN *pietas & constantia.*

CAPVT XX.

IN regna finitima vnà cum hoc turbine delati Arimensi conterminum regnum Fyen inuenimus, in quo non paucæ nostrorum sedes visuntur, in quibus maximè perfidiæ furor est bacchatus. Per singulos excurrentes quid fortiter egerint passíq; fuerint neophyti videamus. Nangasaquium intra huius regni fines emporium Iaponiæ totius nobilissimum non tam sustinuit huius fulminis telum, quam vicinas ruinas excepit. nam cum ex Arimensi agro nostri è vicinis regnis multi exulare iuberentur, plerique Nangasaquium vbi Christianæ religionis primaria sedes est & Iaponiæ, vt ita dicam, Roma, velut ad asylum accurrebant, & si suo exemplo neophytis firmitatem ostendebant, suorum tamen laborum partem vel commiseratione, vel subueniendi necessitate in ceteros refundebant, ac velut vicinarum ędium incendia inflammant nondum ardentes, & ruentium tectorum fragore concutiunt, ita mihi Nangasaquio videtur in hoc religionis incendio euenisse, vt vicinorum vim ac ruinam experiretur, donec suo quoque tempore, vt postea videbitur, communis incendij fortunâ conflagraret. Ex hac igitur velut specula flammas mitigaturi religionis incensæ fauillas pietatis aquis temperemus, vbi restingui posse desperatur.

Nangasaquij quo loco res Christiana.

Pieta-

Pietatis exercitationes Nangasaquij placidè intra solitum alueum cucurrerunt: Sodalitia, nosocomia, concio frequens pro sacris ædibus, Sacramentorum vsurpatio, corporis afflictationes aliáque huius generis, nullo non anno cantata, hæc enim solita omittuntur, si quando insolentium facinorum narratio locum occupauit. Omitti tamen non potest quod eo ipso tempore quo tota Iaponia sæuitur in Christianos, è concurrentibus ad sua lucra complurimis (omnes enim ciues Christum profitentur) trecentos quinquaginta supra mille anno 1612. duntaxat salutaribus aquis ablutos. quid sperandum de vento prospero, quando in hoc alueo ita feliciter aduerso nauigatur?

Eos inter adscriptus est vnus, qui licet apud suos nostrum haberet sacerdotem, huc tamen accurrit ab eo imbuendus à quo prima Christianæ legis semina iam diu suscepisset. Aiebat enim se olim ab illo sacerdote ad quem veniebat monitum, cùm apud suos degeret, vt imbui se sineret illa lege, quæ sola æternam homini salutem promittit ac præstat, cui cætera omnia quæ bona vocamus postponenda sunt, ei qui horum breuitatem expenderit. Hæc aiebat sibi verba nunquam excidisse, sed cum instar seminis diu latuissent, eo tandem erupisse, vt statuerit eam sementem ab eo qui plantauerat baptismi aquis irrigandam. Tanti est nullam omittere faciendæ frugis occasionem, quę si nihil alteri profuerit, ad nos reuertetur. Ergo Paulus in baptismo appellatus in patriam redit, quò cum persecutionis imber delatus exilia mortesque deplueret, primus aliquot mensium tiro intrepidè omnia sustinuit, parúmque abfuit quin acceptam nuper innocentiæ vestem proprio sanguine tingeret: sed vita proscripto data si laureolam mutauit meritorum tamen cumulo mortis in exilio tarditas fortasse nil ademit. Eius exemplo è veteranis deinde multi tironis firmitatem imitati, ex eodem prælio victores euaserunt. *Conuersio cuiusdam notatu digna.*

Excursiones in alia loca ex hac nostrorum statione factæ plurimum ad impendentem procellam fortiter sustinendam neophytis virium addiderunt. Visitatus est officiose Satzumanus dynasta eo in portu Cangoxima qui Sanctum Franciscum Xauerium in Iaponiam appulsum excepit, ex itinere confirmati multi magno *Excursiones ad varia loca.*

Visitatoris solatio, qui neophytos reperit solitos apud neophytum feruentiorem dominicis ac festis diebus in sacellum domesticum cogi, & ipso tempore quo Missæ sacrificium solenni ritu celebrari sacris in ædibus mos est, ipsi parata in ara cereos & odores incendunt, & oratione communi sacrificij maiestatem, quà possunt adumbrant, Christianorumque cœtuum sanctitatem imitantur. Quod eo magis æstimari par est, quod eo in regno profani cultus vigent, eorumque sacrificuli magna apud omnes opinione dominantur. Alia etiam excursione in Insulas Goto nauigatum pari semper fructu, & maximè si vnquam opportunè; cum enim eo quoque procella irrupisset, Insulares illi fortiter sanè se gesserant.

In Firandensi quoque portu venti vtiliter aduersi, dum nostros subinde nauigantes tenent, cum neophytorum vtilitate conspirant. In eos Prætor cæterorum exemplo ideo fortasse non sæuijt, quod arbitraretur suis in terris Christiani nominis etiam memoriam perijsse. Viuunt tamen antiquæ pietatis reliquiæ, & in pietate perfidiáque à Neophytis ac tyranno non impari ardore certatur. In Mexiam solam certatum est, quæ nurus fuit Firandensis reguli; sed mortuo marito huius dynastiæ hærede iam diu viduitatem Christianis moribus cohonestat, estque illa Omurandoni dynastæ soror cuius annis prope singulis Iaponensis Ecclesiæ annales meminerant. Illius non cum sola perfidia sed cum ipsa quoque natura certamen fuit in hunc modum. Cum enim illius filius dynastæ nepos in grauem morbum incidisset, cuius pertinacia medicæ artis quotquot adhibebantur præsidia eludebat, nec ab auo inducti sacrificuli ritibus suis plus quàm medici imò minus etiam effecissent; nihil tamen fingere dubitarunt, pueri ægritudinem matris religioni attribuendam, à cuius defectione filij salus & vita penderet: hoc enim religionis odio dederunt, vt desperatam pueri valetudinem à se remouerent. Ergo dynasta eiusdem religionis odio, & nepotis amore potentibus telis instigatus, Mexiam siue Manciam toties alias victus denuo aggreditur, perfidiam honestiore titulo filij salute matrisque amore cohonestans. verum illa fortiter sanè ita respondet: Meminisse poteras, socer, me olim cum filius tuus maritus meus

Nobilis matrona cõstantia & pietas.

meus moreretur non absimili in pugna non cessisse. Nunc ergo tametsi constaret filij mei vitam & salutem à mea defectione pendere, quod olim marito negaui, absit vt filio concedam. Nunc autem cum illius salus à Numinis nutu pendeat, subiecit sperare se si per auum matri liceret filium præsidijs fouere Christianis, plus illi quàm profanis sacrificulorum ritibus profuturam. Grauatè quidem responsum tulit socer, sed amor nepotis effecit vt matri quod horrebat maximè permitteret. Exclusis igitur profanis ritibus sacros omnes quos potuit adhiberi procurauit: ipsa verò summis precibus Dominum precabatur, vt honori suo in huius euentus expectatione consuleret; quin filium ipsum clam monuit, infantem fuisse Christiano ritu expiatum, docuitque qua ratione sanctissima IESV ac Mariæ nomina tacitus imploraret. Fecit puer, cui necessitas affectum, affectus verba cùm ex ore ita expulisset vt auus, qui nepotem Ethnicum credi volebat, in audiret, vehementer ille excanduit. Verum cum paulo post desperatam nepotis salutem ad spem primum, ac deinde breui ad integram sanitatem vidisset reuocatam, ita mansuefactus est vt victrici Mexiæ, quæ sua gaudia domino magis quàm sibi gratulabatur, vltro spoponderit se illi sacram ædem erecturum, in qua suo ritu familiæ incolumitatem potenti Deo suo pro arbitrio commendaret.

In vico Tone, sub vmbra Marinæ, quæ est Omurandoni dynastæ soror, sacerdos vnus è nostris degit solito labore ac fructu, quem promouet exemplo suo matrona nobilis: ac licet hunc tumultum non euaserit, excepit illa tamen fratris se ad defectionem solicitantis nuncium ita obfirmatè ac seuerè, vt omissa spe victoriæ certamen dynasta in posterum detrectarit, sed innouato tamen edicto Christianæ legis veteres angustias arctius coarctarit, vetabat enim Christianam se palam profiteri, sacras imagines exponere, sacerdotem euocare aut apud se detinere, aliáque huiusmodi non pauca. Sed quoniam eum qui edictum euulgabat neophytum esse contigit, cursim & perfunctoriè quædam edixit, pleraque reticuit. Vnde res ea plus metus habuit quàm mali. Neophyti tamen se ad omnes impetus *Quid apud Omurenses.*

 sæpe

ſæpe jam repetitis auxilijs compararunt, & calcar illis fuit ad colendam religioſiùs, non ad opprimendam pietatem.

Ex ijs quidam cùm neſcio quo monente, diem ſibi extremum imminere ſenſiſſet, cùm aliàs multa in fidei cauſa pertuliſſet, ac inſultus omnes victor eluſiſſet, demum ad ſacerdotem noſtrum Omura venit, vbi degebat, viuúſque ac valens ea fecit quæ à moribundis exiguntur, diſtributaque in egenos ſtipe, quam erat legaturus ad ſuos redijt, & intra decem dies ægritudine corripitur ac eripitur. Ne autem ad eúm ſepeliendum ſacrificuli (quod vbi poſſunt ſolent) etiam non accerſiti concurrerent, inſigni ſtratagemate illos deluſit. Moneri quippe curat neophytos eo in oppido complures, vt ad ſclopeti ſtrepitum accurrerent, ſignum illud ſe curaturum per ſuos dum expiraret. Expirat, ſignum datur, concurrunt neophyti, & priuſquam de illius morte ſacrificuli reſcirent Chriſtiano ritu ſepelitur. Et morientis induſtria viuorum cupiditatem ita præuenit, vt ne mortuus quidem quicquam cum profanis ritibus ſibi voluerit etiam per vim eſſe commune.

Neophyti mors inſignis.

QVID IN CETERIS EIVSDEM REGNI *locis in fidei cauſa contigerit.*

CAPVT XXI.

FVndogama noſtrorum ſedes, ea pars regni Figen, quæ Omuræ terminis imminet, nec procul abeſt ab arce dynaſtæ, quem Terazaua Ximadono vocant. Hinc præter ſolitos domiciliorum noſtrorum labores ac fructus, excurritur in finitimos agros Neophytorúmque noualia. Ex arce Caratcu vocant, copioſiores fruges conuectæ, maximè vbi ab vrbe regia diſcurrentis procellæ fragor intonuiſſet. Nam vbi auditum eſt, quid Surungæ mouiſſet Imperator, placuit non imitari ſolùm ſed etiam ſuperare. Cùm enim ille quatuordecim duntaxat proſcripſiſſet, huius dynaſtæ furor in omnes æqua ciliter fulminauit. Edictum enim, vt intra certum diem, qui Chriſtum renueret eiurare, finibus cederet. Eminebat auctoritate ac diuitijs ſed inprimis pietate neophytus Leo, qui præterquam quod ceteris exemplo ſemper præiret, hoc maximè tempore

Fundoyamæ geſta.

pore præcurrere videbatur. In eius ædes, aut ædem potius (nam partem illarum optimam Deo dedicarat) ad fulminis fragorem auditis edictis concurrerunt, ibi omnes auctore Leone pro Christo coniurant, & in exilium abituri cum eius consilio & ope deducuntur; ipse autem tametsi non abnuente dynasta publicè Christum profitebatur, vix se continuit quin proscriptis se sponte comitem adderet; nec eum patriæ vel fortunarum amor tenuit, sed, ne athletas, ad certamen, si quod ingrueret, remanentes desereret; neue seipsum maioris victoriæ spe fraudaret.

Nec ij solùm quos edicta eiecerant, sibi constiterunt. Non defuit, qui sexcentos orizæ saccos annuum censum sponte dimitteret, ne Christianarum exercitationum libertate priuaretur. Hoc è disciplina Iusti Vcondoni hauserat, dignus tali hero famulus, qui centuplum à communi domino promissi fœnoris reportaret. Alius tametsi à fide iam diu defecerat, nec iam pro Christiano haberetur; vxorem tamen vniuersámque familiam incredibili ardore contra vim omnem defectionisque procuratores ita defendit, vt eos à certamine, desperatione victoriæ, reuocarit. Verùm insignior fuit pueri Ludouici constantia, qui anno superiore Leone hortatore ac patrino aquas exceperat salutares, nihil attendens quod parens vterque ac propinqui omnes sectam Icoxus profiterentur, qua fœdiorem Iaponia nullam nouit. In hoc igitur tumultu vicinia tota cum familia conspirans, puerum vnum frustra suscipit expugnandum: auctoritatem parentum neglectam in eo casu causabatur, quod inuitis ijs imò & inscijs à domestica religione defecisset: quibus cùm ille diuinam obijceret auctoritatem, post euictas rationes minas elicuit, non in se solum, sed etiam in parentes ac propinquos; quasi verò qui sibi non timebat, alijs timere iuberetur. Ne tamen furente multitudine alienum periculum euocaret, dies septem ita latuit, vt clam à notis aleretur. Ex absentia creuit ethnicorum furor arbitrantium, à parentibus puerum suo furori subductum: quem cùm ad pœnam frustra quæsitum exposcerent, remittente se sensim furore, parentes ipsi filij quem insequebantur, patrocinium suscipientes, vt vni puero, à quo nullum dijs patrijs periculum immineret parceretur ægre tandem impetrarunt. Ita Ludouicus è

Pueri constantia.

L 3 late-

ſæpe jam repetitis auxilijs compararunt, & calcar illis fuit ad colendam religioſiùs, non ad opprimendam pietatem.

Neophyti mors inſignis. Ex ijs quidam cùm neſcio quo monente, diem ſibi extremum imminere ſenſiſſet, cùm aliàs multa in fidei cauſa pertuliſſet, ac inſultus omnes victor eluſiſſet, demum ad ſacerdotem noſtrum Omura venit, vbi degebat, viuúſque ac valens ea fecit quæ à moribundis exiguntur, diſtributaque in egenos ſtipe, quam erat legaturus ad ſuos redijt, & intra decem dies ægritudine corripitur ac eripitur. Ne autem ad eũm ſepeliendnm ſacrificuli (quod vbi poſſunt ſolent) etiam non accerſiti concurrerent, inſigni ſtratagemate illos deluſit. Moneri quippe curat neophytos eo in oppido complures, vt ad ſclopeti ſtrepitum accurrerent, ſignum illud ſe curaturum per ſuos dum expiraret. Expirat, ſignum datur, concurrunt neophyti, & priuſquam de illius morte ſacrificuli reſcirent Chriſtiano ritu ſepelitur. Et morientis induſtria viuorum cupiditatem ita præuenit, vt ne mortuus quidem quicquam cum profanis ritibus ſibi voluerit etiam per vim eſſe commune.

QVID IN CETERIS EIVSDEM REGNI *locis in fidei cauſa contigerit.*

CAPVT XXI.

FVndogama noſtrorum ſedes, ea pars regni Figen, quæ Omuræ terminis imminet, nec procul abeſt ab arce dynaſtæ, quem Terazaua Ximadono vocant. Hinc præter ſolitos domiciliorum noſtrorum labores ac fructus, excurritur in finitimos agros Neophytorúmque noualia. Ex arce Caratcu vocant, copioſiores fruges conuectæ, maximè vbi ab vrbe regia diſcurrentis procellæ fragor intonuiſſet. Nam vbi auditum eſt, quid Surungæ mouiſſet Imperator, placuit non imitari ſolùm ſed etiam ſuperare. Cùm enim

Fundoyamæ geſta. ille quatuordecim duntaxat proſcripſiſſet, huius dynaſtæ furor in omnes æquabiliter fulminauit. Edictum enim, vt intra certum diem, qui Chriſtum renueret eiurare, finibus cederet. Eminebat auctoritate ac diuitijs ſed in primis pietate neophytus Leo, qui præterquam quod ceteris exemplo ſemper præiret, hoc maximè tem-

pore præcurrere videbatur. In eius ædes, aut ædem potius (nam partem illarum optimam Deo dedicarat) ad fulminis fragorem auditis edictis concurrerunt, ibi omnes auctore Leone pro Christo coniurant,& in exilium abituri cum eius consilio & ope deducuntur; ipse autem tametsi non abnuente dynasta publicè Christum profitebatur, vix se continuit quin proscriptis se sponte comitem adderet; nec eum patriæ vel fortunarum amor tenuit, sed, ne athletas, ad certamen, si quod ingrueret, remanentes desereret, néue seipsum maioris victoriæ spe fraudaret.

Nec ij solùm quos edicta eiecerant, sibi constiterunt. Non defuit, qui sexcentos orizæ saccos annuum censum sponte dimitteret, ne Christianarum exercitationum libertate priuaretur. Hoc è disciplina Iusti Vcondoni hauserat, dignus tali hero famulus, qui centuplum à communi domino promissi fœnoris reportaret. Alius tametsi à fide iam diu defecerat, nec iam pro Christiano haberetur, vxorem tamen vniuersámque familiam incredibili ardore contra vim omnem defectionisque procuratores ita defendit, vt eos à certamine, desperatione victoriæ, reuocarit. Verùm insignior fuit pueri Ludouici constantia, qui anno superiore Leone hortatore ac patrino aquas exceperat salutares, nihil attendens quod parens vterque ac propinqui omnes sectam Icoxus profiterentur, qua fœdiorem Iaponia nullam nouit. In hoc igitur tumultu vicinia tota cum familia conspirans, puerum vnum frustra suscipit expugnandum: auctoritatem parentum neglectam in eo casu causabatur, quod inuitis ijs imò & inscijs à domestica religione defecisset: quibus cùm ille diuinam obijceret auctoritatem, post euictas rationes minas elicuit, non in se solum, sed etiam in parentes ac propinquos; quasi verò qui sibi non timebat, alijs timere iuberetur. Ne tamen furente multitudine alienum periculum euocaret, dies septem ita latuit, vt clam à notis aleretur. Ex absentia creuit ethnicorum furor arbitrantium, à parentibus puerum suo furori subductum: quem cùm ad pœnam frustra quæsitum exposcerent, remittente se sensim furore, parentes ipsi filij quem insequebantur, patrocinium suscipientes, vt vni puero, à quo nullum dijs patrijs periculum immineret parceretur ægre tandem impetrarunt. Ita Ludouicus è *Pueri constantia.*

 late-

latebris suis exiliens, vnus multorum victoriam religione quam publicè exercet, ostendat. Huic puero non inferiores fuerunt, quæ vxori dynastæ intra arcem famulantur. Post multa enim certamina plus etiam euicerunt quàm sperabant, vti liceret certis diebus cœtus neophytorum adire, quod Iaponensis pudor huiusmodi fœminis etiam in alta pace vix permittit.

Sacrificulorum impostura.

In eodem oppido Carateu quantum religio Christiana tot arietibus quassata sibi constitit, tantum profanus cultus in summa pace titubauit. Nam horrendi facinoris conuictus vnius obstinationis patrocinio lapsum ruinámque suspendit. Sectarij eo in oppido Iodoxus, qui Amidam elata voce inclamant, ex peculiaris instituti ratione vigent vel maximè (Iccoxus enim eundem minus fortasse surdum arbitrati silentio suo modestius interpellant) eam sectam multitudo suum dynastam, hic parentem secutus profitetur, habetque fanum nobile, metropolitæ sedem nostro more appellares. Huius parœciæ mercator nescio quis, proprióne an alieno delirio correptus incertum, correptus tamen affirmabat, se ad certam diem ab Amida in cœlum euocari, id visum sacrificulo enunciat, cui filiolum in cœnobio educandum committit. Et quoniam huiusmodi commenta magnam stipem emungunt, à sacrificulis vt non procurentur, certè non facilè corriguntur. Et iam dicta dies aderat, qua volator delirus in cœlum euolaturus dicebatur. Concurrerant ad spectandum innumeri; sed volator nescio quo negotio præpeditus post biduum se in omnium conspectu sublimem abiturum promisit, sed ipsum biduum sine ipso auolauit. Sacrificulus igitur hominem in cœnobium euocauit, hac aue aucupium armaturus, sed cum totum diem omnes elusisset, nocturnis horis nihilo leuior quàm diurnis non volabat, si non vt aquila, sed nec vt noctua. Longiorem moram sectæ suæ ludibrium non tulit sacrificulus. Ergo quàm potest occultissimè sibi fidos iuuenes euocat, & monitis quid fieret volatori tradit ad mare abducendum. Ibat ignarus volator, donec in aquas immersus exclamat se ascensum non descensum promisisse: sed frustra: madefactis nouus Icarus plumis grauior demergitur, vt in Amidæ paradisum, qui volatu non potuerat, nauigio veheretur. aquis igitur præfocatum cadauer in fanum clam reuehitur. Illud sacrificulus

culus cum suis sub conopœo collocatum podere vestiunt, epomide caput humerósque exornant, manus precatorijs, quibus vti quoque solent, globulis onerant. Id monstrum pro foribus fani summo diluculo apparet. accurrunt impostores, miraculum inclamant, fingentes eum celerrimo volatu noctu ad Amidam euolasse. Ergo ijs auctoribus multa in eius cultum collata ad cœnobitarum loculos conuolarunt. Verùm ea fraus diu latere non potuit. ipsum toparcham ferunt grauiter id tulisse, sed, ne sectæ suæ, quam dimittere non placebat, ignominiam inureret, siluisse; exultantibus interim neophytis, sibique gratulantibus, quod reiectis commentis veritatem sectati in cœlum viam æternámque ibi vitam inuenissent.

Isafay vicus nostrorum habet domicilium in quo egregiè pro Christo in hac rerum nouitate certatum est; quæ priusquam audiretur ab vrbe regia, suum cursum tenebat res Christiana, tametsi dynasta, vel potius illius parens qui omnia moderatur, Christianis sacris insensus Idolorum cultum promouet ac fulcit; cuius animum sua sponte inclinatum grauiter in nos excitauit sacrificulus quidam celebris, Sanga metropoli regni Figen oriundus. is enim cum è Quanto regno ad ortum (vbi magna literarum ac virtutis opinione summa omnia consecutus etiam Imperatoris Magister appellabatur) patriæ ac suorum reuisendorum desiderio Sangam venisset, exceptus est à dynasta prout excipi solent ij, qui in adyta principum gratiosi penetrarunt, magnis muneribus cohonestatus omnia remisit, protestatus nihil sibi gratius omniúmque munerum instar fore, si externa Christianorum sacra patrijs tantopere aduersantia suo regno exterminaret, quam rem ab ipsa vrbe regia postquam redijsset literis acriter scriptis in memoriam reuocauit. Hinc factum est vt suapte natura propensus, hoc impulsu facilè ad edicta Imperatoria, quæ paulò post aduenerunt animum applicarit. *Sacrificuli hortatu in Christianos inquiritur.*

Ergo de proscribenda religione interdicendisque illius sacris dynasta consilium habiturus Vconem vocat Iafay dominum clientem suum, è cuius sententia constitutum vt tantisper dum quid Christianorum sacris ac Sacerdotibus Miaci factum esset

esset audiretur, priori in statu cuncta relinquerentur: interim tamen quod fecerat Imperator in eos inquireretur, qui annuos censũs à dynasta possiderent, à quibus exigeretur, vt aut deficerent, aut plecterentur. Et quoniam Isafay plures esse constabat, Vcon ad suos reuertitur in Christianos asseclas suos multa moliturus.

Insignis Thomæ nobilis neophyti constantia.

Primus in quem, ceteris iam in seriem relatis, huius procellæ impetus incurrit Thomas dicebatur Vconi à secretis. Euocato enim ad se imperat vt ex Imperatoris dynastæ ac sua voluntate extemplo Christum eiuret. Ille intrepidus abnuit asseruitque se ne hoc faceret ad extrema omnia deuenturum. Pupugit Vconem deliberata famuli libertas; sed furorem continens dimittit, & post dies paucos, ex officio sumens innouandi certaminis occasionem, dynastę illi diploma in Christianos exscribendum tradit. non minus sibi constitit Thomas, negauitque se officio suo in Christianos vlla in re functurum. Vix se continuit Vcon repulsam iterum passus, quin irruentibus iracundiæ fluctibus obrutus à cœco furore in Thomæ perniciem abriperetur. Continuit se nihilominus etiam nunc & toparchiæ suæ moderatori dat in mandatis, vt seriò Thomam sibi sumat expugnandum. Fecit ille non semel, exhaustis tamen frustra persuadendi locis, postremum telum ab ipsa natura sane potens mutuatur. Habebat Thomas annosum & ethnicum parentem, cui quod viueret ex Thomæ stipendio pendebatur. triplex in eo naturæ, legis ac lucri ratio pugnatura videbatur. Ergo eum monet, vt filio sibique subueniat, illi vitæ discrimen, sibi fortunarum imminere. Verùm hic aries confirmando Thomæ non frangendo valuit. Parens enim tametsi ethnicus defectionis tamen in filio exhorruit fœditatem. Respondit igitur, filio satis ætatis esse, vt ex hoc naufragio sine auxilio parentis possit enatare. Ipsum porro filium compellans, cum à firmitate præterita collaudauit ad futuram est cohortatus, iussitque nulla parentis habita ratione in eo quod honestum esse censerat, sibi constare. Exinde Thomas inexpectata cohortatione parentis firmior ad vlteriora se extendit, eorum quæ retro erant certaminum oblitus, arbitratus est enim primam heri repulsam ceterorum exemplo morte sibi luendam; sed ad extremum post varia certamina proscriptione, quæ solet

ſolet eſſe Iaponibus ipſa morte plerunque grauior, longiorem victoriam inchoauit.

Alter qui ſecundos impetus retudit Iohannes vocabatur. Is ante menſes non amplius duos elutus, breue tirocinium illuſtri victoria nobilitauit. Laceſſitus enim ita reſpondit, ſe nec inſcio, nec inuito dynaſta Chriſti fidem amplexatum, ab ea nullis artibus poſſe dimoueri. diuturni certaminis hic fuit exitus. Iubetur fortunis cedere, domo recens extructa abire, commercio ciuium excludi. Magno animo magnam iacturam tulit, ac ſolus in auia loca ſecedens in ſtramineo mapali de tyranno, de rebus nuper ſuis, de ſeipſo triumphat. Eandem victoriam multi conſecuti dum læti mortem expectant exularunt. Sed ne rerum ſimilitudo faſtidium pariat, vno alteróue contenti, quos peculiaris euenti ratio celebriores reddit, è Figen excedemus.

Paulus à propinquis diu laceſſitus vt dynaſtæ imperio diuinum poſthaberet, muliebre certamen animo virili cum matre, vxore, filiabusque ſuſcepit, quarum vt eſt amor tenerior, ita vehementius in animos inſilit & acrius peruadit. Lacrimis, eiulatu, omniq; muliebri artificio certatum ſed fruſtra, licet omnia ſerio velut alias breui perituro ſuaderentur. Mater vltimum certamen cum filio ſanè efficax ingreditur. indicit ſibi mortem inedia ſubeundam niſi filius matri, à qua vitam accepit, vitam reſipiſcendo reſtituat. Iam triduum ſine cibo peregerat. Paulus tametſi, quod naturæ debebat, parentis miſereretur, ſibi tamen ſemper ſimilis Deum rogabat, vt quo modo noſſet vtrique malo mederetur. Non fefellit ſpes conſtantiam; Mater enim diuino procul dubio numine ſubitò immutata cum filio conſpirat: ait, ſe olim vno prælio ſeptem filios dynaſtæ obſequijs deuotos amiſiſſe, & ingratam ſibi videri, ſi hunc vnum ſupremo rerum omnium moderatori ſubtraheret. Moreretur itaque pro ſuſcepta lege conſtanter; ſe quoque in eandem tranſire velle, quam ex viſa firmitate colligeret ea ſuis ſectatoribus largiri quæ promittit. Hoc cœleſti ſolatio recreatus è domeſtico prælio ad noſtrum ſacerdotem victor accurrit, cum eo ſua ſibi Deóque beneficia gratulatur. Denique cum dynaſta ex domeſticorum certaminum fortuna publicorum euentum collegiſſet, certare de- *Alterius conſtantia mirabilis.*

M ſtitit;

stitit; sed atroci pœna damnatum domo fortunisque eiecit, ea lege vt publicè igni & aqua interdictus in ipsa vrbe inedia periret, vt omnibus vicis vagus longa morte ceteros à simili, vt aiebat contumacia deterreret. Is etsi multa pateretur, neophyti tamen occultis officijs contempto vitæ discrimine, extremæ illius necessitati subuenerunt.

Sed à viro digressi, Figensium Neophytorum victorias puerili facinore concludamus. Is cui solicitandos neophytos Vcon commiserat, nepotem habebat sexennem Vincentium nomine an omine? Is cum per eos dies Auum adisset, cum pueruio vocatus dixit, Christianos omnes in crucem agi propediem oportebit, vide vt cum ceteris ad eam mortem te compares. Cui Vincentius: Parens vterque, inquit, sibi mihique ac familiæ vniuersæ vestes ad eam mortem decenter subeundam compararunt; sed mora nobis molesta est, cuperem iam horam aduenisse. Infert auus, viginti cruces è metropoli huc mittuntur. tum puer exultans; nihil mihi lætius dici potuit, spero vnam quoque minorem mihi comparatam. tantáque lætitiæ signa edidit, vt stuporem ethnicis omnibus ingesserit, vim diuinam admiratis, quæ initia vitæ cum extremis coniungens, mortis desiderium ijs ingerit, qui vixdum bene vitam inchoarunt. Verùm è regno Figen ipso procellæ turbine delati in proximum Chicuien regnum aduolemus.

Martyrij desiderium in puero sexenni.

PACATIOR ALIQVANTO REI CHRIstianæ status in regno Chicuien.

CAPVT XXII.

NOn rarò vna eadémque fulminantis Iouis manus leuius alibi præteruolat, quæ alibi omnia desolauit. Ita huic regno contigit ideo quod fauore dynastæ, quem parens in Christiana professione moriens filio legauerat, Christi nouale tegeretur. nec tamen nihil passa est Chicuiensis Ecclesia, licet plura formidarit. Cùm igitur in hoc quoque regnum Imperatoris edictum, quo aulici quatuordecim proscripti exilio suo locum reperire vetarentur,

tur, penetrasset; nihil dubitauit toparcha, quin eas res suspensos nostros ac neophytos teneret. Vt ergo animi sui beneuolentiam publica significatione testaretur, Patrem Gabrielem Matos sacerdotem nostrum in arce sua sollemni epulo excepit, nec obscurè significauit, se nostram ædem Parentis sui sepulchrum ac nostros eius magistros intra sui regni fines, inuito etiam Imperatore, conseruaturum; ne tamen accusationi ansam dedisse videretur, in aulicos suos inquiri voluit in hunc modum. Edicit vt domestici omnes sui à Christo ad Deos patrios deficiant, ita Imperatori, ita sibi placere. aliquot ex honorarijs clientibus tametsi tirones veteranos superarunt, illi enim omni molimine oppugnati à præfectis suis non potuerunt expugnari; quos tamen ideo toparcha, qui rem hanc minus serio tractabat, impunè dimisit. E veteranis verò quatuordecim fortunarum amor à proposito suo exturbauit, extorto quidem consensu atque chirographo, non tamen sine offensione ceterorum. Toparcha verò cum arbitraretur plures occulta professione cum ceteris conspirare, ne cuius maleuolentia apud Imperatorem neglecti edicti deferretur, reliquorum nomina sibi tradi procurauit.

Qualiter se gesserit Chicuiensis dynasta.

Misit igitur ad dictum Sacerdotem nostrum quatuor è tota nobilitate primores, quorum primus totius regni moderatorem agebat: per eos hæc renunciari iubet. In hac rerum nouitate multos ex aula sibi auctores esse vt multorum exemplo euertat ædem nostrósque dimittat, ac deinde tota ditione sua Christi sacris interdicat: se tamen parentis sui memoriæ sacram ædem conseruare, quam erexit ille sibique ad sepulturam quietemque delegit; externorum etiam se misereri, quos ab extremis finibus orbis terrarum in Iaponiam venisse constabat, nulla spe lucróue permotos, quàm vt mortalibus Dei sui cultum euulgarent, quam legem parentis sui auctoritate confirmatam non erat obsequentis filij euertere: velle se igitur vt omnibus qui domesticis suis obsequijs minimè occupantur impune ac libere liceat legem illam retinere ac suscipere. Eos autem excipere se non tam sua quam Imperatoris voluntate, ne quid neglecta edictorum imperia sibi mali ab æmulis accerserent. Et quoniam ex ijs

quatuordecim sibi iam obsequerentur, nec dubitaret longè plures eodem studio teneri, velle se ab ipso sacerdote nostro nomina sibi tradi ceterorum, ne à pluribus quàm necesse sit edicti voluntas exigatur, hac ratione paucorum solicitatione omnium quietem procurari.

Ad hæc noster ita respondit: Non satis æstimari posse insignem dynastæ beneuolentiam, sub cuius vmbra decennium & amplius ea sedes tot aliorum regnorum procellas incolumis euasisset: nomina tamen à se tradi sine graui scelere legisque suæ proditione non posse, nec oportere eum qui per tot maria labores & pericula, legem suam euulgaturus aduenisset, sibi ipsi pugnantem eos prodere ad defectionem solicitandos, quos ad Christi fidem amplexandam prouocauit. Denique fieri posse, vt seriem texenti ex vniuerso numero aliquis imprudenter excidat, qui si deinde fuerit deprehensus, minus fideliter egisse credi possit. Et cum nonnihil cum dynastæ legatis certatum esset in hunc modum, aliud nihil retulerunt. Res erat periculi plena, cum dynastæ sibi nolint à quoquam repugnari. Ergo vbi renunciassent, cum nouis mandatis extemplo domum remittuntur, Velle se neophytorum nomina sibi tradi, tametsi hoc lege nostra nefas esse constaret. Ipsi autem primores multa de suo addentes, ceterorum quietem, dynastæ facilitatem, quem constabat minimè sæuiturum, imminentem eius iram, antiqua beneficia, aliáque multa commemorabant. quibus cum modestè satisfactum esset, habitæque pro humanitate gratiæ; nihil tamen in priore responso habere se dixit innouandum. Quid expectas? creuerat ex repulsa discrimen, nihilominus ille in cuius manu sunt regum corda, illius animum emolliuit, remisit enim vnum è quatuor qui renunciaret sibi perpensis Patris rationibus abunde satisfactum, tranquillo animo deinceps antiquum retineret. Quo responso nostri hostes qui iam mussitabant siluerunt, & neophyti gratijs Deo actis planè conquieuerunt.

Periclitatur rei Christianæ status.

Hoc ipso tempore cùm dubio in statu res Christiana nutare videretur, ipsius dynastæ consobrinam vniuersa familia simulacris addicta, mater, fratres, maritus, socer & ceteri propinqui distributis inter se insultibus aggrediuntur: sed omnes retudit impetus,

clypeo

clypeo fidei præmunita. Fratres repulsam passi dolis armantur, tres è prima nobilitate solicitant, qui se à dynasta missos mentiantur, arbitrati non ausuram expresso dynastæ imperio repugnare. Verùm cum illa fraudem præsensisset, sua prudentia præuenit. Misit ad eos, qui venturi dicebantur, nuncium quo se quid cuderetur rescisse significat, valde sibi molestum fore, si secum fraudibus agatur, easque regni primores in se parum cordatè suscipiant. quo nuncio sopita res est, ipsáque nemine interpellante antiquam retinet pietatem.

Dynastæ consobrina vt se gesserit.

Ex ijs porro qui defecerant, vnus cum maximè resipiscere voluisset, moriens sacramenti pœnitentiæ beneficium consequi non potuit tametsi sperandum sit, eum virtutis pœnitentiæ beneficio cum Deo in gratiam rediisse, cuius signa magna doloris significatione præ se tulit. Grauius plecti visus est, vici cuiusdam præfectus, qui nulla dynastæ auctoritate neophytos ad defectionem lacessendi negotium ex sola animi maleuolentia susceperat. Qui enim casum alijs procurabat, ipse ex equo ruens pede intra sublicem pedaneum, quem stapedem vocant, impedito raptatus interijt.

Apostata punitur à Deo.

Amangui alia est eiusdem regni nostrorum sedes in cuius finibus cum præfecti propria auctoritate edixissent, vt neophyti omnes proposita crucis pœna deficerent, omnes prope sibi constiterunt. Magna fuit ad mortem pro Christo subeundam, sed solita comparatio. Verum in solo malorum metu malum fuit, breui enim dynastæ edictis constitit cum solis ijs agi, qui domesticis illius obsequijs occupantur. Ibidem incidit res planè admirabilis. nam in incensæ neophyti cuiusdam domus fauilla reperta est sacra cerei agni effigies, ambusta theca & funiculo quo gestabatur ita integra, vt non solum non sit ab igne liquefacta, sed nec ipsum candorem amiserit. Prodigio etiam simile fuit, quod in exhumati pueri sepulchro repertum scribunt. Nam eius sarcophagum, in quo Iaponensi more corpora condi solent, floribus quibusdam purpuram colore æmulantibus coopertum ab exhumatoribus reperiri lego: quin ipsum cadauer intra sarcophagum ramus florum candidi coloris ita texerat, vt studio ad ornatum dispositus videretur. Ea res à neophytis pro miraculo habita, ipsique flores ab ijs ad memoriam venerationémque collecti.

REGNA CHICVNGO, BVIEN, BVNGO, *quid hoc rerum statu pepererint.*

CAPVT XXIII.

NEophyti qui Chicungo regnum incolunt in hoc rei Christianæ tumultu multa fecerunt, pauca præ ceteris pertulerunt. Cum enim à Gubernatoribus edicto publico Christianis sacris proposita mortis pœna omnibus esset interdictum, viri, fœminæ, pueri ac puellæ de prodigendis fortunis, patria, vita, sanctè coniurarunt, inter quos plerique primorum domestici hoc addiderunt, vt si ex eorum numero aliquis ea de causa publicè plecteretur, communi se in medium prodeundi & publicè eandem fidem protestandi eandemque mortem expetendi, sacramento adstringerent. Nec defuere mercatores, qui solitas ad sua lucra excursiones, ne martyrij iacturam facerent, hoc tempore omiserunt. Alij cum ex Ethnico quodam optimate inaudiissent intercolloquendum, ideo regni moderatores ab ijs lacessendis abstinere, quod arbitrarentur omnes iam à Christo defecisse; ad eos longe positos se contulerunt hac vna ex causa, vt se in sua fide constantes, nunquam defecisse aut defecturos esse profiterentur. E quibus vnus fuit, qui cum ab ijs serio vrgeretur vt Imperatorijs edictis cederet, ita respondit: nihil miror eos, qui certam in Christiana religione salutem reperiri ignorant, hæc nobis suadere; quod non facerent, si quæ nos assecuti sumus, assequi laborarent. Hinc ad concertationem de Iaponicis sectis venitur, in qua cum neophytus ille victor silentio victos damnasset, ad iocum omnia reiecerunt, globulos illi ex sacrificulorum ritu precatorios per vim ingerentes, quos ille seriò reiecit & iocum ioco rependens, asseurauit illos ne manu quidē gestari posse, quod nimium vrerent, alludens ad æternum ignem, quo Idolorum cultus castigatur. Eum deinde iniurijs affectum gubernatores à se reiecerunt, professi cum ijs qui mortalia omnia mortemque ipsam spernunt, frustra certari. Alij autem à gubernatoribus de sua religione interrogati, rogatique constantiæ suæ chirographum alacres obtulerunt

In regno Chicungo neophyti vt se gesserint.

pro

pro eo ſpem martyrij reportantes. Alij cum hoc tempore ſimul Chriſto ſua nomina in Baptiſmo dediſſent; commilitonem transfugam ita exhorruerunt, vt nec alloqui aut ſalutare poſthac voluerint: ille verò defectionis ſuæ ignominiam non ferens, reſtitutis quæ acceperat ſacræ militiæ armis, roſario videlicet ac imaginibus, in morbum incidit primum, deinde ſponte ſuſcepto exilio conatus eſt perfidiæ ſuæ dedecus ſepelire, eáque res valuiſſe dicitur ad multos qui nutabant in officio continendos. Sed tandem hoc quidem anno omnia conquieuerunt, noſtríque domicilio ſub Yanagaua velut ſtatione Chriſti caſtra tutati ſunt.

Buienſis regni turbæ cùm anno ſuperiore communem Iaponenſis Eccleſiæ tumultum eiectis noſtris præueniſſent, hoc anno quietiores, nihil in Neophytos furoris pepererunt. Et licet à noſtris viſitari non potuerint, procuratum eſt tamen vt officia ſalutationis inter Epiſcopum ac dynaſtam per ſacerdotem Epiſcopi miniſtrum in neophytorum vtilitatem cederent & noſtrorum abſentiam curámque ſupplerent.

Bungenſia nonæque pacatè ſidera colluxerunt, eò pars aliqua fragoris calamitatiſque deuenit. Eo in regno tria ſunt noſtrorum domicilia. Tacatá, Nótcu, Xinga: in poſtremo toparcha nihil mouit, in alijs duobus Vſúqui Prætor priſtinam beneuolentiam Imperatoris metu vehementius quàm ſperabatur immutauit. Nam cum edicta imperatoria in ſolam nobilitatem ac dynaſtarum familiares ſæuirent, ipſe prope ſine exemplo promiſcuum vulgus, ac ipſos quibus ſemper parcebatur, colonos diuexauit. In eam rem quatuordecim perfidiæ miniſtros ac impietatis incentores tota ſua præfectura ſparſos nominauit, ijs præconibus edixit vt omnes in quatuor maximè capita coniurarent. Primum quod ex proſcriptis ab Imperatore quatuordecim Chriſti pugilibus neminem eſſent hoſpitio excepturi, aut vlla re adiuturi. Alterum vt Chriſtum eiurarent, & è patrijs ſectis quàm maximè vellent eligerent, eámque nominarent, vt & ſacrificulum in cuius parœciam erant tranſituri. Tertium vt omnia Chriſtianæ religionis arma tradere cogerentur, imagines, roſaria, cereas icones agni luſtralis, & alia huiuſmodi. Quartum vt ab ædis noſtræ ingreſſu poſthac abſtinerent. *Edictum in Christianos.*

Hæc

Hæc illi edixerunt. Neophyti porro sibi minimè defuerunt, nam in vnum conglobati ad impetum sustinendum vires animósque strinxerunt. Sacramentorum vsurpatio, solemnis pro fide retinenda obeundáque morte coniuratio, ac sæpius alibi repetitæ comparationes ita exarserant, vt huius procellæ ventus optari potuerit, quo multorum ardorem intra tepiditatis fauillam sopitum excitaret. Nihil per eos dies agebatur, quam quæ cuique mortis metus vnà cum fidei amore colluctans suggerebat, multorum annorum peccata expiata exhaustæque sentinæ, dies noctésque domi mulieres, quas in proprio sanguine cruci affixi lauarent, sibi, maritis, filiolis ipsis vestes consuebant, nullus nisi de martyrio domi foris que sermo, commercia, agricultura, solitæ mortalium occupationes ab immortalitatem sperantibus negligebantur.

Neophytorum feruor.

Hæc omnia perfidiæ solicitatores in rabiem desperationemque agebant, qui ne nihil obtinuisse dicerentur adhibitis ethnicis neophytorum propinquis chirographorum fidem perfidè mentiebantur: sed hoc ipsum vbi constitit in fraudis auctores redundauit, vulgo enim ad eos concurrebatur, ficta illorum manus repudiabatur, chirographum verum minimè postulantibus obtrudebatur. Quid agerent perfidiæ ministri? vocantur à toparcha gestorum rationem exacturo, quine culparentur aut negligentius peracti muneris aut nullius industriæ, inter se conspirant omnes, vt in nostros huius pertinaciæ culpam conijcerent. Multa criminabantur, nostris auctoribus omnia turbari, edicta publica contemni, ad eam rem cœtus cogi, cohortationes haberi, sacramentum exigi, aliaque sexcenta. Nostrorum absentiâ pudorem neophytis deficientibus detergendum, præsentiâ non ferendam illis ignominiam videri.

De nostris eijciendis agitur.

His toparcham facilè incenderunt impetrarúntque vt extemplo nostri suis sedibus Tacata Notcuque pellerentur, & finibus eiecti Nangasaquium mitterentur, ædes suas sacras ac profanas more Iaponensi instratas fisco relinquerent, nulláque mora illis concessa extemplo mandatis suis parere cogerentur. Nec mora, nostri sedibus suis crudeliter eiecti statuerunt tamen oues suas nullo pacto deserere, sed neophytorum opera in rustica se colonorum mapalia noctu receperunt, tametsi qui Tacatæ residebat, Pater Petrus Paulus

Eijciuntur nostri ac deinde reuocantur.

lus Sacerdos noster tum grauiter ægrotaret; quod vbi toparcha audiuit sedato iam primo furoris impetu mollior, conquisitum in suas ædes iubet reuocari, & valetudini curandæ quantum temporis satis esset otiosè concessit; & ad eum iuuandum socio qui è Notcu pellebatur commorandi facultatem concessit. Itaque t tum hunc annum nostri suas ædes de more tenuerunt. Cum neophytis quoque moderatius actum quàm prius certamina portendebant. In causa duo exularunt, alij duo in vincula coniecti breui libertatem receperunt, vnus munere quod gerebat publicum priuatus est.

Admirabile videri potest, inter eos metus ad quingentos adultos potuisse Christo aggregari, inter quos prodigio similis est energumeni liberatio. Is in eum furorem agebatur, vt contineri vix posset, ipsis ædibus ignem non rarò admouebat, aliáque in heri perniciem multa moliebatur, à quo ad nostros adductus ita pacatè de Christi doctrina perorantem audiebat, vt notos in admirationem raperet. elutus denique planè liberatur.

Alius quoque intra Bungense regnum Toparcha Funay agri neophytos clientes suos exagitauit, idem feruor fuit, eadem comparatio. Nonnulli vincula experti mortem expectabant, alij multorum pugnas, molestias, fraudes, constanter pertulerunt, sed aliquot pro scriptionis nostræ instituto seligamus. Ethnicus maritus vxorem ad magistratus detulit Christianam, ac scripto recepit effecturum se vt Christum abdicaret. Audijt hoc virago Christiana, magistratus adit, fidem profitetur suam, mariti perfidiam reprehendit. Eius impudentiam cum magistratus impotentius increparent, ita respondit; duo rosaria, vt videtis, gesto (illo enim ornatu comparuerat) alterum è collo, alterum è manibus: neutrum se daturam professa est, quin prius raptores illi collum aut ambas manus amputarent: quod si placeret exequi, nihil esse quod aliud tempus locúmque deligerent. Quo responso victricem stupefacti magistratus dimiserunt.

Sexennis puella cum occupatam in vestibus ad crucem consuendis parentem suam obseruasset, rogauit vt sibi quoque vestem concinnaret. Concinnaui, ait, tibi & fratri tuo minori. Responso læta ad fratrem suum natu maiorem excurrit, Tibi vni vestis non *Varia neophytorum pralia.*

N para-

paratur, quæso si nobis in crucem actis superstes futurus es, etiam atque etiam caue, ne à Christo deficias. Quis non hæc gratiæ prodigia in sexu & ætate bis fragili admiretur?

Certamen grauius fuit & victoria nobilior coloni cum hero suo. Is cum ex agro venisset ad obsequia, quæ debent certis temporibus, exsoluenda, interrogatus est clarè ac dilucidè an Christi fidem eiurasset, & ad sectas patrias se recepisset. Hoc ait nec feci, nec facturus sum, cetera in obsequium tuum omnia non detrecto. Excanduit herus, nec libertatem ferens Christianam, facies, inquit, nunc aut morieris; & ferrum educit; ille in genua ruens ictum expectat. Eiura inquit; Neophytus verò: non eiuro nec moriens. Herus auerso mucrone obtuso ictu collum ferit. Et iterum, eiura, inquit, aut morere. non eiuro inquam. Ictum repetit innoxius, & id magno conatu ac furore cum ter iterasset, toties ille sibi constitit, nec visa morte expalluit. Ad clamorem accurrit vxor, & maritum furenti hero eripit, querentem, sibi martyrium potius quàm se martyrio defuisse. Quod vt continuo dolet, ita facinus egregium & præclaram Christianæ fidei professionem neophyti passim illi gratulantur.

Insigne coloni facinus.

NEOPHYTORVM IN REGNO FINGO PRO *Christi fide certamina.*

CAPVT XXIV.

Fingensi regno adiacent Insulę minores aliquot, in quibus Xiqui, & Conzura nostros habent sacerdotes singulos cum alijs rei Christianæ administris in singula domicilia distributos. Parent illæ Terramanæ toparchæ, à quo non exiguus in hac rerum nouitate metus fuit, nam cùm beneuolos hæc tempora dynastas immutassent, quid à maleuolis beneuolentiæ poterat expectari? constabat eum quo tempore has Insulas ex Imperatoris munificentia sibi adiunxerat nostros eiecturum, nisi colonos suis pastoribus destitutos credidisset migraturos, & agrorum culturam dimissuros Insulisque solitudinem inuecturos; rebus autem iam aliquot annorum dominio confirmatis, videri poterat minus formidaturus. Et sanè

constat eum, cum hoc ipso tempore è Caratcu arce sua primaria in Insulas nauigasset, hæc animi sui consilia exportasse, quæ cum inter nauigandum suis aperuisset, non defuere ex domesticis complures qui efficacissimis rationibus ab ipsius toparchæ commodis petitis hanc illi mentem expulerint.

Cùm igitur exscendisset animum suum minimè occultauit. nam cum in Xiqui noster Sacerdos P. Garcesius ad eum officiosus visitator ex more aduenisset, hæc ipse illi significauit: Non ignorabis ea quæ Surungæ contigerunt; his adductus nullo modo mihi videbatur ædem publicè sacram in terris meis posse retineri. Verum ex aulicis meis non pauci multis rationibus à me ne id facerem euicerunt. Manere igitur licebit, & antiquum retinere; sed ita fiat moderatè ne inconsulta rei Christianæ tractatione ad omnia euertenda compellamur: & maximè cauete, ne quem ignotum excipientes è proscriptis Imperatoris aulicis contra eius edicta suscipiatis etiam imprudentes, vnde mihi ipsi, nec tantùm vobis ingens malum obueniret. Hoc inopinato nuncio recreati nostri, neophytiq; Deo sua beneficia gratulantes ita se intra prudentiæ limites continuerunt, vt tamen officij sui finibus clauderentur. *Periculo imminenti res Christiana eximitur.*

De quibus multa, si omnia dici possent. Vnius à simulachris ad Christi sacra conuersio aliquid habere videtur non omittendum. Ethnicus potens qui toparchæ censibus præerat, vir ferox & impotens fœminam Christi sacris initiatam neophyto marito rapuerat, & aliquot annos ea vt pellice abutebatur. Illa tametsi remissior fuerat ad pudicitiæ coniugalis iura retinenda, fidei tamen suæ tenax ferocem animum ad Christi suaue iugum sensim mansuefaciebat. Superuenit ad eum edomandum ægritudo, cuius desperatione in spem salutis adductus nostrum euocat, instruitur, remissáque pellice baptizatur, nec ita multò post cum ad extrema venisset suauissimè cum Christo colloquens, ac vitæ finem postulans, ne malitia mutaret intellectum, intermortuis semper vocibus sanctissima Iesu ac Mariæ nomina pronuncians, vitam inchoasse sperari potest, quando mori cœpit. *Mors obita Christianè.*

Ad eius funebrem pompam Christiano apparatu instituendam, cùm iam omnia comparata essent, & multi mortales ad quatuor

& amplius millia concurrissent, cum iam alumni nostri cantum inchoassent, ecce tibi sacrificuli aliquot, vt corui ad cadauer prædæ odore aduocati, tumulū circumsistunt, & consuetas deprecationes obmurmurant, alumni nostri numero concentúque superiores obtusa murmura silentij damnant, & spectaturi remanent qui aduenerant cantaturi. Expleta funebri comprecatione, ab vno è nostris alumnis de altera vita ita peroratum, vt ethnicorum somniorum vanitatem & nostrorum scitorum veritatem omnibus probaret, non sine sacrificulorum qui semper adfuerant rubore, & audientium fructu & applausu. Sed grauiora intra Fingensis regni viscera neophytorum certamina contemplemur.

Diuisum inter se Fingense regnum tenebant Canzuye & Augustinus ille Ecclesiæ Iaponensis magnus defensor. Dynastiam hic suam magna ex parte Christiana fide collustrarat. Sed eo extincto pristinæ tenebræ sub Canzuie tyranno non ita occuparunt, quin multis in locis velut terra Gessen Ægyptiam noctem euaserit; quin potius illorum locorum non tirones sed veterani milites ab annis amplius quindecim Christianis prælijs exercitati hac rerum nouitate nihil territi ceteris fortitudinis exemplo præluxerunt. *Fingensium rerum status.* Nam tametsi tyrannus aliquot martyrum coronator vel inuitus, inæquali morte perierit, & filium reliquerit prouinciæ sed nondum per ætatem conditionis hæredem; illius tamen moderatores muneris sui esse duxerunt, id facere quod mortuus fecisset parens, aut si per ætatem liceret filius facturus crederetur. Ergo nouis edictis Christianam legem insectati in ijs etiam exequendis noua immanitate, sed citra sanguinem semper & atrociùs ideò fortasse sçuierunt. Longum esset omnia commemorare quæ in libro vitæ conscripta asseruantur; sed tamen singula loca percurrentes è singulis aliquid apum more delibemus.

Cumamoto regni caput, & primaria dynastæ sedes est, ab ea quoque inchoemus. In ea viuebat Romanus, vir nobilis, in quem prima huius certaminis pila diriguntur, dies supra quadraginta Romanus prælio victor, hoc vno responso omnia eludebat: Viuens ac moriens ero Christianus. Quo tempore filium Petrum aggressi hoc responsum acceperunt: nihil æque me angebat cùm exagitari paren-

parentem videbam, quàm ne fortè tot machinis cederet, quod ne fieret continuis precibus à Deo postulabam: non est igitur quod speretis id à me impetrandum quod in alio exhorrebam. Natu denique minorem acerrimo præter multa telo inuadunt, Parentis fratrísque dignitatem ac censum illi offerunt, si sapientior illis videri voluerit. æque sibi omnes inter tot tamque diuturnas concertationes constiterunt; quarum finis fuit solita proscriptio, quæ cum cætera omnia rapuisset vnicam illis vestem reliquit frigidum solatium nuditatis, cum qua vna sub Christo paupere diuites Nangasaquium deuenerunt. Nec hi soli, sed non ita multò pôst in simili certamine non inferiorem victoriam nobiles aliquot alij & negotiatores consequuntur.

Vnius familiæ constantia & proscriptio.

Sed admirabilis mihi videtur fuisse Pauli quoque nobilis neophyti ex ordine militari constantia, qui responsorum suorum seueritate martyrij palmam extorquere velle videbatur. Hunc ad defectionem solicitandum regni moderatores duci suo sub cuius vexillo militabat viro ethnico commendarunt. Is pro auctoritate iubet vt Christum eiuret, quod ita iuberet Imperator, Iubeat, inquit, Paulus, Fingensis dynasta, iubeat Imperator non sum imperata facturus. Si facere nolis, inquit dux maleuolè beneuolus, Ego pro te chirographum scribam, & moderatoribus dabo. Non patitur, ait Paulus Christi sincera lex istas fraudes: si feceris, ego tale chirographum apud ipsos Gubernatores eiurabo. Stomachatus præfectus in minas ruit; verùm ac si silicem silice concuteres in milite diuinus ignis exarsit. Non si me in auios saltus eieceris, non si lento igne viuentem torrueris, non si lignea serra medium diffideris, non si in frusta discerpseris, non si quo alio pœnæ genere excruciaris, aliud impetrabis. Cùm hæc totidem verbis edixisset; addidit animo magis ac magis efferuescente: vtinam iniecta in collum reste per omnia Iaponiæ regna raptarer inclamante præcone, ideò raptari quod Imperatori Christum eiurare mandanti non obedirem. Obstupuit ethnicus satis dubius an enthei furores illi parum sanæ mentis deliria essent; sed quem in ceteris sapere videbat, in hoc vno quis credat delirare? iudicauit aliquid esse in eâ lege plusquam humanum, cuius intuitu mortales se supra naturæ conditionem eueherent.

Admirabilis alterius constantia.

Adhibiti sunt ad eundem expugnandum commilitones; certatum est à gubernatoribus spe ac promissis, quæ nobiles animos, quos acuunt minæ, non rarò solent obtundere. Vrgebatur vt annuam defectionem admitteret suo postea victurus arbitratu: æquè omnia reiecit, & vnum præ reliquis quæ offerebantur postulabat, vti secum breuitate certaminis labori parceretur, sibi moram morte grauiorem. Sed quod maximè cupiebat impetrare vel potius extorquere non potuit, vita illi ad pœnam conseruata; nouo enim proscriptionis genere in nudam omni apparatu domum relegatur, ibique adhibitis custodibus ad dies nouendecim asseruatur, fame vt arbitrabantur lentissimo, & quod inde fit atrocissimo mortis genere periturus. Verùm miseratio amicorum custodes aut fefellit, aut corrupit. Clam refectus superstes erat imò vegetus, quare hoc quoque martyrij genere desperato eijcitur. Nec absimili certaminum euentu Michael nobilis adolescens vicit, cuius vxor Agatha mariti consilijs tentata vt ad suos se reciperet, maritum deserere noluit, tametsi nuditatem illi publicam neophytis viris ac mulieribus intentatam obijceret. Dicebat enim se ex quo Christo animum & corpus holocausti sacrificio deuouisset, se illius causa nullam pœnam, ignominiam nullam detrectare, quæ in ipsius gloriam cedere posse crederetur. Eadem deniq; bonorum proscriptione exuti intra proprias ędes recluduntur, custodiuntur, ac deinde exterminantur.

Quo tempore hæc aliáque in vrbe Cumamoto miscebantur, in alia arce cui Vto nomen est, quæ Augustini sedes fuerat, Neophyti quoque vrgebantur, nec ijs ferendis lassabantur, quibus nos aut scribendis aut legendis fatigamur. Bartholomæus ex ordine militari nobilis, sub cuius cura toparchæ census numerabantur, iussus Imperatori parere respondit se legem illam cuiuscuius foret antiquare: qui hæc Gubernatorum nomine renunciabat indignatus ait; atqui scias iam magistratibus certum esse Christianos contumaces intra culeum sine veste consutos toto regno arundinibus vapulaturos: atqui plura sunt ait Bartholomæus, quæ ego Christi causa mihi propono toleranda. Apage, inquit ille, deliras, in filio tuo Dario plus humanitatis inueniam. Atqui, Darius inquit, si parens vterque me præsente defecerit, ego mihi Deo iuuante constabo; nec est

Nobile alterius familiæ certamen.

quod

quod vltra suadendo fatigeris, nobis aut Christianè viuendum aut Christianè moriendum. Non ita multò post Darius annos iam natus tres supra viginti, cum cohortis suæ ducem viseret, in multorum præsentia denuo lacessitur in hunc modum. Ex commilitonibus nescio quis Christianis prælectionibus imbutus in sua cœcitate remanserat; is gloriari solebat rerum nostrarum peritia, vnde petitis argumentis ita concludebat: Christiani martyrium appetunt, certam vt credunt ad salutem viam: ijdem fatentur à religione transfugas posse in gratiam recipi: quin igitur vt prius ex religionis tuæ præscripto appetis, ita posterius tuis commodis nobis gratificaturus arripis? Procul adhuc abes à regno Dei, ait Darius, prius vt licitum appeto, posterius vt illicitum execror, quod ego nec vestra causa, nec vllius alterius sum admissurus.

Cum Patris filijque desperata defectio videretur, ad vxorem Bartholomæi, Darij matrem commilitonum coniuges amandantur: ab ijs armis muliebribus impigrè certatum, sed & impigrè repugnatum. Ad conuitia venitur, serpentinum illi cor esse quod mariti filijque pernicie lætetur: dignam esse in quam ignominia omnis à magistratibus intentata laxetur. Et vna; extincto, inquit, marito ac filio mulioni traderis seruitura: at illa: non horreo seruitutem, illius moram queror. Vtinam in hac ipsa arce in omnium conspectu seruirem, lignari palam ad obsequia culinæ nil puderet. Denique post varia prȩlia, domestica proscriptione conclusi viginti dies totos, sed ne adhibitis quidē custodibus inclusa cū illis principio fames ita teneri potuit, quin illatis ad eam excludendam necessarijs quotidie pelleretur. Eiecti tandem toto regno aliò se cum sua victoria receperunt.

Nullus erit finis si huius generis omnia persequar, nam non in solos militaris ordinis optimates certatum, quibus educatio fortasse plus animi, exercitatio minus terroris adferebat: negotiatores, quibus vtile plus quàm honestū placet, coloni quibus natura paruis assueta vix ad res magnas aspirat, fœminæ quarum anima mollior, pueri ac puellæ quarum sensus tenerior, senes quos ætas vegeta defecerat, iuuenes quos amor vitæ à morte deterret, omnis ætas, sexus, conditio, gratiæ diuinæ fauore naturæ vitia superabant. In ijs Hiero-

Non absimilis alterius familia pugna.

Hieronymus quidam negotiator, cùm à Iudice iuberetur Christum eiurare, nec faceret, iussus est hanc suam voluntatem scripto tradere, quod ipso momento fecit in hanc sententiam: Tametsi alijs in omnibus gubernatoribus regni obtemperare, in deserendo tamen Christo, in cuius vnius lege salutem suam mortales consequuntur, nec possum nec debeo quod ita me sentire propriæ manus auctoritate confirmo. Proximum huic illi cum propinquis certamen fuit nocturnum ac diurnum, omnibus in eum artibus sed maxime minis certabatur. Ad quas vnum erat in hæc verba responsum: Pœnarum incrementa lætitiæ mihi cumulum facient ampliorem. Minas conuicia exceperunt, feram vocant, barbarum inclamant, emotæ mentis arguunt. Ipse vero tanquam surdus non audiens, & sicut mutus non aperiens os suum. Coniugem tamen minæ, conuiciáque terrebant ac pungebant: quod cum inuictus Christi pugil aduertisset: quid agis vxor, inquit, non aduertis has à Dœmone animi perturbationes immitti? nunc est probanda si locum virtus habet. His dictis eosdem quos spirabat ignes concepit, & mortis cupida non potuit in posterum à sententia dimoueri. Hieronymus quoque filios auctoribus amicis periculo subducere subterfugit asserens, se rapinam in holocausto suæ familiæ cum ipso Deo detestari. Tandem tamen martyrij coronam quam sperabant cum bonorum proscriptione atq; exilio commutarunt. Eandem fortunam post eadem prælia alij quoque multi sunt consecuti.

In alio quoque vico, Comaxiri nomen est, cum alijs multis, sed maximè cum Neophytorum principe in fidei causa decertatum. Is à Dynasta censu annuo ideo cohonestabatur, quod maris patrij peritus probè nauarchi officio in ipsa dynastæ celoce fungeretur, cum in regiam vrbem ad Cami littora nauigabat; quod iter, quia inter Insulas nauigatur, qui norunt accuratè, à dynastis illorum littorum dominis æstimantur. Is erat Neophytorum velut parens, cuius domus, asylum, ædes sacra nostrorum cum gregem suum interuisérent refugium. Sollemne illi erat aberrantes in sectarum Iaponensium pelago ethnicos ad capessenda duce fide velut stella salutis littora prouocare. Hæc omnia quo acrius incendebant sollicitatores ad defectionem vel persuadendam vel exorandam, eo

Praclara nauarchi Christiani pralia.

vehe-

vehementiora illi prælia præpararunt, quæ non est facile commemorare, quanquam difficilius fuit tolerare. Denique hoc fuit illius præclarum sane responsum: Ex eo tempore quo primum auctore Canzuye in Christi legem edictis pœnísque Sæuitum est, vitam in ea causa ponere in votis fuit, qua ex causa nunquam publicam fidei meæ professionem omisi, quin ipso dynasta teste, solitas orationes diuersis precandi globulis quotidianum pensum inter nauigandum exsoluebam: Absit vt iam alius videar à meipso: Cum libuerit, me familiámque vniuersam in crucem agite, nihil est quod aliud à me speretur. Quæ cum dixisset arbitratus optatam palmam emeritæ nauigationis minimè sibi in hac procella defuturam, ad enatandum per sanguinis sui fluctus in cœlestem portum se cum familia sedulus accingebat. Et ne quem amicorum eiulantium, ac velut in funere præficarum voces inconditæ familiæ tenerioris animum emollirent; omnem complorantium turbam ædibus excludens ipse sua constantia vultúsque serenitate ceteros confirmabat. Sed neque tum nauarchus optatum vitę naufragium fecit vt in portum enataret: sed longiorem procellam ingrediens bonorum proscriptione, onus eijciens per varios exilij errores in hoc diutiùs vitæ pelago fluctuauit.

Insigni multis nominibus in alio vico cui nomen Ongaua Petri neophyti certamine Fingensium facinora concludamus. Isfortunarum copia cum veris virtutum opibus certans neophytis ad omnia prælucebat. Ad eum missi de Christo eiurando nuncij hoc ad regni moderatores responsum retulerunt: Tametsi ad opes meas triginta Iaponiæ regna addideritis, & auri massam Vngen altissimo apud Iapones monti parem tradideritis; non sum Christi fidem vel tantillum deserturus. Post hæc non defuere, qui iudices mentito, si vellet, chirographo volentes fallerent. Ego verò, inquit, non solùm totam Iaponiam, sed vniuersum orbem si opus fuerit ad eiurandum tale chirographum oberrabo. Aduenientes porro nobiles duos ex oppido Yatcuxiro ad eum acrius lacessendum hoc admirabili responso ac pæne Apostolico animi vigore à se reiecit. Tametsi Sacerdotes omnes è Societate Iesu magistri nostri, imò & totius orbis Christiani à fide deficerent; eam tamen Deo aspirante non

Responsa neophyti nobilis inter certandum admirabilia.

te non sum deserturus. Mirandum quidem in neophyto. quid enim aliud dicebat Apostolus cum diceret, *Quis nos separabit à charitate Christi, &c. Certus sum enim quod neque Angeli, nec ceteri separare nos poterunt à charitate quæ est in Christo Iesu.* Et quid aliud cùm suadebat, vt nec Angelus, nec sibi ipsi aliud suadenti si fieri posset acquiescerent. Iam domi suæ adhibitis custodibus seruabatur cum hæc diceret, entheósque spiritus ex animi feruentis incendio exhalaret. Inde ad iudices literas scripsit supplices, vt custodum labori parcerent, (pernoctabant enim ad ianuam vicini) nihil esse quod aliud à se impetrari posse sperarent. Ignatio martyri similis videbatur, nisi quod ille feras, hic tyrannos lacessebat. Et tamen quod optabat, impetrare non potuit. Vnà cum familia relegatus longam mortem viuebat, non amissurus præmium illius quo carebat inuitus. Ita Fingenses hactenus, qui sua nos constantia dictisque diutius opinione, non tamen sine voluptate tenuerunt.

QVID IN PARTIBVS CAMI HOC ANNO contigerit.

CAPVT XXV.

CAmi regiones, vel alio nomine Goquinai, vocant quinque regna, quorum caput est Miacum, Dairi, cuius est legitima in vniuersam Iaponiam potestas, regia. In eo sunt nostrorum sedes aliquot, Miacensi domicilio attributæ, quas ideo eadem tractatione persequemur. In alijs quidem regnis sumpta ex Imperatoris exemplo sæuiendi occasione, sæuijt vnusquisque prout animo affectus erat, vel à cupiditate placendi, vel ab odij vehementia. Cùm autem Miacum, vt imperij, sic & superstitionum antiqua sedes sit, eúmq; velut lernam suam omnium scelerum colluuione redundantem hæc hydra gentilitatis ad incolendum delegerit, exploratum omnibus videbatur, primam post Surungam persecutionis procellam ei imminere. Nullum ergo dæmon per se suósque administros non mouit lapidem, vt Miacensem Eccclesiam exturbaret. Ea enim destructa totius imperij templa simul ruitura præuidebat. Interea

Patres

Patres omnésque neophyti ad excipiendum hunc impetum, ad mortem & exilium assiduis orationibus, sacrificijs, corporísque afflictationibus se comparant, & inter alia, quadraginta horarum supplicationem ante imaginem S. P. Ignatij instituunt, Deum cum lachrymis impensius rogant, vti per illius patrocinium & S. Francisci Xauerij labores in illis regionibus Ecclesiæ adiungendis susceptos, tyranni furorem iramque mitiget. Mira res rebus iam omnino desperatis, vltimo orationis die renunciatur decretum esse ab Imperatore, vti Miaci res Christiana intacta suum teneret cursum. Perpulit enim Dominus ita Curadonum gubernatorem Miacensem ethnicum, & qui olim Boncius seu idolorum sacerdos fuerat, sed mitem, prudentem, nostrísque in paucis beneuolum. Hic sponte sua Imperatorem adit, cui inprimis gratus erat, suadétque ne religionis vnius causa reipublicæ pacem vellet perturbare, cum præsertim tam varijs imo contrarijs inter se placitis sectisue tota Iaponia discissa sit: nec iustum videri ob vnius aut alterius crimen religionem damnare, sic enim nulla stabit, cum illa viam doceat, deuiare autem humanæ sit fragilitatis. Hoc vnum, ait, expertus noui, Miaci neminem Christianis quietiorem, magisque legibus obsequentem reperiri. Mouit Dominus adamantinum tyranni pectus, iubetque vti vnum tantùm Societatis templum quod Regio diplomate iam pridem in Ximoquio seu in inferiori ciuitatis parte situm, omniúmque Cami residentiarum caput erat, integrum intactúmque remaneat: simúlque declarat Christianam religionem solis nobilibus, aulicísque interdici, non vulgo. Respirare visæ sunt hoc læto nuncio omnes Cami Ecclesiæ; licet enim rediens è curia gubernator alia duo minora templa, Societatis vnum, in superiore ciuitate situm, dissolui, alterum Patrum D. Francisci in ciuitatem Fuximensem transferri iusserit; missus tamen à gubernatore præco, qui hanc vnam Ecclesiam nostram nouo indulto stabiliri nunciabat, omnibúsque ad illam liberum permitti aditum, dolorem minuit, firmauit animos, inimicos compressit. Et hoc indulto dynastæ suarum quisque prouinciarum ecclesias intactas reliquerunt. Et quoniam deerunt ferè quæ spectentur in arena & puluere certamina, nonnulla pacis ornamenta seligamus.

Sodalitium, cui alienæ miseriæ miseratio nomen dedit, præ ceteris viget. Lepra infecti ad ducentos nostrorum industria sensim ad fidem conuersi, consilio & eleemosynis iuuantur, eoque magis mouet hoc pietatis Christianæ officium, quo gentilis Iaponum circa hanc ægritudinem horror insigniorem victoriam facit. Currebat igitur solito cursu Euangelij riuus tamen potius quàm torrens, nec nulli ad Christi gregem addebantur, inter quos insignis fuit sacrificuli cuiusdam à simulacris ad Christi sacra conuersio. Is cum in vicino regno Oari, & in ipsa metropoli Nangoya dignitate inter suos emineret, literis verò ac sectarum suarum peritia paucis concederet; nescio qua rerum diuinarum cupiditate incensus Magistrum à quo hæc audiret exquirebat; nec alius repertus est aptior quam cœcus quidam ingenio melior quàm re familiari, sed Christianæ legis non malè peritus. Nec superciliosus mystes abnuit cum paupere cœco certamen, in quo salutariter victus deposito supercilio manus dedit apertisq; oculis suam cœcitatem damnans, cum ordinarius minister deesset; à nullo alio voluit aquis salutaribus elui, quàm ab eo cuius opera fuerat illustratus, iam in Christi ludo edoctus, quia absconduntur hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelantur paruulis.

Sacrificulus ad Christum conuertitur.

Fuximi sedes nostra discrimen adijt ne nobis eriperetur, euasit tamen nobisque remansit, quod eius facies extima retrusa in interiorem aream ædis sacræ, similis cæteris ædibus profanis nullam cœnobij formam haberet, ac nomine affinis cuiusdam Iusti Vcondoni possideretur. Neophyti quoque ipsi aliquod certamen victores adierunt. In his senex Gasparis Vilelæ olim neophytus Petrus nomine à dynasta Imperatoris fratre aliquoties impetitus ita restitit, vt etiam suam dynastæ probauerit firmitatem; quam noui census incremento remuneratus noluit eius fide carere, qui datam Deo etiam mortis metu prodere recusauit.

Fuximi domus nostra periclitatur.

Quæ Sacai nostrorum sedes est idem cum superiore periculum non absimili fortuna euasit. ad cuius conseruationem neophyti octiduum totum distributis inter se horis domino supplicarunt. publicè nihil in Ecclesiam tentatum, priuata nonnulli certamina fortiter subiere. Filium Christianum ethnicus parens ad defectio-

Idem Sacai contigit.

fectionem sollicitans diuinum de filiorum in parentes obseruantia legis nostræ præceptum obtrudebat; cui filius cum de colendo Deo primum maximúmque mandatum retulisset, iubetur à parente bonis cedere scriptóque publico id testari. Quid opus est scripto, ait filius: ecce tibi claues cum quibus omnia tuo arbitratu dimitto. Mouit parentem filij constantia, clauibúsque restitutis etiam Christianè viuendi filio ac nurui facta potestate cum filio redijt in gratiam.

Apud Iapones est inter cœcos quoddam Reipublicæ vel potius academiæ genus, in qua per varios honorum gradus ad quendam peruenitur, qui doctoratum nostrum referre videtur, quem ipsi Quenguio vocant. His omnibus præest vnus cui ceteri parent. Princeps igitur cœcorum cum inaudisset Sacai cœcum quendam repudiatis simulacris patrijs ad externa Christianorum sacra transisse, literas ad eum scribi iussit, quibus literis eam rem acriter in eo reprehendebat, iubebatque vt ad patrios Deos eiurata barbarie rediret; sin id facere recusaret, sciret se dignitate stipendióque dignitati debito esse priuandum; quam ad rem statuendam biduum illi non amplius permittebat. quo exacto Cœci doctores qui Sacai degunt cœcum euocant, & à Christo deficere recusantem dignitate spoliant, éque albo suo expungunt. Ita bis cœci quem ductorem sibi sumere debuerant, doctorem esse noluerunt. Id academiæ genus ex eo apud Iapones ortum habuit, quod cum Imperatoris olim filius quidam cœcus esset, aditúsque illi esset ad cæteras dignitates interclusus; inuento nouo dignitas illi noua quæsita est: & vt esset in quo cœcorum industria exerceretur gradúsque differrent, scripta eleganti stylo de antiquorum prælijs volumina memoriæ mandant, & pulsata lyra canunt, in cuius rei peritia cœcorum gradus distinguuntur. Habent sua insignia, stipendia, immunitates, potestatem; etiam in reliquos cœcos. supremo ius est vinculorum vitæque ac necis pro criminum grauitate.

Cæci Neophyti constantia.

Cæcorum academia.

Firoximæ Dynasta rei Christianæ annos iam aliquot egregiè fauet, ac nostrorum domicilium suo prope sumptu sustinet. is nihil planè mouit; sed edixit solùm, vt à proscriptis excipiendis Christiani sibi temperarent; ac publicam quietem priuato humanitatis

officio præponerent. Ex hac ſede in vicina regna noſtri ad rei Chriſtianę auxilia vtiliter excurrerunt. In regno Suuò cui pręeſt Mori dynaſta, neophytus falſi criminis delatus, cum aliter non poſſet innocentiam probare, cogitur more Iaponenſi ferrum candens manu tractare, quod bis fecit illæſus, prius inuocato Deo innocentiæ ſuæ teſte, quam vt hac ratione probaret non ſua voluntate ſed aliena facere cogebatur. Idem circumſtantes neophyti Deum rogabant. Ethnici verò præſens Dei numen in Chriſtianorum cauſa ſua ſunt admiratione venerati.

Neophyti innocentia mirè comprobata. Ferrum candens illæſis manibus tractatur.

Regnorum Borealium Canga primarium eſt; in eius metropoli Canazaua noſtrorum ſedes in Vmbra Iuſti Vcondoni conſeruatur, cuius euertendæ cupiditatem dynaſta ex Surungæ rumoribus oſtendit, ſed oſtendit tantum. Cum enim ad Iuſtum optimates ex aulicis ſuis duos deſtinaſſet, monituros ex æde ſacra ſibi periculum imminere, rogaturósq; vt à Chriſti fide in hac rerum nouitate deficeret, ab altero ex internuncijs deterritus eſt, tum deſperatione victoriæ, quam Iuſtus toties in maioribus prælijs reportaſſet: tum quia nihil aliud edixerat Imperator, quàm ne à ſe proſcripti vllibi exciperentur. Poſſe Iuſtum proſcribi aut mactari, ſi hoc è regni ſui rationibus eſſe iudicaret; non poſſe ſuperari. Quibus permotus hoc quidem anno ſibi temperauit. Sed multa nobis de Iuſto dicenda ſupererunt, qui nobilem vitam nobiliſſimæ mortis honore in fidei cauſa exul terminauit.

Iuſti conſtantiam tentare non audent hoſtes.

Ex ijs qui recens Chriſto nomina dedere quidam, dum infanti filio ſuo conſulit, ſibi quoq; ſalutem accerſiuit. E Iaponenſium ſectarum ſomnijs arbitrantur quidam infantes in ea ætate vita functos in conuehendis ſaxis in quodam loco, cui nomen Sainocauara, occupari: vnde deliri ſolent ſubinde ad fluminum ripas lapillos coaceruare, vt infantium laborem tantillum imminuant. Hic moribundum infantem ethnicus parens baptiſmo voluit expiari, quod audiſſet eos, qui ſic eluti morerentur in cœlum euolare. Quo facto cùm ſubitò puer in vitæ ſpem rediſſet; admiratus parens cum vniuerſa familia ſolitis de Chriſtiana doctrina prælectionibus inſtrui voluit, quibus ita captus eſt, vt damnatis erroribus in auditam inclinarit veritatem; nec ita multo poſt infans recrudeſcente malo

Vis baptiſmi.

mori-

moritur, quæ res parentes ab agnita veritate nihil auocauit, sed in proposito constantes, filio morienti salutem sibi viuentibus spem salutis suscepta Christi religione procurarunt.

Surungæ (nam præter Imperatoris iras huius tempestatis fulgur, cetera in hunc locum suum reseruaui) domus nostra nobis erepta est, quod Daifachi, quem sua crimina perdiderant, esse diceretur. Euangelij cursus ante exortam procellam Surungæ torrens videri poterat, cum sesquimense illo, qui eam proximè præcessit quadraginta supra ducentos adulti se Christo adiunxissent. E quibus Ethnicus quidam arcis vnius præfectus, dum contra nocturna spectra remedium quærit, in Christiana religione reperit. Is auditas olim de Christiana lege prælectiones vitæ licentioris cupiditate præfocarat, & cum in ædes nocturnis spectris & lapidationibus infestas incidisset, Sacrificulos qui sacrilegis ritibus eos niterentur expellere semper reiecit, quos tamen eius vxor, quæ maximè torquebatur cùm sine fructu admisisset, ipse quod in dæmones illi non poterant, in sacrificulos potuit. Cum enim lapidationes solito acrius in tecta inuolarent, ipse quoque in profanos exorcistas inuolans fustibus expulit impostores. Et eorum quæ domi nostræ audierat aliquando memor ad eam recurrit, audita repetijt, & cum filijs ac famulitio excepit, domus ipsa expiatis incolis visa est etiam expulsis spectris expiari. Idem ethnicam mulierem abortum eijcere cum summo vitæ discrimine laborantem, iniecta in collum sacra cerei agni effigie, ipso momento eiecto infelice partu feliciter liberauit. *Vis baptismi cōtra spectra nocturna.*

Ex eodem numero eorum qui Christi gregem auxerunt omitti non potest mulier (in Baptismo Catharinam vocarunt) quę inscio marito Christum agnouerat. Is vbi hoc audisset, excanduit, primoque furoris impetu amens coniugem ad eiurandum Christum vrget impotenter. Verum illam constanter renuentem in capillitium iniecto fune ad proximam trabem ligat, exutámq; vestibus multis vulneribus & proprio fœdat sanguine, hoc vnū inclamante marito, vt quæ susceperat sacra abdicet. Verùm illa viraginis in modū fortiter respondebat, Christianam se viuere, Christianā se mori, tametsi se in minutissima frusta dissecaret. quo responso in furorem versus domo abijt eámque totum eum diem ligatam sine cibo tenuit, *Christiana coniugis cum marito prælium.*

ratus

ratus eam pœnam sua mora id impetraturam, quod atrocitate subita non potuerat. Redit ad vesperum: æque sibi constat Catharina. Soluitur ergo, & in secretiorem domus angulum retrusa, omníque colloquio interdicta, multa sustinuit pari semper constantia, nec vnquam adduci potuit, vt sacram supellectilem quam de more baptizata receperat furenti marito traderet. Tandem vicit constantia pertinaciam, mollior tempore redditus maritus cum vxore sibi viuere permissa in gratiam redijt, quod facit illa strenue post domesticam illam quidem, sed insignem ex atroci prælio victoriam.

BONAVENTVRÆ NEOPHYTO FVNES cadunt in præclaris.

CAPVT XXVI.

Ad hunc locum spectare videtur Bonauenturæ gloriosum pro fide certamen, ideo maximè quod Christianæ vitæ tirocinium Miaci ingressus & victoriæ laudem remittere censendus est, vbi pugnare didicerat, id quo euentu acciderit scire non erit iniucundum, in quo electionis diuinæ vis in multis elucet. Miaco euntibus in alteram huius temporis regiam Yendo appellatam, in qua sedes est eius qui hereditatis iure imperium sibi Iaponense promittit, occurrit regnum Mino; in quo toparcha degebat, cuius filius adoptionis iure nobili coniugio illigatus vxorem duxerat propinquam Dynastæ regni Oari, qui tertius est Imperatoris filius. Is nescio qua ex causa, sed vocante Deo, Miacum venerat, vbi morbo corporis animi salutem quam quærebat inuenit: nam cùm incidisset in Religiosum è D. Francisci familia artis medicæ non ignarum, ab eo corpori medicinam, animo vitam accepit. Solebat enim hac arte adhibito socio catechista corpus animúmque curare.

Conuersio Francisci qui fuit herus Bonauenturæ.

Franciscanus medicus corporis & animi.

Salutaribus igitur aquis elutus cum famulis aliquot Franciscus est appellatus, familię totius moderator bene ominatum Bonauenturæ nomen accepit; quam diu Miaci substitit aliquot mensium moram vterque altè admissa in animum Christianæ legis veritate in pietatis officijs exercitatione lucrifecit. Redit in patriam, vxore mariti auctoritatem cum filijs secuta familia prope tota Christi sa-

cris imbuta animi salutem quam depulso morbo acceperat, in plures euulgat. Et quoniam è domestico palatio in vicinum fanum transitus erat, ne quidquam esset sacris profanisque commune ianua parieti continua incrustatur. Sesquiannum ferè tenuit ea viuendi ratio, cum Franciscus recrudescente malo pristino, morbo corripitur, in quo nihil hæsitans sibi constitit de vnica æternæ salutis incolumitate solicitus. Moriens parentem licet adhuc ethnicum rogat vti per eum Bonauenturæ liceat funus suum eo ritu in quo moriebatur procurare, aliáque addidit extremæ suæ voluntatis mandata, omnia ex legis Christianæ præscripto. Moritur ergo Franciscus; ritu Christiano terræ commendatur. Et quoniam Bonauentura heri sui parentisque curator fuerat appellatus, Miacum illi necessario repetendum fuit, tum vt filias duas ex illegitimo toro ante baptismum ab Francisco susceptas elocaret, tum vt indicta pro mortuo sacrificia curaret.

Moritur Franciscus.

Bonauentura Miacum redit.

Interim dum Miaci sedulus curat omnia, Imperatorij furoris ab Surunga fragor intonuit, isque tota Iaponia sparsus ethnicum parentem incitauit, vt nurum suam ad patrios ritus eiuratis peregrinis reuocaret. Tenerior erat in fide quam vt ætatem, sexum, præsentémque metum superaret. Dedit manus, permisitque vt ad proximum fanum ianua pateret, pro qua coloni sui fano illi propensiores deprecati fuerant. Interim redit Bonauentura, immutatus ipse omnia mutata miratur, nec dissimulato doloris sensu, multa apud heram queritur, mariti præproperam obliuionem incusat, violatam ipsi Deo fidem exaggerat. Vidua quod Bonauenturæ opera indigeret, multa causatur, famulo blanditur, & quam conceperat iram intra stomachum vultu facilitatem mentita seponit. Non fefellit Bonauenturam fucata humanitas, multo minùs emolliuit. Zelo enim fortasse intempestiuo correptus in fanum inuolat, simulacrum pedibus calcat atque comminuit, nec ea re contentus aram ipsam fanúmque disturbat, & ad colonos conuersus mali auctores multa minatur. Illi malè sibi metuentes, Bonauentura quippe omnia moderabatur, in eo euertendo salutem suam sitam esse nihil dubitarunt.

Illius Zelus.

Itaque ad heram recurrentes numinum suorum contumeliam

ac Bonauenturæ minas amplificant, addunt manifestas Deorum iras in mariti morte desertionem expiasse: quid eos facturos putet, post iniurias grauiores, qui non tulerint leuiores. Eos cum famulus in familiæ perniciem prouocet, quid ab eo fidei sperandum, qui perfidiam profitetur, dictitareque audet si hera demortui mariti mandata violet, meipsum eiusque filios occidam vxorisque perfidiæ nuncium moriens feram. Credula res est mulier ac suspicax; maximè semel offensa, ergo in posterum animi impotens odium suis rationibus prætulit famulum perditura. Socerum igitur appellat, narrat, quam asperè ab eo famulo excepta sit, propterea quod cum patrijs numinibus in gratiam ipso auctore redierit, quam impotenter colonos suos exceperit. Hæc aliaque huiusmodi minus afficiebant socerum quam nurum, satis certum quo animo famulus in herili obsequio peccasset. ne tamen illa neglectam se quereretur, accersitum Bonauenturam domi recludi & compedibus impediri iubet, & vt heriles molliret iras tempori indulgebat, qui Bonauenturam saluum cupiebat. Quindecim & amplius dies in vinculis detentus ita viuebat, vt moriendum sibi nihil dubitaret. Ergo ex obuio ligno crucem paruulam ipse sibi fabricat vinculorum suorum solatium & optandæ mortis irritamentum.

Bonauentura comprehenditur.

Diutius viuebat Bonauentura quam optaret hera, quæ nihilo mitior ab ipso tempore furoris capiebat incrementa, quare mittit, qui cum socero expostulet denunciétque se ad Imperatorios ministros rem delaturam, nisi soceri sententia puniretur. Socer igitur Bonauenturam euocat, narrat heræ offensionem, addit se ad eam placandam illam ipsam in vinculis moram destinasse, nihilque ad eius sedandos animos opportunius sibi videri quàm si eiurata Christi fide in omnibus fideliter pariturum iureiurando affirmaret. Ad hæc Bonauentura, Satis, inquit, anxius hucusque fui cur detinerer, ac tametsi nullius rei mihi conscius quam eius quæ circa mutatam religionem euersúmque fanum offensionis intercessit, verebar tamen, ne quo alio prætextu gratia excidissem. Nunc autem vt video de sola religione agitur, si eam desero vita mihi gratiáque restituitur, sin autem mors intentatur. Lætus igitur

Bonauentura constantia.

tur hac meæ causæ declaratione profiteor me religionem meam nec vitæ nec herili gratiæ concessurum, cui mille vitas conseruandæ præpono.

In hac sententia firmus omnia reiecit, soceróque volenti famulum nurui conseruare spem omnem exemit. Ergo capitis in eum sententiam pronunciat. Educebatur ad supplicij locum lætus Bonauentura manibus post tergum reuinctis, & pedibus vt prius impeditis, quam diu intra vrbem iter fuit gestari se permisit, sed euicit deinde vt pedes incedere sineretur, quod faciebat tanto animi sensu, vt corporis sensum excluderet; pedes enim intra compedes celeritate impetuque laceri multum sanguinem mittebant, donec aduertentes ministri per vim eum in sellam suam reiecerunt. Venitur ad supplicij locum, in quo primum carnifices rogat, vt à corporis laceratione Iaponibus non insolita ad virium & sicarum ostentationem amputatis ceruicibus abstinerent, cupere se Christiano ritu sepulchrum impetrare, quod ille fratri suo natu minori, qui fortè aderat, designauit. Petijt deinde arundinem terræ infigi, ad quam ligneam suam crucem collo eductam suspendi voluit. Petijt & explicari sibi Christi in cruce pendentis papyraceam effigiem quam è domesticæ supellectilis neglecto iam thesauro adferri sibi rogauerat, quàm quia manibus non poterat, ori admotam sæpius osculatus, dentibus ex inferiori parte arripiens ceruicem vna cum oculis inclinans ictum excepit, & Iesum inclamans vnà caput imaginemque dimisit, quam sanguine suo imbuens testari voluit nouo ingeniosæ pietatis genere, se illi sanguinem reddere qui seruandis mortalibus suum prius in Cruce profudit. Ita Bonauentura magno salutis compendio hero fidem Deoque seruauit. Nec adduci potuit vt ante sacra religionis arma, quam caput vitámque dimitteret, eo in loco tum sepultus est, nec ita multò pòst Fuximi deportatur.

Damnatur.

Plectitur.

P 2 OZACÆ

OZACÆ LEO NEOPHYTVS AB HERO in fidei causa mactatur.

CAPVT XXVII.

LEonis mihi nomen in huius anni certaminibus vt est fortitudinis ita victoriæ omen videtur fuisse, hic alter est cognominis alteri Leoni cui studio postremum locum pro huius anni librique coronide reseruaui. Ozacæ nostrorum sedes innixa fauori Findeyori & Taicosamæ diplomati stetit incolumis. Edicti tamen de non excipiendis exulibus atrocitas & Imperatoris exemplum priuatorum nobilium parum bene affectos rebus nostris stomachos commouit & variarum perturbationum humores excitauit. ab ijs in famulos ac domesticos de religione seuerè inquisitum, acriter certatum, constanter repugnatum. Vnus inter multos athletas pugil martyrij palmam secum detulit, dum eiectus ab interfectore spiritus purior è proprij sanguinis lauacro in cœlum euolauit.

Is ante decennium Christo adiunctus Leo est Christiano nomine appellatus, Iaponensi Cayemon dicebatur; è regno Figen oriundus scribitur. Quo tempore Christum nosse cœpit, Facatæ Christiano hero famulabatur: quo dimisso, inter ethnicos diu vagatus & tandem Ozacæ constitit, in Ethnici quoque nobilis Imanda-fanxiro dicebatur, administranda familia distentus, is enim totam illi domum, fidem illius expertus, vltro tradiderat. Diuturno quidem cum ethnicis contubernio Christianus in eo virtutum vigor silue-scebat; sed integræ tamen fidei radices pietati pristinæ suum reddiderunt ornamentum. Cum enim domesticæ occupationes colligendo animo tempus subtraherent, per sollennis ieiunij dies curandi corporis prætextu ex heri facultate animum curaturus in ædes Neophyti cuiusdam ædi sacræ nostrisque vicinas studio concessit. Vbi continua cum nostris tractatione antiquum animi ardorem recipiens præteritæ vitæ maculas à memoria repetens salutari confessione eluit accuratè. diceres illum futurorum præscium imminens certamen præsentire.

His animorum subsidijs per otium recreatus ad herum redit, certus posthac ipsum Christum non solo corde, sed ore si res ferret pro-

profiteri. nec defuit per eos dies occasio, eo permittente, qui Leonem sibi segregatum ad prælia futura disponebat. Indictum enim ab hero nescio cuius simulacri venerationi ieiunium cum neglexisset, in Christianæ religionis suspicionem facile venit, nec latuit domesticos quo se subduxisset, quam frequens ædem sacram ac nostros adisset. Ea ad heri matrem delata, grauiter eam, quod idola coleret impensius, pupugerunt. Ergo Leonem vrget, vt totius familiæ sacra recipiat, nec vnus externos ritus domum inuehat. Leo qui iam se ad hunc insultum comparauerat ita respondit, se quod assecutus esset profana numina, nomina esse duntaxat, à quibus nihil boni sperare, mali nihil timere oporteret, ijs renunciasse, Christique fidem è qua vna huius vel æternæ vitæ bona salúsque penderent amplexatum; hæc porro duo sibi æquè certò ita constare vt ad ea tuenda vitam exponere nihil dubitaret. quo audito ethnica mulier respondit, eam sibi religionem bene firmam videri quæ suos ita confirmaret, cupere se de ea nonnihil inaudire. Herus autem cum verbis acrius vrgeret nec quicquam efficeret, opera in auxilium vocauit, eum enim asperius alloquebatur, tractabat indignius: sed cùm æquè opera vt verba irrito conatu cecidissent, cum famulo redijt in gratiam, eiusque opera vt prius omnia dissimulans vtebatur. Contigit Leonem per eos ipsos dies ægritudine corripi, quam ægritudinem manifestam Deorum iram interpretati dimissa cum eo prælia instaurarunt. Vrgebant vt idolo cuidam, cuius iuxta vrbem Miacensem cultus frequentatur, votiua pro salute dona conciperet. Ille verò tantum crimen detestatus, etiam cum infirmabatur potens erat.

Initia præliorum.

Paulò pòst recuperata valetudine cùm iam conquieturus videretur, Ecce tibi noui ab Surunga rumores prælium instaurarunt. Vrget herus vt Imperatoris nec tantum suæ voluntati acquiescat; respondet Leo se ipsi Imperatori idem quod hero, responsurum si per se ipse præsens vrgeret. Tenuit ista concertatio dies aliquot cum per se & per alios à se submissos herus vrgeret; è quibus vni respondit frustra secum teri tempus, se vnum à Christo nunquam defecturum tametsi quotquot erant Ozacæ Christiani à Christo defecissent. Hæc omnia ille Neophyto narrauit apud quem fuerat nuper

nuper in vicinia nostra diuersatus, monuitque videri sibi rem ad extrema deducendam. Vnde procuraret scire quid sibi inposterum ageretur. inde ad nostros diuertens totam noctem in spiritualibus colloquijs absumens sese ad agonem proximum comparabat, ea ediscens quæ ad eam horam opportuna viderentur. Tum primo diluculo amicis neophytis aliquot valefaciens in heri domum sui certaminis arenam se recepit, vbi iam ab Imperatoris metu ac inanium Deorum propensione facta ferocior heri parens filium ad Leonis mortem, si defectio impetrari non posset, incitarat. Postridie igitur quam aduenisset eum in aulam euocat, ibi qua potest vehementia præcipit, vt Christum eiuret, seque Dijs patrijs restituat. negat Leo se facturum, tametsi exilium aut præsentem mortem viderit. Et hoc igitur tibi planè ac deliberatè æternúmque fixum & constitutum? fixum, inquit, & æternum constitutum. eóque dicto in genua proruit. Herus furorem vltra non tenens educto ferro propria manu præstolantem mactat. Est enim apud Iapones herile ius in famulos vitæ ac necis, nullo etiam iuris ordine obseruato.

Leonis martyrium.

Ita fortissimus martyr septimo Iunij anno salutis 1612. ætatis suæ quinto supra tricesimum purpuratam effuso sanguine animam ei stitit qui, suo nos exemplo ac morte ad eadem prælia prouocauit.

Libri Primi Finis.

DE

DE CHRISTIANIS APVD IAPONIOS TRIVMPHIS

Anno Domini CIϽ IϽC XIII.

LIBER SECVNDVS.

RECRVDESCENTIS APVD Arimenſes mali cauſſæ.

CAPVT I.



On ſemel in hac temporum varietate apud Arimenſes ſeſe remiſit aut intendit furor, mirum vt alicui videri poſſit, vnde ſub eodem principe in eadem cauſa tot rerum vices variarint. Id, quia non parum ad hiſtoriæ ſeriem ſpectat, paulò altius repetendum. Safioie è fabro vilis terræ filius ad maxima quæque aſſurrexerat ſororis ope, quæ parem fortunam ad intimam cum Imperatore familiaritatem, cui iam ſeneſcenti ſedulo famulabatur, euexerat. Is annos iam plures Nangaſaquienſi Emporio præerat, in cuius portum Luſitanorum ab Sinis, & Hiſpanorum è Philippinis commercia deferuntur, & ingenio plusquam fabrili multa miſcere ſolitus onerariæ Luſitanæ nuper perniciem procurauit, Chriſtianos etiam malis artibus potiùs quàm aperta vi acriter inſequebatur, non odio ſolùm falſitatis in veritatem quod eſſe ſolet acerrimum, ſed etiam quod ea re cupiditatem ſuam regnandíque libidinem tegeret atq; egregiè promoueret. Nam cum *Perſecutionum cauſa.*

Nanga-

Nangaſaquienſi emporio Arimenſis ager immineat, illi quoque occupando ſibíque adiungendo totus imminebat. Illius igitur artibus Ioannes Arimenſis Regulus (quem aſtutum quoque ſuáſque fraudes ſentientem malè metuebat) in exilio vt vidimus perijt, Michaelis filij opera, à pellice quoque ſua in fraudem inducti.

Eius prouinciam cum Michael inijſſet, effecit vt ab Imperatore adoleſcentis dirigendi ſpecie, ſed perdendi cupiditate moderator nominaretur, ſine cuius conſilio nihil moueret aut gereret. Et vt intricatiſſimo negotio miſerum adoleſcentem impediret; effecit vt Imperatoris exemplo Chriſti fidem è ſuis terris (quod erat in ea multitudine confirmatáque religione perdifficile) exterminare conaretur; in quo alterum è duobus vitare non poterat, aut nimiæ crudelitatis, aut remiſſionis notam, quorum alterutrum ſatis erat ad eum loco mouendum, patrioque regno exuendum, velut per ætatem ineptiorem ad ſuam dynaſtiam excluſis ritibus barbaris, patrijs dijs reſtituendã; quo facto Arimenſis agri gubernatio facilè viciniori & cum Chriſtianis Nangaſaquij agendi perito videbatur demandanda. Quod adhibita in auxilium Fimereguli pellice donec perfecit, nunquam conquieuit. Ea enim pellex à Chriſtianis ritibus vt maximè abhorrebat, ita facilè in hanc terrarum mutationem conſpirabat, cum non eo quo maritus hæreditatis patriæ educationisque vinculo teneretur. Ita miſer in fraudem actus, dum exturbari timet, ipſa prouinciæ conſeruandæ ſollicitudine præpoſtera exturbatur.

Hinc fiebat, vt quoties ille vel religionis memoria, quam inuitus depoſuerat, vel clientum amore, quos nolens vexabat, vel quietis cupiditate nonnihil de furore in Chriſtianos concepto remittebat; nouis moderatoris ſui artibus, vel per ſeipſum, vel per ipſam pellicem incitatus, ne mollius ſe geſſiſſe deferretur, nouos ignes concipiebat; non aliter ac ſi viridi ligno focum inſtruas, qui non ardet diutius quam ardere cogitur follibus incitatus. Quam durum eſt prauis animi motibus obſecundare! quam ſtultum eſt humanis rationibus quæ diuinis aduerſantur ſua conſilia deſignare! quam difficile eſt in lubrico vitiorum præcipitio lapſum retinere!

Cum

Cum igitur post commemorata prima illa præliorum in fidei causa præludia Neophytorum constantia furorem fregisse videretur, opus fuit nouis artibus ad eum innouandum. Non defuit versipelli occasio. Solent Iaponiæ reguli, quoties annua spacia redeunt (quorum initia pro Sinarum more à Luna quæ vernum præcedit æquinoctium solent numerare) in vrbem regiam non vacuis Imperatorem manibus salutaturi se conferre. Cum Regulo itaque colloquens Safioie (quod in ea vicinia sæpe vel animi causa faciebat) ingessit, imminere tempus Imperatoris reuisendi, vereri se ne quærenti de Christianorum exterminio non satis aptè respondere possit: constabit enim quàm obstinatè restiterint, quàm acriter institeris non constabit: malè metuo ne mollior habearis, aut non satis cordatè Dijs patrijs restitutus videaris. Non abs re fore iudico si hoc ipsum tempus insigni aliquo facinore celebre feceris, non solum terrendis rebellibus atrox aliquod supplicium exercens, sed Imperatori conciliando æmulorúmque tuorum obtrectationibus occludendis accommodum. Non est ausus adolescens improbissimi hominis consilijs, quibus se ipsum perditum iuit, repugnare. Ergo fama volat viuos aliquos igni tradendos easque victimas retinendæ suæ dignitati consecrandas, ita regnandi libido, vel non regnandi metus innoxio sanguine tueri se posse arbitratur.

Safioie incensor malorũ.

Erupit facilè huius consilij rumor, cuius finis eò solùm tendebat, vt territi Neophyti magno numero deficerent, eáque defectio Imperatoris gratiam venaretur. Arimenses tametsi à breui quiete nihil minus quàm huius supplicij atrocitatem expectabant, non solùm non inopinata denunciatione obriguerunt; sed velut refectis nonnihil viribus vegetiores in aciem redierunt, tantoque numero Arimam concurrerunt, vt ad ludicrum aliquod lætitię publicæ spectaculum euocati viderentur. Non referam mutuas inter se gratulationes, renouata Sodalitiorum Sacramenta, spes martyrij colloquiorum igne succensas. Hoc sit satis eos conuentus tales fuisse, vt permotus aut territus dynasta ipse moderatorem suum per literas monuerit, nihil abesse Arimam à tumultu in tanta concurrentium multitudine comparato, quem sola fama exciuit; vereri se ne omnia possum eant, si supplicio ipso multitudo iam permota grauius irritetur.

Martyrij desiderium.

irritetur. Ad has literas quibus ipsemet Safioie terrebatur ne tumultus auctor apud Imperatorem malè audiret, quem demerendum sibi susceperat, respondit videri sibi nunc quidem conniuendum, temporique seruiendum: ita paulatim qui conuenerant spe martyrij desperata dilapsi neophyti se ad sua receperunt.

CHRISTIANA APVD ARIMENSES PRÆlia serio recrudescunt.

Thomas & Matthias occumbunt.

CAPVT II.

NOn diuturna fuit Arimensibus quies ab eo ipso qui prælia suspenderat hac occasione interturbata. Nam cùm iturus in Vrbem regiam Safioie prius Arimam venisset ab ipso dynasta missa celoce propria inuitatus, inter nauigandum quæsijt causas quibus intermissa prælia reuocaret. Remiges quadraginta celocem agebant Christiani omnes, qui etiam religionis suæ arma precatorios globulos & sacram agni cerei effigiem è collo gestabant, nihil dubij quid agerent in eius conspectu, quem non nesciebant Arimensis in se tragœdiæ inuentorem. Eam rem sui contemptum interpretatus, cùm ferret impotentiùs, in hæc verba prorupit, vultu ad seueritatem ac minas comparato. Itáne verò hæc barbaræ religionis arma in mei ludibrium & contumeliam ostentatis? abijcite extemplò in mare vniuersa, istásque sordes illius aquis eluite; ita iubeo, ita dynasta herus vester, ita Imperator. Ad hæc vnus ceterorum nomine ita respondit sanè sapientiùs ac fortiùs, quam à remigibus posset expectari, Quæ gestamus, in Dei honorem, non in cuiusquam ludibrium aut contumeliam ostentamus. & quoniam quotquot hic remigamus Christiano nomine gloriamur, hæc nostræ religionis insignia vnà cum ipsa religione retinemus: Qui detrahere parauerit, ceruices prius nobis putet detrahendas, quod non refugimus, sed optamus. Hic sese tenuit Safioie, nec temere putauit intra celocis angustias quadraginta remiges irritandos: maluisset tacuisse si verba reuocari possent; sed, quia

Remigum pietas.

non

non potuit, furorem secum vehens in Arimensem portum exportauit.

Hinc orta est incitandi denuo dynastæ occasio. Cùm enim querelas suas apud Fime pellicem de remigibus deposuisset, communi consilio & conatu dynastam aggressi, facilè induxerunt vt ad intermissa de plectendis neophytis consilia se referret: quia tamen discessus instabat, nec atrociore supplicio in absentia sæuire tutum iudicaret; ne nihil egisse videretur, interim dum rediens grauiora meditatur, tria quæ mox à discessu suo exequenda voluit suis demandauit. Ac primo parentis sui patruum Ioannem senem venerandum & Ecclesiæ illius columnam loco suo mouit. Iussit enim eum Arimensi oppido secedere, ac ruri viuere censu, quem habebat annuum, dimidiatam partem detracto; noluit enim vt in eo haberent Arimenses neophyti quem inspicerent, noluit ipse habere quem vereretur, aut æmulis dare quod obtrectarent. nec ausus est tamen planè impius videri in patruum, vel ingratus obsequiorum æstimator quæ suos maiores ab eo accepisse constabat. Non absimili deinde fortuna vti voluit Georgium illum Yafengi, cuius meritis & gratia vnica nostrorum sedes ex Arimensi ditione tota communem cæterarum fortunam euaserat; nec enim ea euersa contentus, ipsum quoque Georgium Arimensium finium proscriptione damnauit: Obsequijs tamen tanti viri dedit, vt quicquid in bonis mobile possidebat secum efferret; quem scribunt mœrorem præ se tulisse, quod mitiore sententia damnatus infra sua vota in Christi causa pateretur. *Christiani duo nobilissimi Arima, eijciuntur.*

Tertium atrocius fuit seueritatis exemplum quod Imperatoris gratiæ & vanæ formidini dedit admodum inuitus. Thomam enim ex prima nobilitate magni nominis ducem ac filiolos duos, fratrémq; Matthiam & vtriusque parentem Martham capitis damnauit. Sed hæc omnia demum cum in regiam tenderet exequenda mandauit. Nam cum triduo quatriduóue terra iter faciens Nangasaquiensi Præfecto Safioie nauiganti in portu cui nomen Ximono Xequi occurrisset, ibique à suis literas accepisset neophytorum ardorem quotidie magis accendi; placuit auctore

Safioie quæ prius vtrique rata fuerant extemplo exequi. quasi verò Christianus ardor sanguine sopiri posset, cui caritatis æstus olei non aquæ naturam impertiuit. Horum gloriosam mortem in qua sunt quæ spectentur, nunc aggredior spectandam exhibere.

Hic ille est Thomas è Cami oriundus, quem anno superiore post heroicam Christi professionem à dynasta legimus publica fidei suæ libertate donatum, quam gratiam dabat ille multis in remp. meritis sub parente suo Ioanne sæpe bello paceque emerito, quæ omnia ingrata crudelitas ex animo desertoris expunxit, & quidem non deerant qui Regulum non rectis oculis Thomam eiúsque familiam aspicere putarent, eo quod in parentem suum Ioannem demortuum nimis carus & officiosus fuisset. Sed ipsemet in primo conflictu fidei cum Thoma habito anno præcedenti hanc eius mortis causæ dubitationem soluit dicens, Non defuere adhuc viuente patre meo aliquot contra te querelarum causæ, sed omnia lætus ignosco dummodo in hac vna Religionis saltem ad horam morem geras. quod mihi gratissimum crede maioribúsque te beneficijs onerabo. Restitit ei vehementer vt vidimus ad huiusmodi prælia iam sæpius exercitatus veteranus pugil bis in fidei causa proscriptus & quam desperauerat inter prælia lauream, ibi reperit, quo eum prioribus prælijs strenue perfunctum Christiana pax Arimensis agri euocarat.

Huic vltimo certamini causam dedit Thomas congressu cum dynasta nuperrimo. Cum enim suis rebus minus tutum arbitraretur vnum è primarijs ducibus publicè Christi sacra colere, ne vel Imperatoris iras, vel aliorum quorum paria videri merita poterant, inuidiam hac immunitate incitaret, Thomam per se ipse rogat, vt tempori cedat, & heri sui exemplo auctoritatique lubens obsequatur. Ad hæc Thomas ita respondit, Quàm graue sit militi à vexillo ducis sui deficere, ex me ipso didici cum transfugas ducis officio perfunctus semper exhorrui. Ego sub crucis vexillo ducem Christum sequor, in eius militiam ritu sacro sacramento adscriptus: ab eo transfugere grauius puto, quam vitam ipsam quæque infra vitam solent æstimari, prodigere. Hoc animo meo iam diu sedet ac sedebit: velimque vt tandem hoc ita de me sciatur, vt nulla spes

Thomæ constantia.

muta-

mutationis vltra me sollicitet ac lacessat. Hoc à me postremum habe, nec aliud vltra spera. quæ cùm dixisset salutato dynasta secessit.

Satis hoc vnum Iaponensibus regulis ad certissimam mortem euocandam. Sed tamen ea erat viri virtus non Christiana minus quàm militaris, vt ad eum grauius plectendum reguli animus non nisi pellicis, incentorísque sui machinis potuerit permoueri. Thomas interim satis conscius vel Iaponensis impotentiæ, vel artium Safioie ac meretricij furoris, ad omnia se ipsum comparabat, & cautè obseruabat, non vt subterfugeret sua gaudia, sed ne illis inopinatè caperetur. Ergo continuis orationibus, ieiunijs ac voluntarijs corporis afflictationibus ad maiora præludebat, seipsum sæpius expiatus cœlesti pane confirmabat, quoties ad eum è nostris sacerdos vnus Arimam clam rem Christianam procuraturus ventitabat. Non facile dixeris, quæ per eos dies illius colloquia fuerint, non satis se capiebat, quod desperatam toties martyrij palmam, è qua sæpius excidisset, iam proximam teneret potius quam ominaretur.

Abierat iam regulus, nec obscuris auctoribus consilia erumpebant. Pridie illius diei quam tot votis euocabat, sub noctem amicus ad eum adit, monet quid in se, quid in suos machinari dynastæ asseclas spargatur, seipsum nocturnis tenebris in tutum recipiat, si noluerit suis saltem consulat, pietati tribuetur periculo proles eripuisse, seipsum exposuisse animi magnitudini. Thomas domi suæ filios duos, filiolam vnam, vxorem, fratrem Matthiam & vtriusque parentem Martham numerabat. Erras inquis Thomas, toto cœlo à quo nos abducis erras, nusquam me ac meos tutiores quam sub ictu ficæ Iaponensis molliter accliues puto: vtinam ego omnium truncas ceruices palpitare ad pedes meos viderem prius, quam meas inclinarem. abijt amicus secum gratias boni nuncij baiulus, & stuporem tantæ virtutis admirator efferens. Thomas verò totam eam noctem se, suos, suáque disponens ad crastina prælia pernoctabat; nec eum sua spes, nec spem fefellit euentus.

Nondum Imperator quemquam sola religionis causa, morte, sed exilio aut bonorum proscriptione mulctarat; vnde ipsi quoque dynastæ minis aliísque pœnis suos territabant, & si quos occi-

di iubebant, id occultè aut dolo fieri curabant, ne aut de nimio rigore corripi, aut tumultus in populo excitari contingeret. quod & Thomæ accidit, vt videbimus.

Postridie enim sub horam nonam ante meridiem ab vno è moderatoribus Arimensis oppidi euocatur, causante nescio quid ædificij, ad cuius designationem opus illius præsentia esse simulabat. Sensit Thomas se ad vrbem illam quæ *construitur in cœlis viuis ex lapidibus* euocari. Lætatus igitur in his quæ illi dicta erant, ipse sibi dicere videbatur, *In domum domini ibimus*, iam diu enim *stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem*, hæc enim est illa *Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas Dei.* inde suorum gaudiorum parte domesticos impertitus, omnibus illi, illo omnibus fausta comprecantibus, post mutuos amplexus extremúmque vale dimittitur.

Gubernator Thomam mentita vultus hilaritate (quam Iapones egregie fingunt) excipit perurbanè, & postquam de fictis ædificijs perfunctoriè tractasset, domestico prandio (cuius tempus est apud Iapones illud ipsum) excipiendum detinet. Et interim dum famuli triclinium parant, iussit afferri sibi sicam suam, quam glorioso militi Thomæ omnia subodorato laudandam, aut verius probandam ostentaret. Accepit eam Thomas, & militari manu sæpius quatiens admirabatur, & ex animo gloriæ suæ instrumentum collaudabat. Quid tibi videtur, inquit, Thoma, subridens gubernator, probè fungetur officio suo sica mea, nec ictum fallens molliter amputabit? Planè, inquit Thomas, hospitem potissimum illius ictum cupidè præstolantem, quæ cum diceret sicam sicario restituebat: qui nihil moratus, primo ictu altè in eius corpus adacto victorem interimit, ipse verò ferale suum conuiuium innoxio sanguine polluens carnificis munus functus, Martyri meliores epulas, sibi famem æternam præparauit. Sed ad Matthiam veniamus.

Thomæ mors.

Vix bene domo abierat Thomas, cum ab alio gubernatore Matthias accersitur: qui iam nihil dubius quò vocaretur super vtrumque sortem cecidisse gaudebat. geminata oscula & amplexus, faustæ quoque vtrinque comprecationes, pugnante natura cum gratia, sua tristitia lætantem suóque metu confirmatum dimiserunt.

Matthiæ mors.

runt. Excipitur à moderatore pari vultu Matthias, & sciscitans quid esset in quo illi obsecuturus aduenisset; non mihi, audit, sed hero nostro dynastæ obsecuturus in hoc aduenisti, eductáque sicâ dum manus in cœlum erigeret obtruncatur. Ita fratres duo *quomodo in vita sua dilexerunt se ita in morte non sunt separati.* Eodem tempore, pari mortis genere, in vna causa vitam posuerunt, sibique mutuo ad æternitatis valuas occurrentes sua gaudia, quæ fine carent, inchoarunt.

MARTHA MARTYRVM PARENS CVM duob. nepotulis in ead. causa obtruncatur.

CAPVT III.

PRoperabam vt Marthæ totique familiæ laureatus boni nuncij baiulus accurrerem; sed ecce à gubernatoribus missi satellites præuenerunt: Hi Martham ita compellarunt: Duo filij tui pertinaciæ suæ pœnas dynastæ iussu morte sua exsoluerunt; Tibi cum nepotulis duobus Iacobo Iustóque eadem ex causa extemplo moriendum; Iustam coniugem ac filiolam dynastæ clementia sinit intactas. In re subita licet non improuisa subiti motus variè varios inuaserunt; sed omnes lætitiæ vis & copia superauit. Martha sibi gratulabatur Martyres peperisse, filij se martyre parente iactabant, & breui eorum consortium sibi auia nepotulique promittebant. Vna Iusta, quod negligi se sentiret, mœrori reiecta lætitia fræna laxabat. Nescio quid prius spectem: num Martham nepotulis aniliter gratulantem, aut potius blandientem, in eo ipso in quo cæteri sæuiebant, an puerulos simplices colludentes, an Iustam eiulantem non tam mariti morte quam separatione? Sed quoniam hæc omnia mentis oculis spectata vehementius insiliunt, & muta scriptione segnius irritant animos, cogitationi laxemus habenas potius quàm scriptioni, & ab ea rei totius æstimationem verius exigamus.

Cum itaque diu tota familia cum suis affectibus esset colluctata, sedato iam tantisper nouitatis tumultu, ad huius tragicocomœdiæ catastrophen concludendam, applausúmq; à spectatoribus

Deo

Deo Angelis & hominibus extorquendum sese strenuè compararunt. Martha nepotulos instruxit, seipsam comparauit, nurúmque solata est. In his tribus nonnihil immorati supplicium sistamus; mos enim est in extremis omnibus etiam quæque minutissima adnotare.

Martha nepotulos ad martyrium disponit. Accersitis igitur nepotulis exponit parentis ac patrui mortem mortisque causam, quibus in sacrificij complementum ipsa filiorum, ipsi Parentis comites futuri plecti iubentur. Exultate filioli, Deóque ipsi, vobis, ac mihi sortem vestram gratulamini. filiorum gloria in æmulanda parentum similitudine terminatur. Præcessit ille, nos sequimur, quid est quod nos in hac mortalitate detineat? Ad hæc filioli omnis more impatientes hoc vnum scire vrgebant, quando id futurum, & quàm certò nunciaret: Ea vbi audierunt auiæ pueriliter blandientes, matri suauiter gratulantes, domesticis cæteris arridentes, nihil omittebant eorum quibus exuberare solent animorum sensus. nutricibus suis munuscula diuidebant, suásque reculas inter æquales partiebantur. *Seipsam comparat.* Tum Martha positis vel ætatis vel viduitatis vestibus iucunditatis suæ candido induitur apparatu, eoque ipso innocentiæ teste puerilis puritas insignitur: sibique ipsi gratulata, post gratias Deo impensè pro beneficijs redditas, *Nurum solatur.* Iustam nurum suam, cuius orbitas communia gaudia respuebat, solari aggreditur: docet, omnia è Numinis nutu pendere; cuius sapientiæ cedere, amori fidere, voluntati parere mortales oporteret, solari se posse, suum sibi manere meritum cum in tot pignorum gloriosa morte toties moritur, quot ictibus illi feriuntur. Iusta silentio suo, lacrymisque ac singultibus vehementius quàm verbis respondebat. Sed cum denique filiolos vltimo stringeret amplexu, in hæc verba scribitur erupisse: ite filij, fortes occumbite, nullus metus irrepat, carnifici ceruices præbete, aptate vestem, ictum prouocate, neque vos à parentis fortitudine tenerior ætas excusat. Illi verò sicca parenti figentes oscula nisi quantum maternis lachrymis irrigabantur, his vltimis verbis pænè suam parentem affectuum variorum tumultu oppresserunt: Imus ad parentem nostrum, & si præcedimus, sequere, ibi te præstolamur.

Hæc cum agerentur, nullúmque finem Iusta faceret in suis pignoribus quamdiu liceret retinendis, vrgent satellites, volentemq;

Mar-

Martham ac puerulos gestientes, in sellam gestatoriam inijciunt, & duplicato incessu ad supplicij locum breui deferuntur. Accurrerat ad hoc spectaculum Arima, totáque se neophytorum effuderat ecclesia, vel ardorem nouum conceptura vel piarum precum subsidio simul cum suis membris pugnatura. Exiliunt pueri saltu leuiore, tum Martha succedit: Ecce tibi duplex Isaac non de victima, sed de litante sollicitus, circumspiciunt intrepidi carnificem suum agnoscere cupientes, cùm ecce in circumfusa multitudine se suo splendore sica prodidit, ad eam accurrunt, & eo ipso alter alterum attentius intuiti corde magis quàm ore loquebantur. Tum in genua ruentes spectatores suos horrore complebant alienóque periculo tremebant, cum nec ipsi timerent suo. Iacobus, vt erat edoctus à parente & auia Iusto fratre biennio iunior annos natus non amplius nouem, fratrem prçuenit, aptatáque veste ceruicem exporrigens sanctissima Iesu ac Mariæ nomina cum tertiò repeteret, nondum ea bene inuocatione prolata, obtruncatur. Truncum caput, horribile spectaculum fratri accidit ad genua, in quo Iustus æquè sibi constitit ac si nihil præsenti morte moueretur: quam animi magnitudinem qui putet naturæ viribus in hac ætate maximè attribui, ego illum infra naturam sapere arbitrabor. Iustus igitur eodem vultu, eodem ritu se comparans agnus alter immolatur, dum fratris exemplo inter primam sanctissimorum nominum inuocationem vox interclusa deficiebat. *Puerorum Arimensium mors.*

Spectabat hæc hilari vultu siccisque oculis, & plusquam anili animo Martha, quæ iam nepotulorum cura libera, sibi vni attendebat. Primum sacras reliquiarum thecas collo duas exemit, alteram filiæ suæ Nangasaquium, alteram Francisco Arimensis dynastæ Ioannis filio, & huius fratri, de quo mox multa, transmisit, eò quod nutriciam infantulo curam exhibuerat, velut eum ad proximum quod illi quoque funus imminebat inuitans, tum alia quædam inter neophytos diuidens, vnius horæ spacium ad eam orationem, quæ sola mente decurritur, impetrauit. Quos illi motus eo temporis momento ingesserit, nouit ille qui dedit. Ea expleta cælum intuens Deum ad quem properabat inclinata veneratur. ei genibus nixæ, vesteque composita ceruicem fortiter præbenti vni- *Marthæ gloriosa mors.*

co ficæ ictu caput excutitur, quod dum rueret bis resiliens exultauit.

Sic eadem die mater cum filijs ac nepotulis gloriosè de tyranno triumphantes, quot annorum morte æternitatem compararint, adscribam. Martha annos agebat, vnum supra sexaginta, Thomas vnum supra 40. Matthias octo supra viginti, Iustus vndecim, Iacobus nouem numerabat; qui omnes, licet inæquali curriculo, eandem tamen metam attigerunt.

Illorũ quinq; ætas.

ARIMENSIS DYNASTA FRANCISCVM & Matthæum fratres suos ex improuiso mactari iubet.

CAPVT IV.

CVm in vrbem regiam Arimensis dynasta vna cum pellice & vmbra sua malóque genio Safioie deuenisset, expletis visitationis officijs proxima fuerunt ea quæ ad exterminandam sua prouincia Christi fidem obsequens Imperatori perfecerat, aut perfecisse se iactabat; quæ cum æque mentientis Safioie calculo, ad quem nihilo minus spectabat ea res, constitissent, Ea sibi omnia vehementer arridere demonstrauit Imperator. Qua demonstratione lætus iuuenis, cum se ad sua recepit, hortatorem habuit ad audenda grauiora eum, à quo paulatim in extremam perniciem rerum suarum imprudens trahebatur. Si hæc, inquit Safioie, quæ iam inchoasti, tantum heri nostri animum rapuerunt; quid erit si bene cœpta ad exitum persequaris? quid non potes sperare, posteaquam nihil vltra timueris? Et quidem duo mihi nunc occurrunt, quibus res tuas stabilire possis atque promouere, mitius alterum, alterum asperius, omnibus quippe remedijs contra grauiora mala pugnatur. Non nescis clientum tuorum animos longa sacerdotum externorum cultura tantum in patrijs ritibus siluescere, quantum in barbaris luxuriabant. Nihil aptius puto, quàm si eiectis nuper impostoribus sacrificulum aliquem nostratem elegeris, cuius eloquentia, vitæ sanctimonia, nominísque celebritas externorum sacerdotum memoriam obliteret, ac desiderium restinguat. Simul illi nominat insignem sacrificulum Banzui dictum,

Duo Safioie consilia.

Primum, vt sacrificulum insignem nostris sufficiat.

ctum, cuius nominis splendor ceterorum in vrbe regia splendorem ferebat illæsus. Placuit adolescenti consilium rato se hac ratione sine crudelitatis nota, sine clientum suorum iactura, sine motuum periculo, quæ ad ditionis suæ conseruationem exigebantur posse impetrare. Hic sacrificulus quid effecerit apud Arimenses proxima narratione subijciemus, vbi quid absente dynasta perfectum fuerit seruato temporum ordine exhauserimus.

Alterum vt fratres suos è medio tollat.

Alterum igitur seipsum conseruandi atque promouendi consilium malus consultor ita suggessit: Non attendis deinde vt in perniciem tuam fratres tui duo sensim adolescant. eorum ad barbara sacra propensionem adultis vix euelles, quos teneros abducere nondum toto conatu potuisti, maximè quod altera hæredum iura, inter publicos tumultus assurgunt; procliue est Arimenses tot à te hactenus malis irritatos tot in posterum irritandos in tuam perniciem conspirare, quamdiu coniurationi suæ caput è tuo sanguine repererint, in quo etiam religionis suæ propensionem non ignorant. Sed fratres sunt? vix dimidij, cum alius eos vterus effuderit, plus à matre quàm à patre fratres accipiunt si germani non fuerint. huius rei atrocitatem lenit necessitas sibi prima, patria consuetudo qua filij parentis quem sublatum oportuit fortuna inuoluuntur, ne vlturi parentem, iustum habeant ad iniusta prætextum, lenit regnandi libido magnis innata, cui omnia iura etiam naturæ per omnia retro secula & nationes tot Monarcharum exemplo cesserunt.

Hæc aliáque mali genij consilia, quæ filium in parentem nuper armauerant, non ægre adduxerunt, vt nihilo mitior in fratres insurgeret. Ergo ex ipsa vrbe regia mittit ad suos quàm occultissimè, vt vtrumque nullo tumultu quàm secretissimè, priusquam rediret, iugularent. Quid intactum sinit in malum semel inclinata defectio! quid enim ab eo sperari potest, qui fidem fregerit immortalibus, in mortales fidei aut humanitatis? Sed antequam crudele parricidium spectatum Arimam redeamus, ex itinere qui fuerint hi duo parricidæ ac desertoris fratres subijciam.

Ioannis Arimensis dynastæ proles recensita.

Ioannes Arimensis olim dynasta, qui alio nomine prius Protasius dicebatur, ex priore coniuge Lucia filias tres & Michaelem

 hunc

huncipsum desertorem suscepit. Ex alio deinde coniugio cum Iusta legitimè contracto proles quatuor habuit, masculos duos Franciscum ac Matthæum appellatos,& fœminas duas. Priores tres nuptui elocatæ sunt viuo etiamnum parente. Michael sublato parenti successit: Franciscus ac Matthæus hi sunt de quorum capite nunc agitur: Sorores horum duæ adhuc infantulæ postea Miacum ad parentem Iustam remissæ sunt educandæ. Miacum enim Iusta, tandem extincto marito, exilio soluta se recepit, cuius in aduersa fortuna iam probatam in coniugis morte virtutem in hoc quoque filiorum casu Christianè mirabimur.

Franciscus igitur & Matthæus extincto parente apud fratrem Michaelem Arimæ educabantur. Octauum annum agebat Franciscus Ioannis è Iusta primogenitus, vterque in hac temporum varietate sed maximè Franciscus, educationem suæ parentis ac nutricis Marthæ non pueriliter retinebat. Id maximè præ se tulit Franciscus,quando cum Fime fratris sui pellice, quo tempore primum Arimam venit, supra ætatem decertauit. Cum enim illa puerulis blandiens,fortè in re non ludicra luderet,& ab eo exigeret,vt Christo renunciaret, Non faciam, inquit puer, iam serius è ludibundo. *Martyrij desiderium.* Nisi feceris, ait Fime, Imperatoris iussu mactaberis. Vtinam, ait Francisculus; nihil est quod minus metuam,aut æquè cupiam, quo responso eam ab his sermonibus in posterum deterruit, ac ceteros obstupefecit. nec inferior fuit alius cum fratre quoque ludibundo congressus. Cum enim iussisset eum à fide deficere, nihil impetrauit. Sed neque sacram cerei agni thecam vt deponeret extorsit,ex quo enim in Neophytos sæuiri cœptum est, nunquam sine illa coram fratre comparuit: sed maximè cum postridie illius congressus fratrem adiret,obtineri ab eo non potuit, vt eo careret, ne fortè vllam desertæ religionis suspicionem incurreret, aliàs etiam cùm in multorum congressu ex Arimensibus illis triumuiris vnus pueri patruus, Camon dicebatur, multa ineptè effutiret; puer ita loquentem interpellauit: Patrue, qualis est dæmon ? illius faciem spectare cuperem. Interrogationem puerilem astantium risus excepit. Camon enim vitæ licentioris infamia Dæmon inter Arimenses appellabatur,è quo puerilis iocus salem deprompserat. Et quidem in ætatis

tatis illius tenebris tot maturioris iudicij scintillæ interlucebant, vt vel iam à fratre timeri inciperet, cùm nondum ipse timere didicisset.

Arimenses igitur ministri cum ab hero suo atrocia mandata suscepissent; nulla interposita mora (solent enim in pœnis quàm in beneficijs exequendis ministri plerunque esse promptiores) spargunt se Miacum illos ad Iustam parentem amandare, sed clam eos intra cubiculum recludunt, vnico famulo, Ignatius vocabatur, ad obsequia necessario illis relicto, quos non pauci ne fortè elaberentur, dispositis excubijs asseruabant. Quadraginta dies totos in eum modum asseruantur, vt hac mora contingeret illos vnà cum sui memoria sepeliri. Admirabilis per eos dies à pueris viuendi ratio tenebatur (tanti refert ad omnes fortunæ casus à teneris vnguiculis didicisse quod exerceas!) siue enim Christianæ religionis odio, siue vano suspicionum metu, siue vtroque captiui detinerentur, id assequi videbantur quod imminebat, ea sibi breui quę supererat vitæ spacio comparanda, quæ vel mortem minus formidabilem reddunt præuisam, vel minus periculosam reddunt improuisam. Oratio coram sacris imaginibus quotidiana, ieiunia, (quis in hac ætate credat?) prope quotidiana; nec erat in Ignatij potestate volentes inhibere, qui cum non ignoraret ea, quę intra paucos dies circa puerorum necem designabantur, ita sibi commissos moderabatur, ne mors præuisa terreret aut improuisa falleret. Eo igitur acrius pijs exercitationibus certabatur, quò propius immatura mors accurrebat.

Fratres clam in cubiculo iugulandi recluduntur.

Et quidem ea ipsa nocte, quæ inopinantes erat oppressura, cũ fortè neuter esset ieiunaturus, & iam hora ad cœnam inuitaret; ait Franciscus Ignatio: hodierna quidem dies nulli ex consuetis, ieiunijs illigatur, neque fames cœnam respuit; incœnato tamen mihi dormiendum, hodiernum crimen aliquod expiaturo: illud erat, quod inter colludendum è custodibus nescio quem sibi offendisse videretur. Et vix adduci potuit, vt fratri cœnaturo comes assideret, tantillum salua ieiunantium religione sumpturus; quæ res in ea ætate, tempore, & causa religiosissimam ostendebat in puero mentem. Nec in hoc stetit præsagientis extrema omnia quodammodo

Francisci sagacitas. Postquam enim Matthæus obdormisset, ipse magnam cum Ignatio noctis partem terens ea prope fecit omnia quæ ad moriendum præmonitus facere potuisset: petijt recitari sibi ab Ignatio nescio quam precandi formulam, quam vt præsentem facilius memoriæ commendaret in papyraceo flabello, gentis more descripsit; tum quinquies eam positis genibus decurrens, toties cum Angelo Virginem salutabat, quoties eam precandi formulam repetebat. Inter quæ cum longiorem traheret moram, admonetur ab Ignatio nocturnas iam dudum horas somnum suadere. Cui Franciscus alia omnia in hanc sententiam magno animi sensu respondit: Occurrunt mihi nunc Ignati Christi Seruatoris nostri tormenta, quorum atrocitas lachrymas elicit: quantum mortalibus Deus dedit, cum in eorum salutem mori non detrectauit: eorum me miseret, qui eam rem ignorant. Collachrymari cœpit Ignatius, tum pietatis sensu permotus, tum quod carnificinæ crudelis hora inopinantibus agniculis immineret.

Inde cum iam dormitum esset concessurus, sacris Indulgentijs Virginis Conceptæ iconculæ attributis ineuntis aut potius exeuntis ætatulæ crimina expiabat; quæ cum Ignatius aduerteret auctor puero fuit, vt ex hac ipsa nocte sumens initium consuetudinem sibi faceret, velut qualibet nocte moriturus exitum suum Deiparæ peculiari colloquio compellatæ commendandi, quod ille fecit illico verbis in hanc sententiam religiosè conceptis: Domina mea, Sancta Maria, rogo te supplex per vnigenti filij tui pro nobis passi tormenta, vt si me hac nocte mori contigerit mei memineris, ego enim in manus tuas, Domina, & Mater, animum meum corpúsque commendo.

Tricies deinde sanctissima Iesu ac Mariæ nomina religiosè pronunciauit, nec auelli se sinens tertiò denique repetiuit; ac tandem vrgenti famulo cedens oculos morti clausurus aqua lustrali ab Ignatio conspersus in cubile concessit. Non tenebat inter hæc lachrymas fidelis seruus, sed & prudens pietatis potius quàm commiserationis prætextu celabat: abscedens porrò ad orationem non ad quietem secessit, donec sicarij suo, quod ille impedire non poterat, parricidio se fœdassent.

Nocte

Nocte itaque media cum adhuc Ignatius in oratione pernoctans rei exitum præstolaretur; iussu Arimensium moderatorum sicarius thalamum ingreditur, & suspenso pede dormientes aggressus, Matthæo primum cor ictu prætentato transfigit, & mox Franciscum, fauces ipsas ferro petens, iugulat. Vtroque nihil sentiente confecta res est, ita vt regressus Ignatius vtrumque, quo in situ reliquerat, in suo sanguine volutatos inuenerit, pallido vultu non iam mortis imaginem, sed ipsam mortem protestante. Atque ita duplex victima cecidit, quam etsi non constat in religionis causa perijsse, constat tamen ita prætextum vtrumque conseruandi status ac religionis euertendæ id temporis fuisse permixtum, vix vt alter ab altero separari potuisse videretur. Vt vt sit, agni duo sua innocentia inuoluti iugulum præbuerunt, magnúmque sui desiderium Christianis omnibus reliquerunt; cum iam intelligerent sibi nihil in Arimensium Dynastarum sanguine ad rei Christianæ restitutionem spei superesse; quæ cum vna cum his victimis humanis rationibus æstimata sepeliretur, hoc vnum supererat, vt à diuina manu nihil desperarent, postquam inter mortales nihil erat quod sperarent. *Parricidium ferale.*

Crudelis porro parricidij tristem nuncium mœstus dedit Iustæ parenti, quam Miacum secessisse diximus, è Societate nostra Sacerdos P. Petrus Moreion, cui animam suam de more commiserat. Quid illam inter hæc egisse arbitramur? quid de illa fide sensisse, cuius prope vnius causa videbat se marito viduam, filijs orbam, terris suis eiectam, ad pœnam viuere, cui non liceret ad solatium mori? videbat ex aduerso parentem suam, fratres ac filium Ethnicos apud Dairi legitimum Iaponiæ Principem auctoritate & gratia in paucis valere, penes quem Idololatriæ ius summum; se verò ex quo peregrina sacra suscepisset partis omnibus excidisse. Nihil tamen simile viraginis Christianæ animum, diuina iam diu gratia confirmatum permouebant: sine vlla perturbati animi demonstratione quasi subridens, ita respondisse fertur: Duo me in huius casus acerbitate solantur, & vt auctori omnium Deo gratias agam beneficij ream permouent ac hortantur: Primum enim ex quo Michaelem priuignum meum, ab infantia *Matri Iustæ nunciatur.*

Chri-

Christianis elutum ritibus, & Christianè per omnia educatum, non turpiter solùm fidem eiurasse, sed eam quoque immaniter persequi, eóque regnandi libidine deuenire vt eiecto parenti, suisq; fratribus mortem bis parricida per summum nefas attulerit, grauioráque in posterum videatur admissurus; magna me nunc sollicitudine liberam video, ne fortè filij mei fratris potius exemplum quàm filij educationem sequerentur, de quibus in hoc innocentiæ statu sublatis id spondere mihi posse videor quod optare debuissem. Deinde verò cum ad exorandam Ioanni marito quondam meo salutem æternam Deo Opt. Max. meam filiorúmque vitam libens deuouerim ad expianda quæ contraxerat crimina, & quibus in se diuinam iram prouocarat; Id, inquam, omne cùm seriò Deo deuouerim, quo tempore tristi spectaculo vnà cum illo magis morerer quod mori vetarer, videor iam mihi aliquod æternæ salutis illius pignus accipere, ab eo qui repetere videtur oblata, quod non faceret nisi hoc meum sacrificium in conspectu suo propitius admisisset. Ita se Iusta solabatur, & naturâ superior, de omnibus victrix cum diuina gratia triumphabat: Michael autem jam de fratrum interitu certior factus, vna cum suo sacrificulo ad extinguendas Christianæ fidei scintillas properabat. Sed quam in omnibus speratis spe sua exciderit videamus.

ARIMENSIS DYNASTA ADHIBITO CELEBRI *sacrificulo frustra domesticos suos peruertere conatur.*

CAPVT V.

Sacrificulus à Fime Michaelis pellice maximè excipitur.

Rediturus ad suos Arimensis dynasta fumis aulicis iam diu cœcutiens, ne qua in re moderatoris sui consilia reijceret, celebrem illum sacrificulum, Banzui appellabatur, de quo paulò superius, comitem adduxit ea spe vt concussos iam (quod arbitrabatur) de firmitate sua neophytos eloquentiæ vi excuteret, & patria sacra in patriam reuocaret. Is vbi aduenit, dici vix potest quo applausu fuerit exceptus à pellice maximè Fime, quod in eo rerum suarum statum stabiliuisse Arimensem dynastam prædicaret. Neophyti

phyti tamen vt ad eum excipiendum obuij procederent adduci nunquam potuerunt; & si qui ad eum visitandum accesserunt rogatu dynastæ ne illum in re non mala offenderent, id ita fecerunt, vt iniecto in collum precatorio serto fidem suam hac externa demonstratione profiterentur, ne cui offensionem neophyto darent. Et vt primis initijs ipsum sacrificulum demereretur, voluit vt ad condictum diem in arcem veniret, precatorios globulos Ethnico ritu dispositos, & inuocando Amidæ decurrendo destinatos inter aulicos & aulicas dispertiturus, vt hoc aulicorum exemplo reliquum vulgus facilius ad audiendum sacrificulum induceretur, nihil enim dubitabant, quin initio placiturus ad extremum persuaderet.

Rosaria Amidæ profana inter aulicas distribuunt.

Venit igitur sacrificulus Banzui, compositoque ad pietatem supercilio pauca præfatus mentitæ religionis arma depromit. Aderat Fime profanæ rosariorum distributioni auctoritatem conciliatura, cuius imperio aulicæ virgines ac matronæ iubentur oblata de sacrificuli manu munera acceptare. Quid hîc egisse putamus sinceræ fidei sectatrices? Nihil heræ imperio territæ, minus sacrificuli supercilium veritæ, intrepidè omnia respuerunt; per vim iniecta in manus superstitionis instrumenta, volente manu in terram labebantur, nec reperta est vel vna, quæ in fidei suæ contumeliam profanam perfidiæ supellectilem admiserit. Sacrificulus interim, qui sibi alia omnia promiserat, cum pudore & ira colluctatus, colores alternis permutabat; nunc liuebat iracundiâ, paulò pòst rubore suffusus pudorem præferebat, & heram intuitus contracto vultu de ancillis querebatur. Iterato igitur imperio distributio vehementius vrgetur, eodem semper euentu, nisi quod ex ijs vna, cui nomen Maxima, vim vltra non ferens, nec sacrificuli iam liberius inuehentis impotentiam, collectum globulorum sertum solo erigens in sacrificuli faciem audacter impegit, herile nihil in ea reuerita cuius auctoritate à diuinis imperijs auocaretur.

Aulicæ omnia respuunt.

Maxima rosarium in sacrificuli faciem impingit.

Fime in furorem versa, furiam diceres, visa sibi est sacrificuli, suam, deorúmque iniuriam vltura, si repudiantibus profanam superstitionis supellectilem, sacram eriperet. iubet igitur vt omnes sua sibi precatoria serta detrahant, & in terram abijciant. Cum nemo pareret, ex asseclis vni imperat, vt singulis ea detrahat. is erat

Iussæ sacra rosaria dimittere non parent.

 forte

fortè Christianus, itaque respondit: non sum rosariorum venator, non licet mihi Christiano sacra profanè, nec aulico minùs vrbanè aulicas contrectare. Non ferebat vltra suorum audaciam indignata pellex; dissimulato tamen tantisper furore sacrificulum globulis suis æquè onustum ita dimittit, vt iniuria castigata molliora omnia in posterum futura promitteret.

Dimisso sacrificulo furor in stomachum retrusus, diffusa bile totam viperam occupauit, quem in vnam Maximam colligens iniuriarum virus euomens, nihil indictum reliquit, in quo muliebris eloquentia in rabiem versa solet eminere. Sed verbis facta nihilo mitiora subiecit, iubet retrudi viraginem, ibique vinculis ita constringi, vt nullus propè illi membrorum vsus liber superesset; ad carcerem & vincula inediam addit, cibo illi potúque eo vsque interdicens, donec aut sententiam de retinenda religione mutaret, aut in pertinaciæ pœnam lento mortis genere contabescens interiret. interim tamen ad eam lacessendam ethnicæ matronæ subinde submittebantur, quæ vna cum vinculorum inediæque acerbitate conspirantes constantissimæ viraginis animum è sententia deturbarent. Septem dies totos Maxima cum suis vinculis, cum inedia, cum instigatricibus suis decertabat, ea semper animi firmitate quæ Maximam decebat: nec toto eo tempore adduci Fime potuit, vt nonnihil de seueritate remitteret. Sed neque Maxima quicquam de confidentia in Deum sua minuebat, continuis ab eo precibus vires exorabat, & in orationem effusa Christi columnâ animo magis quam vinculis stringebat, petebátq; vt ea sibi suppliciorum esset initium, quæ Christum imitata in eius confessione pateretur.

Maxima vincta membrorum vsus, cibus potusq; per septem dies interdicitur.

Septimo tandem die vinculis soluitur, sed eodem semper rigore dies alios quinque cibo potúq; interdicta inediam sustinebat, licet enim tantillum cibi, quo ne vix quidem vita sustineri posset, furtim ei sociæ aliquoties ministrarint, integris tamen viribus, coloréque viuido exijt ac si perpetuis epulis saginata vixisset, eáque res ab ipsis Ethnicis notata prodigio similis visa est. Et sanè fatetur ipsa Maxima se cum semel acrius siti premeretur, aquæ pluuiæ concha quàm fortè repererat, repleta, sitim ita temperasse, vt tametsi fel sibi potasse videretur, sitim tamen omnino excluserit. Sed

admi-

admirabilius est quod ipsa subijciebat, sibi aliquando nocturnis horis adfuisse matronas ipso vultu habitúque venerandas, vigiline an sopitæ dubium, à quibus edulio nescio quo ita reficeretur vt & sapori ad suauitatem, corpori ad vires conseruandas addi nihil posse videretur. Vnde nihil mirum videri debet, si ea consolatione vegetior extiterit. Huius certaminis hic fuit exitus. Maxima palatio exclusa in vnius è gubernatoribus domo vilibus obsequijs addicta delicias aulicas cum dura seruitute commutat; quod illa vt perpetnum esset, abraso capillitio gentis more sibi caducas huius vitæ spes amputauit, satis sibi gratulata, quod amissam semel cogente fortuna libertatem (erat enim natione Corea) recuperatam deinde cum fœnore, volens ac lubens Deo suo consecraret.

Diuinitus reficitur.

Seruituti addicitur.

Nihilo melius cessit sacrificulo sub vmbra dynastæ globulorum distributio; quid enim melius sperare potuit secundo cum viris certamine, qui primo prælio fragiliorem sexum victorem erat expertus? Itaque cum dynasta sacrificulo blandíturus inter honorarios pueros & asseclas serta diuidi imperasset, ab vno ex ijs hoc responsum tulit, non constans minus quàm cordatum: Meminisse poteras, here, nos vna tecum infantes iisdem aquis salutariter expiatos in eadem sacra coniurasse; oportebat te quæ nobiscum accepisti religionis arma retinere, non autem ijs repudiatis auctoritate tua nos cogere, vt sacra profanis per summum scelus commutemus. In cuius responsi sententiam cum cæteri venissent omnes, desperatione victoriæ dimissa concertatio; ipseque sacrificulus iter suum damnans ad eam qua alibi pollebat auctoritatem suspirans aspirabat: Maximè cùm è superiore loco perorare voluisset, vbi exceptus est tot neophytorum sibilis & cachinnis, vt explosus descenderit, qui sibi sperauerat applaudendum; quin etiam cum per vicos itaret, dicterijs & puerorum ludibrio exceptus domi se continere cogebatur. Et mirabile videri potest sacrificulo fabros ethnicos extra Arimensem agrum necessario conquisitos cum aram sibi ad sacrilega sacrificia, & exedram ad perorandũ parare voluisset: repertus est enim inter Arimenses nemo qui operã suam illi elocaret.

Idem sacrificulus rosa. ia Viris obtruedit.

Exploditur.

Dynasta in commodius tempus iram reseruans, hunc quidem

ſibi volens nolens temperauit, ac tandem vidit quàm parùm in ſacrificulo eſſet ſibi præſidij ad ea quæ auctore Safioie deſtinarat, quem nouis artibus non ita multò pòſt in Arimenſes neophytos eodem ſemper praui conſilij fructu ſæuiturum inſequamur.

IMPERII HAERES IN SVA REGIA YENdo cur ſæuierit in Chriſtianos.

CAPVT VI.

Videri poſſunt Imperator ac filius annuas ſæuiendi vices alternis permutaſſe, anno quippe ſuperiori ſæuiendi principium dedit ille, hic ne intermiſſione procella miteſceret, tyrannidem leui ſatis ex cauſa, non leuiter inſtaurauit. Et ſanè ſatis quieta fuiſſent omnia intra huius anni curriculum, niſi apud hos Imperij hæres & Safioie apud Arimenſes denuò quietem interturbaſſent. Quanquam apud Arimenſes ipſos atrox octo vt videbimus victimarum incendium & quæ deinde ſecuta ſunt, ab hoc ipſo Principis Imperij exemplo euulgata recruduerunt, nec habuiſſet ex quo ſuas artes metúſque Safioie fabricaret, niſi ab regia nouæ turbæ ſuppeditaſſent.

In vrbe Yendo Patres è D. Franciſci familia anno ſuperiore (amiſſa inter dirigendos ad vrbis ornatum vicos, æde quam habebant illic ſacra) dum nouam parant, proſcripti, magno ſuo dolore quod excolebant nouale, deſerere coguntur. Ex eorum tamen numero ceteris diſcedentibus P. Ludouicus Sotelus, ille qui poſtea cum legato dynaſtæ cuiuſdam Iaponij in Europam venit in hac vrbe remanſit, vt Neophytis in tanta deſtitutione alicui eſſet ſolatio: qui cum templum nullum eſſet, aut ſacellum in quod rei diuinæ cauſa Neophyti conuenire poſſent (erant enim ſuperioris anni edicto in ea ipſa vrbe promulgato ædes omnes ſacræ dirutæ) de ædicula aliqua loco minus periculoſo erigenda cogitare cœpit. In agro ſuburbano leproſorum ædes aliquot ſeiunctæ, non tamen in Noſocomij formam redactæ viſebantur: loco Aſacuſa nomen eſt. Iuxta hunc intra breue tempus collecta Neophytorum ſtipe ædicula auctore P. Sotelo erecta eſt, quæ paulò pòſt magnorum malorum occaſio-

casionem dedit. Ferunt inter extruendum orta lite puerili inter Ethnicum Christianúmque adolescentem, indicio parentis Ethnici. qui se læsum querebatur, rem quæ diu latere non poterat, erupisse. Et vt fit crescente fama vulgatum est inter militaris ordinis viros, ex ijs venit ad Toparchas, per eos ad principẽ penetrauit. Vulgatum est, inquam, Christianos edictorum suorum violatores pro dirutis ædibus aliam in agro suburbano extruxisse, capacem, altam, elegantem, ad quam multorum concursus, etiam nobilium suspectam reddebat audaciam. Excanduit princeps, & in hæc verba prorupit: Itáne verò apud Christianos edicta nostra intra annum obsolescunt? quis legem illam ferat, quæ Principum legibus, cum quibus ipsa illorum religio perstat intacta, volens aduersatur? Quærit deinde ecquis in vrbe sacerdos delituerit, eius operis sine dubio procurator. Nominatur ille, atqui, ait ille, ædem moliri sine multorum auxilijs præ paupertate non potuit, de re sola déque auctoribus serio inquiratur. *Principis indignatio.*

Ad eam rem è supremo senatu Senator vnus Iulij 21. Thomam inter Neophytos veteranum, & Gregorium quo dicti Patres ad Catechismum vtebantur, euocat: quærit sint necne Christiani, ex quo tempore, & vbi, eam legem suscepissent. Respondent esse se Christianos, & susceptæ fidei tempus notant, eámque ipsam vrbem pro loco designant. quo audito nihil vltra locutus, arctè vtrumque vinciri, & in carcerem retrudi iubet. Postridie accersiti de æde Asacusa extructa interrogantur, qualis sit, quorum stipe assurrexerit, & similia. Illi quod erat fatentur, ædiculam esse paruo sumptu, opere tumultuario Christianorum liberalitate constructam. Quærit ecquos nouerint Christianos: paucos, aiunt, qui sunt è nostro sodalitio, quorum nomina iussi tradere, non satis prudenter annuerunt, rati fortasse eiusdem esse culpæ cum de fide à legitimo iudice quæsitum fuerit, de alijs vt de seipso reticere. traditis nominibus in vincula remittuntur. Exinde in Christianos inquiri seriò cœptum: quod cum generosi Christi pugiles duo inaudissent, nihil dubitarunt, ad ipsum Senatorem pergere, seipsos prodere, & eorum qui secum sodalitij communione erant coniuncti nomina etiam non rogati tradere. Leo & Vincentius dicebantur, heroica quidem sed *Thomas & Gregorius fidei causa comprehenduntur.*

non satis cauta libertate Christum pro se alijsque professi. Ex eo tempore nobiliores quique ex nominatis domi suæ adhibitis custodibus & vicorum præfectis commendati recluduntur. Priores tamen duo cum socijs prius euocatis in publico carcere asseruantur.

Optabat pater ille huius mali principia Senatore illo qui inquirebat probè rem vniuersam edocto præfocare. Ergo ad eum pergit: sed reiectus est, nil sibi iuris in alienigenas esse dicens, ita tamen, vt quæreret ecquem haberet indigenam suarum rerum conscium, à quo de omnibus posset edoceri. Aderat Patri Laurentius neophytus, qui sua sponte quod petebatur professus, à Senatore detinetur. Cum interim pararet, ædiculæ suæ culpam eleuare, interpellatur. Ædiculam vidi, ait, quid sit scio, quod superest trade mihi librum in quem Christianorum omnium nomina referuntur, ne de ijs vltra inquiratur; negauit Pater apud se asseruari, quod nouus esset in ea vrbe nec domicilium nisi transiens statuisset; inquiram igitur: eúmque remittit, & mox Ioachimum natione Coream apud quem diuersabatur euocari mandat; ex eo quærit cum aduenisset cuius facultate sacerdotem illum externum contra Principis edicta hospitio excepisset, nominat Ioachimus Sandodonũ, erat is principis moderator & eidem à Secretis illi in paucis gratus, imo & parens Conzuquedono, quo Imperator gratiosiorem habet nullum. Vade, inquit, & illum domi tuæ reclusum asserua, dum aliud iubeatur. Inde Senator ad ipsum Sandodunum adit, refert quid Ioachimus sibi exposuerit, nec Sandodonus negat: externum illum monachum ait, ægrum vt domi suæ exciperet curarétque permisi. Atqui instat Senator, Corea hac nixus facultate è domo sua sacram Christianis ædem conflauit, in ea continui cœtus contra principis edicta coguntur, eiúsque rei apud principem inuidiam sustines, cum quid agatur ignores. Sycophanta est, ait, Corea ille, quem virum probum arbitrabar; quod fecit luat, nolo quemquam fauore meo contra principis voluntatem abuti. Ioachimus ipse domi suæ cum hospite suo eadem excubitorum & vici præfectorum fide reclusus asseruatur.

Ioachimus Corea cum hospite suo domi suæ clausus asseruatur.

ATRO-

ATROCITER IBIDEM DE CHRISTIAnis inquiritur.

CAPVT VII.

EX traditis sibi nominibus facilè intellexit Senatorius ille inquisitor plures in vrbe Christianos reperiri; quod vt apertius constaret, edici tota vrbe iubet vt omnes vicorum præfecti omnium Christianorum nomina vicatim ad se descripta illico adferant, in qua descriptione sanè multa contigerunt Christiani ardoris argumenta, omnes quippe inscribi gestiebant: quæ cum nomina Senator accepisset, denuo edicit, vt domi suæ singuli recludantur & à vicinis dispositis dies noctesq; vigilijs asseruentur. ipsi quoque leprosi (erant enim omnes Christi sacris initiati) intra sua mapalia reclusi multa pertulerunt. Ea res aliquot dierum experimento ita onerosa visa est vicorum præfectis, vt simul omnes suorum nomine ad Senatorem venerint ea de re questuri leuaménque postulaturi. Tum senator, agite & qua potestis industria efficite vt eiurato Christo suo ad patrios Deos redeant: quod si feceritis, & labore leuabimini, & vicinorum vestrorum vitæ consuletis, qua in re nulli labori parcite nec precibus aut minis solum, sed ipsa quoque tormentorum acerbitate certate: si quis perierit, ego vos liberos immunésque præstabo.

Christiani à vicorum Præfectis describuntur.

Interim dum hęc agebantur, inscripti neophyti non frustra sua nomina descripta coniectantes, inusitatos in Ioachimi domum Sacramentorum causa fecere concursus, quæ res magis magísque magistratuum animos abalienabat. Vicorum autem præfecti accepta furendi facultate ad suos redierunt, quæ senator permisisset, retulerunt. Hoc nuncio laxatis frænis infernus in Christi gregem exercitus irruere videbatur. Longum esset referre quid à singulis tentatum, quid intentatum fuerit, preces, minæ, fraudes nusquam defuere, apud multos sæuitia pietas appellabatur, dum ne morerentur torquebantur, mórsque minus pœnæ quam mora mortis habet; alij priuata odia publici boni prætextu vindicabant; à multis per vim extorta, vel per fraudem efficta subscriptio. Denique Ecclesia illa propè tot carnifices experta est, quot vrbs

Descripti variè ad defectionem sollicitantur.

ipsa

ipsa ciues numerabat. Multi ergo malis cedentes de animi sui constantia, saltem signis externis expressa remiserunt, magnaque fuit ciuium concussio. Sed neglectis ijs quae aliena sunt à Christiana firmitate, heroica paucorum facinora de multis seligamus.

Apollinaris sese primus ingerit, casúmque suum gestit insigni aliquo facinore resarcire. Is auditis tres totos menses Catechisticis orationibus multa sciscitatus, multa dubitans oculos tandem aperuerat veritati apud Patres è Diui Francisci familia qui eam vineam excolebant, anno porro superiore exoriens ab Surunga non satis intrepidum ferijt ruina. Cessit igitur vanis terroribus nondum satis robusta fides, defectionémque suam proprio chirographo volens nolénsue firmauit. Vna cum fide mentis suae tranquillitate excidens in perpetuo moerore versabatur, neophytorum conspectum vitabat, & qui seipsum inspiciens exhorruerat, sibi horribilis omnibus videbatur futurus. audijt interim dum malo medicinam quaerit adesse ex eadem familia sacerdotem, cui se sistens quaerit an sit vllus poenitentiae post lapsum locus, se nihil vt acerbum sit refugere vt sanetur. Ergo in spem reductus iubetur ad eos redire quibus defectionis suae testem manum scripto tradiderat, apud eos palinodiam recantare, chirographum repetere, si negauerint contrarium dare: quo facto rediret, quae iniungi vltra placeret subiturus. Pergit Apollinaris ad vicinos apud quos asseruari mali sui sententiam sciebat, facit imperata liberalius etiam quàm iubebatur, tum in Ioachimi domum redit, qua neophyti tum pro sacra vtebantur, iniunctáque corporis coram omnibus flagellatione perfunctus ad expiandum crimen Ecclesiasticis sacramentis restituitur. Non ita multò pôst de Christianis, quod iam agimus, inquiritur. ergo vicini instant vt posterius chirographum diffringat, priúsque quod de eiurato Christo seruabant ratum habeat. multae machinae adhibitae sunt, vt denuo excuteretur; sed impetrari non potuit; ergo multa priuatim perpessus, publico senatoris tribunali vinctus sistitur. Is vbi totius rei seriem ex vicinis audiuit ipsius Apollinaris confessione confirmatam, excanduit, & denuo multis machinis non expugnandus oppugnatur. Vna vox eius erat: Hanc vnam vitam Deo meo consecraui, ne illius gratia denuo exturbarer. Ergo in publi-

publicam custodiam arctissimè vinctus amandatur, insolenti satellitum sæuitia mirè diuexatus: Carceris præfecto commendatus in arctissimum ac fœtidissimum ergastulum compingitur, in quo ita se gessit vt virtutis suæ splendore omnium oculos in se rapuerit. Non diuturnum fuit illi cum vinculis suis laboribúsque certamen, intra dies paucos inedia, carceris pœdore ac situ interijt, & æternam quietem non longo labore comparauit. Ad eum nuncium Ioannes Mimbocu, de quo mox, & Laurentius ille quem iam Senator ille dimiserat, in carcerem accurrunt. humandum corpus expetunt, sed fustibus eiecti nihil impetrarunt. Cadauer vxori ethnicæ traditum, à sacrificulo in agro proximo extra fanum concrematur more patrio Verum neophyti omnium seduli obseruatores frusta flammis eripiunt, sibique pro sacris asseruant. Quis enim dubitet hunc ipsum non minus quàm ceteros, qui ceruices ferro præbuerunt, pari martyrij laude redimitum? *In carcere variè diuexatus moritur.*

Verum ad ipsum Ioannem promissionis iam factæ rei veniamus, & nunc quidem qua ex causa comprehensus fuerit, rerum series postulat, mors enim ipsius extremos huius ruinæ casus excepit. Ioannes igitur à prima iuuentute salutis illius ad quam duce natura immortalitatis studio aspiramus, diu per omnes Iaponiæ sectas vagus, nusquam quiescebat, ne apud academicos quidem suos, quibus diu non mediocrem operam dederat. Incidit denique Miaci in D. Francisci Patres, apud quos Catechista cœco doctore, Tobias dicebatur, fidei lumen accepit, & deinde nostris rebus instructus aliquot iam annos catechistam agebat, ipse eo vtilius quod Iaponensium sectarum peritus earum commenta ex proprijs refutabat. In hac ipsa miserabili neophytorum carnificina, quæ vicatim in singulorum ædibus exercebatur, Christiano ardore correptus, facultatem petijt à Patre cui conuiuebat, vt sibi liceret per domos cursare afflictis solatium aliquod præbituro. interrogatus quem sibi periculosæ aleæ finem præfigeret, ita respondit; nollem quemquam à fide deficere, vellem aliquid in eorum consortio tolerare. impetrata facultate sese ad opus suum accingit, iniectóque in collum precatorio serto, è quo ad pectus crux non maxima pendebat, ire pergit, adiuncto sibi comite & adiutore Laurentio. Quid vterque fe- *Ioannes Mimbozu Neophytos periclitantes iuuat.*

cerit, quid passus sit in hac dierum aliquot exercitatione, ille nouit, qui nostra omnia compensaturus intuetur.

Die quadam cum exorata ab excubitoribus ingrediendi facultate neophytum nescio quem miserum in modum compedibus manicisque constrictum reperissent retortis in tergum brachijs circulóque ferreo in fauces iniecto miserabilem, quo in tormento iam dies aliquot animose perstiterat, ne à fide desisteret; cùm, inquam, illum ad vlteriora mortem que ipsam si res daret tolerandam confirmarent; nonnulli ex eodem vico accurrerunt, indignámque rem inclamantes excitato tumultu colloquium abruperunt, volebant quidem vinctum vtrumque iudici sistere nisi intempestiuæ noctis tempus auertisset. reducunt tamen in Ioachimi domum, multa de illis coram Patre ac Ioachimo expostulantes, sed id maximè non ferendum videri esse homines ita proiectæ audaciæ qui audeant hominem in tormentis positum vt Principi suo pareat, palam ab illa ipsa re auocare. Cui Ioachimus ita respondit: dominorum multi sunt gradus, ego eum veneror præ cæteris, qui in supremo maiestatis ordine residens ceteros infinito post se relinquit interuallo. Si his proxima officia principi meo defero, quid est cur ordinem violasse reprehendor? nec plura; abeunt ipsi, furorem suum in auroram differentes. Sed non distulit Ioannes eam quæ in hoc rerum statu exigebatur animi comparationem. Totam eam propè noctem duxit insomnem, & iam sub auroram peccatis expiatus & epulo sacro refectus peccatorum indulgentiam amplissima illa concessione consequitur, quæ in ædis sacræ quam Portiunculam vocant, consecratione apud Franciscani ordinis Patres concessa perhibetur; in illum enim diem hæc quæ mox dixi contigisse narrantur. Vix bene illuxerat cum accepta à iudicibus auctoritate redeunt hesterni tumultus auctores, & domi suæ vinculis constrictum intra cubiculum recludunt, ipsis suis vinculis exultantem, in quibus eum relinquamus, nunc orantem, nunc de fide nostra cum ethnicis disputantem, donec eum è priuata custodia in publicam, & inde ad victoriæ suæ arenam educamus.

Ad martyrium se comparat.

Domi sua clauditur & vinculis astringitur.

E VINCTIS NEOPHYTI OCTO simul obtruncantur.

CAPVT VIII.

IN priuatis vt dixi ædium suarum custodijs multi tenebantur, è quibus in publicas educti octo capitísque damnati. Inter eos iure primas obtinet Sasanda Michael, qui primarius sodalitij præfectus ædiculæ extruendæ non tam interfuerat, quam prope præfuerat, is parum cautè cum alijs sociorum nomina scripto prodiderat, & domi suæ tenebatur, sed tamen vici præfectorum rogatu alio migrarat, apud toparcham nescio quem vinculis vigilijsque asseruatus. Prius ex ijs ædibus quam educeretur, iubetur nominum seriem suo chirographo sigillóque munire & inscribere illam esse seriem illorum qui stipe collata ædiculam erexerant, quod faciebat ratus id se non posse salua fidei suæ integritate reticere, cùm à iudice legitimè quæreretur. Ea nominum series ad principem ipsum delata, negotium dies aliquot, nescitur qua ex causa, suspendit. Consuli placuit Imperatorem à quò mitior sententia sperabatur; inde tamen rescriptum venit, præcipuum quemque nisi Christum eiuraret obtruncandum.

Decimo itaq; septimo Kalend. Septembris, in feriam sextam forte tum inciderat, Ioachimus & Laurentius è suis ædibus ad iudicem euocati ex itinere à militari turma quæ illis occurrit eodem pertrahuntur, vbi alij quoq; sex iam aduenientes præstolabantur, Thomas videlicet, Leo, Vincentius, Lucas, Ioannes, Antonius. Varij fuere sibi occurrentium sensus affectúsq; diuersi, sed omnes absorpsit gaudij magnitudo, quod sibi viderent in vna Christi causa omnibus extemplo moriendum. Huic omnium lætitiæ communíque gratulationi coronidē addidit Michaelis aduentus, eductus enim ipse quoque priuata sua custodia vt erat primarius sodalitio præfectus, iam cum suo duce inuicta Christi cohors prælia domini præliatura sibi ordine suo videbatur. Sed omitti non potest, quid Michaeli cū educeretur acciderit, satis simile laudato illi facinori animóq;, quo Leuita Laurentius Xistum Pontificem suum flebiliter prosecutus se negligi querebatur.

Cum alijs octo ad iudicem pertrahitur.

Habebat Michael adolescentem famulum in Christiana pietate

herilis exempli æmulatorem. Is in Toparchæ domo in quam Michael è proprijs ædibus emigrarat hero vincto fideliter seruiebat. Sed placuit hero vexando solatium illi & qualequale obsequium eripere. Romanus igitur (hoc nomine dicebatur) Michaeli subducitur, & in alia domus parte vinculis oneratur. Fortè contigit Michaelem dum ad custodiam publicam moriturus educeretur, conspicari, & quid ageretur conijciens ita exclamauit, Quo progrederis, here, sine famulo? nunquid degenerem me probasti? si antehac laboris partem tecum sustinui, quidni tecum admittor ad coronam? si mea me à corona peccata præpediunt, quidni mors in pœnam inferatur? Cui Michael, Quod petis fili, extra herilis potestatis terminos iacet, ab eo pete, qui solus est gratiæ gloriæque distributor; si cordatè hoc optas, ardenterque petiueris, planè vt sperari potest, impetrabis; atque ita Michael à fideli seruo separatur.

Extincto postea hero Romanus ab vno è iudicibus euocatus ita compellatur, Herus tuus pertinaciæ pœnas luit, te legibus debita seruitus inuoluit, cupis mihi famulari? cupio verò ait Romanus, dum id mihi liceat ijsdem legibus quibus Michaeli seruiebam: Christiana me libertate dona, in ceteris vt vt voles non inuitam seruio seruitutem: atqui, infert ille, non vides hoc fieri nullo modo posse, cum Christiano nulli tota vrbe Yendo vita, nedum libertas Christiana permittitur. Per te igitur moriar sodes, ait Romanus, certum enim mihi est non minus quàm hero si viuere non licet mori Christianè. Sile, inquit ille, ne te dictorum deinde pœniteat, satius est tibi à Christo quàm à vita deficere. Qui nescit, ait Romanus, in hac morte mortales in vitam renasci immortalem, quid mirum est, si ita iudicet, quibus dictis iterum ad sua vincula remissus.

Verum à Romano, qui nos digressione non intempestiua detinuit, ad publicam custodiam redeamus. Nouem in arenam prodierunt, coronæ pellucent octo, quis ex toto numero excludetur? Laurentij parens ad iudices appellauit, is vt erat ethnicus spopondit se filium ad defectionem pertracturum si mora illi aliqua concedatur, non grauatè impetrat, quod ipsi iudices exoptabant. Itaque magno sensu doloris Laurentius frustra fidem suam protestatus à socijs auellitur, & in ergastulum retrusus noua prælia cum victoriam

ctoriam tenere se credebat, præstolatur, cuius in fide tuenda; patiendique studio firmitatem suo loco postea non negligemus.

Octo igitur qui supererant in strigosos equos iniecti per celebriores vrbis vicos ignominiose raptabantur, hastili ad equorum iubas alligato præfixa quædam vexilla papyracea supra martyrum capita fluitabant. Id apud eam gentem signum est extremi supplicij cum rei eo pertrahũtur. Supplicij locus fuit ille ipse qui reorum ceterorum vrbem inter vicúmque Acacusa, vbi leprosi sua mapalia ad ędiculam habent, loco nomẽ est Tocicoy; ad eum locum ingens spectatorum præcucurrit multitudo Martyrum per vicos circumraptatione accersita. In media spectantium corona ingentem fustibus abacta multitudine aream apparitores aperiunt. In ea quoque media præaltam sudem ad exponendam inscriptionem causæ defigunt: Cuius hæc erat ad verbum expressa sententia. Viri isti quia principis mandatum violarunt, & quia Patrum legi se addixerunt, & quia sodalitiorum & cœtuum præfecturam admiserunt hac pœna plectuntur. Primo die, Lunæ septimæ. Incidit in 16. diem Augusti.

Octo ad supplicium raptantur.

Gaudete & exultate gloriosi Christi martyres, quia nemo vestrum patitur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem vt Christianus non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. Ita sentiebant inuicti athletæ in extremo iam agone constituti, nam lecta inscriptione inuicem sibi gratulati, nonnihil ab inuicem seiuncti genibus prouoluuntur, & singuli prout affectus præsens suggerebat in varia spiritus impetu distracti, concordem orationis discordiam præcinebant. Tandem vbi carnificum indulgentia animo suo nonnihil indulserunt, inclinato capite sicam euocantes obtruncantur, & in mari rubro circumfusi cruoris, viam sine impedimento, & iter mirabile sunt ad terram viuentium consecuti. Intrunca deinde corpora Iaponensis barbaries sicarum suarum ostentatrix membratim desęuijt, & sacras exuuias horribili carnificina confudit. Capita ad epigraphen exposita septem totos dies excubitorum fide seruabantur. Sed eam neophytorum sacra cupiditas, aut fefellit aut corrupit; sensim enim subducta omnia, & artuum frusta çollecta clam non procul ab ædi-

Capite truncantur,

cula humo commissa tubam, cuius sono cuncta suis locis restituta coalescent in partem gloriæ venturæ præstolantur.

POSTRIDIE ALII QVATVORDECIM IN eadem fidei causa plectuntur.

CAPVT IX.

TEnaces iræ principum non facilè placantur, vbi semel ferrum induerint, primo sanguine sitim accendere videntur potius quam restinguere. Die igitur insequenti decimo sexto Calendas Septembres quatuordecim hesternis octo additi atrocitatem & prope numerum duplicarunt. Tertio ab vrbe lapide viuebat in vico, cui nomen Vxingome, Toparcha quidam, Bungensis illius Francisci dynastæ pronepos, ac hæres, sed degener auitæq; pietatis oblitus: ex quo enim Taicosamæ Constantinum Francisci filium regno exturbarat, in hunc se vicum prope priuati recepere, qui ad eũ attinebant. Is igitur quem dixi pronepos Principis gratiam aucupaturus haberi voluit Christiani nominis insectator. In eo igitur vico acriter inquirens effecit, vt nonnulli deficerent, alij secederent, omnes vexarentur. Ex ijs qui furenti se subduxit Marcus fuit ex eius familia, cuius opinio, si ea quæ fidem spectant attenderis, ea fuit apud omnes vt meritum parentis nomen sortiretur: ea enim omnia quæ neophytorum saluté spectabant ita procurabat, vt eos omnes in Christo genuisse videretur, tametsi ex ijs non pauci apud Bungenses olim à puero in Christi militiam adscripti Marcum ætate, nemo tamen virtute superaret.

Illius absentiam cùm herus ipse sentiret, viri probitate inductus ei renunciauit, gratum sibi fore si se ad obsequia solita reciperet, intacta licet Christianè viuendi libertate. Redijt Marcus eóq; libentior quod in erigendis lapsis confirmandisq; nutantibus insignem industriæ suæ campum videret aperiri. Nec labor industriæ defuit, nec vtrumq; fefellit euentus. Intra breue tempus alia fuit illius vici facies, alius ardor, & pristina religionis integritas restituta. Vnde cum ille quoq; in ædiculam pro sua pietate contulisset, in serie quæ iudici tradita fuerat Marcus in primis legebatur, vnde facile coniecit ex ea re sibi ac suis periculum imminere breuíq; fore vt vrbani tumul-

tumultus vicina quoq; inuoluerent. Ne igitur imparati improuiso fragore consternarentur, quos è priore metu vixdũ bene collegerat, suá, si fortè contingeret, duplicato labore præueniebat orbitatem.

Nec intempestiua fuit cura vico, nam ecce tibi inexpectatus ab iudice nuncius vinciri Marcum aliósq; tredecim nominatos iubet. Interim de vinctis clam serióq; inquiritur. inde constitit anno superiore plerósq; defecisse vel nutasse, sed eosdem hortatore Marco sibi restitutos. Quare arctiore custodia Marcus in primis, tum ceteri recluduntur, ita vt neque spectare neque spectari, minus cum aliis neophytis colloquia miscere sinerentur. Ea solitudo spacium dedit omnibus ea commentandi quæ animos inflammarent, & oratione continua Deo se in odorem suauiter offerendi. *Cum aliis 13. vinctus asseruatur.*

Tandem post exhibitos hesternæ victoriæ triumphos ad hodiernas coronas Christi pugiles euocantur. è vico in vrbem pertracti ad supplicium extemplo hesternæ pompæ ordine per nobiliores regię vicos circumducti raptantur. Magna fuit plebeculæ petulantia: probris, contumelijs, scommatisque omnia personabant. Longum esset quid singuli dixerint, quid fecerint commemorare, ac tametsi iucundum est, nolim tamen in his, cum aliò vocamur, immorari. *Pertrahuntur ad supplicium.*

Venitur igitur in hesternam arenam, cuius adhuc exhalans cruor animos pugilum incitare videbatur. Ex equis abiecti funibus immaniter hinc inde raptantur, donec impetratam fustibus aream in arctum se compingens corona laxauit, quam hesterna frequentiorem fama conuocarat. Erigitur hastili pręfixa mortis causa, ad quam legendam nemo auidiùs quam ipsi qui damnabantur oculos conuerterunt. Ea cubitalibus expressa literis spectantium oculis ita loquebatur: Hi quatuordecim viri cum in anni superioris disquisitione contra Christianos chirographo dato Christi fidem eiurarint, eo quòd postea ad eadem sacra redierint hac pœna plectuntur, altero die lunæ septimæ, hoc est 17. die Augusti. Mirum quantum Christi Martyres hac lectione exultarint, certi iam de corona, postea quàm de causa constaret. Nam tametsi ex ijs plerique nunquam à Christo defecerant, patebat nihilominus ideo se plecti quod ad Christum redijssent. Et nihil vltra morati, vna omnes in genua lapsi, & Iesum ac Mariam inuocantes obtruncantur, *14. Capite plectuntur.*

vnáque

vnáque omnes mortalitatis exuuijs exuti ad immortalitatem sublimes abierunt: quorum corpora membratim concisa diu Iaponenses sicas exercuerunt: capita clauis affixa tabulam ipsam in qua inscriptio legebatur in auersa parte adornarunt. Ea quoque detracta sensim artúsque collecti tandem omnia communem sepulturam inuenerunt, ipsáque membrorum omnium permixtione in vnam se omnes fidem expirantes conspirasse profitentur.

In diem insequentem quotidiano semper incremento tres alij supra viginti ad eandem carnificinam vocabantur, nisi iudicum alter priorem monuisset videri sibi lentius aliquanto in tanta ciuium cæde pergendum, multitudinem tantam cui sæpe licet impune peccare, non posse totam sine immanitate ad pœnam vocari, tentari posse denuo per vicorum præfectos num aliqui recenti metu consternati deficiant, delictorum enim pœnæ solis reis in pœnam, ceteris in medicinam infliguntur. Placuit collegæ consilium. Vocati vicorum præfecti, ad repetendas cum neophytis preces, minas, tormentaque serio incitantur; sed nihil æque illis commendatur, quam vt ab ijs verum falsúmne nihil attineret defectionis chirographum extorqueant, vt ita principis furor pia in ciues fraude mitesceret. quo artificio multi arrepta per vim manu, minus sæpe, quàm decuerat, fortiter aduersati subscripserunt, aut mentito chirographo liberi dissimularunt.

Neophyti per vicorum præfectos iterum tentati.

CHRISTIANA VIRAGO DESERTOREM *maritum Christo restituit.*

CAPVT X.

TOparcha non ignobilis Yamaxiro dono dicebatur, in regia viuebat. is in Christi sacra ita propensus erat, vt nisi fortunis suis plus æquo consuleret, ea complexurus facile videretur. Ex herili propensione famuli eo prope deuenerant, vt eo etiam hortatore Christum profiterentur, quos hactenus in fide constantes ne lacessierat quidem vt Christum abdicarent. Ex eius famulis non pauci collata in ædiculam stipe ita opus promouerant, vt inter inquirendum eorum nomina negligi non posse viderentur. Ergo Michael

Michael (ille quem primo certamine martyrij palmam paulò antè diximus consecutum) nomina rogatus ab illorum hero exquirit in hac re, quid suis fieri velit. Visum est illi neque prodendos omnes, nec quod sperari non poterat omnes occulendos: illius iussu aleæ ius seligendi datur: illa selectissimos quinque nominauit, quorum nomina iudici tradita ad herum transmissa sunt cum mandatis vt illos domi suæ tutò asseruaret. Faciebat herus quod iubebatur initio perfunctoriè morem suum retinens propensámque in Christianos voluntatem. Erupit ea res nescio quo indice ad iudicem, à quo serio monetur, vt famulos suos ad defectionem omnino sollicitet, nisi fortunas suas gratiámque Principis exponere discrimini velit, cui certum est minimè arrisurum, si scierit eum famulis, contra quod superiore anno edixerat, vti Christianis.

Perculit ea res herum sua quàm suos auidius retinentem. ergo in transuersum actus alia omnia molitur, & quam remissus antea fuerat ac propensus æque nunc in aduersum contendit ac nititur. Precibus, minis, vi, fraudibus omnes exturbat, aut exturbare se gloriatur: extorto enim aut efficto chirographo mittit qui iudici significet, nullum sibi domi suæ superesse christianum: & quia nouerat fraudem suam diu latere non posse, vt eos sibi conciliaret, quorum chirographum effingi curauerat, ne si fortè fraudem sentirent, eam iudici, quod Christiani plerique faciebant, aperirent, vnde sibi maius periculum crearetur, statuit honoratis ijs, qui reuera Christum abdicarant, eos prouocare quos etiam tum sibi constare constabat. Simonem igitur inter eos primarium domestico epulo excipit, vt herili facilitate prouocati facilius ceteri darent manus.

Vamaxiro-deno toparcha suos ad fidem deserendam sollicitat.

Simonis vxor Maria Firoximæ in regno Aqui educata, insigni mulier pietate defectionem mariti ita exhorruerat, vt si correptum à malo genio maritum, aut ipsum malum genium conspexisset. Verum vxor marito saluti fuit, heroico sanè & plusquam muliebri facinore Magdalenam imitata, nisi quod Magdalena suam, illa salutem procurabat alienam, in qua eo segnior est virtus quò alios quàm se ipsos remissius saluos cupit. Assidebat hero Simon igitur, & vix seipsum insolenti beneuolentia captus capiebat, nec satis attēdebat, quod venenū in auro biberet voluptatis manu propinatum.

V Irruit

Irruit interim ex improuiso Maria *importuna conniuio sed opportuna beneficio:* non eam remorata est peculiaris sexui verecundia, non auctoritatis suæ ratio, non mariti vel heri quam vereri poterat indignatio: saluus sit Simon meus, cetera periclitentur. Propior igitur marito facta interruptam singultibus vocem in hæc verba prorupit: eheu me miseram quæ martyris coniunx potui appellari, video me nunc malo genio illigatam! ita breuia æternis permutasti, hæccine reddis domino, aut plus ab hero tuo, quàm à tuo conditore beneficiorum accepisti? an fortasse vindicem Dei manum æternósque cruciatus illius ope subterfugies? Ita mulier Simoni, quàm Adamo Eua saniora consilia ingerebat, ad cuius vocem, quæ illi fuit, quod Gallus Petro excusso sopore seipsum inspiciens erubuit, exclamans, Quid me vis facere? toparcha chirographum meum impetrauit. nihil te moretur, ait illa, chirographum, plus fecit ille qui thus adoleuerat Pontificiæ immemor dignitatis. is neque veniam sed neque martyrium desperauit, aliáque multa subiungens effecit, vt ab heri latere præ stupore obmutescentis exiliret, & ad eum conuersus supplex sibi chirographum suum restitui postularet. Negabat ille pertinaciter. Simon verò resumptis animis sic herum compellauit: Scire te velim here, Christianos cum eò deuenerint, quò me deuenisse admiraris mortem sibi proponere, qua contempta nihil est quod non audeant. Sic igitur habeto me ad iudices iturum professúrúmque quibus artibus à me chirographum extorseris, quod ego recentiore irritabo: hoc à me mea religio postulat, è quo mihi soli, non tibi, velim periculum creari.

Maria Simonem maritũ desertorem Christo restituit.

Herus ad hæc satis intelligens quod rerum suarum discrimen adiret, si suæ fraudes ad magistratus erupissent. Eiecta igitur quam modò suspexerat viragine, & in fidei facinoribus heroina, Simonem solum sibi denuo suscepit expugnandum. Maria cum eijceretur exclamauit: toparcha vide quid egeris; ea dies quæ totius orbis actiones ad iustitiæ trutinam reuocabit, necessitatẽ tibi de hac ipsa re satisfacturo imponit; vices inter nos eo tempore permutabimus; in peius tibi, in melius mihi cadent. Eiecta vxore nihilo sibi minus Simon constitit, & post multa chirographum suum tandem impetrauit, ac momento in omnium conspectu lacerauit. Et ne quo spiritus

ritus

ritus impetu ad iudices delatus data iudicibus verba & fictam familię defectionem aperiret, domi ab hero in vincula compingitur, qui si martyrium in hac procella non est consecutus, sperare tamen potest arrepta se post naufragium metanoeæ tabula posse in portum enatare.

Hoc ipso Simonis exemplo prouocati ex eiusdem toparchæ famulis duo cùm de sua defectione falsum ad iudices chirographum delatum esse inaudissent, ad herum adierunt, Gregorius alter, Paulus alter dicebatur. Constat nobis, here, te nos tua fraude in fraudem coniecisse, defectionis nostræ chirographum iudices habent, cum nos neque defectionem neque chirographum solo somnio destinauerimus; nostri muneris est chirographum damnare, fidem nostram profiteri, quod vt sine tuo damno fiat, vide quid consilij ceperis, nobis certum est maiora damna propria, tuis & maioribus anteferre. Indoluit herus, & iam noluisset famulos suos ad Christi sacra prouocasse, prouocatos noluisset fefellisse, cùm videret se vtraque ex causa in necessitatis angustias irrepsisse. Sed vt mederetur iam factis, vtrumque multis rationibus eo pertrahere conatur, vt ratum habeant, quod inscientibus illis fieri necessitas imperasset. Hoc maximè vrgebat, legis vestræ præscripto herilem obedientiam contineri, neque legem Christianam rationi vbique consentaneam, alienis damnis ruináque gaudere. Verum illi cum in sententia immoti persisterent, asserentes hæc omnia infra Deum intelligi, cuius cultus ac veneratio prima esse debet & vnica, si quando non potest cum alijs salua consistere, in domestica quoque custodia compedibus impediuntur, ne quo fortasse ad iudices indicio illius artes penetrarent; Et vt si quod immineret malum in alios deriuatum à se præueniens auerteret. Iudicibus renunciat è famulis suis, qui Christi sacra eiurarant, duos à chirographi sententia resilijsse, & simul Gregorium Paulúmque nominauit. De Simone minus laborans quod eius chirographum propriæ manus testimonium esse constaret, in alios fraus ipsa seipsam, si excuteretur, erat proditura. Iudices herum admonent vt duos illos dum euocarentur asseruaret.

Duo alij falsum defectionis chirographum eiurant.

QVATVOR NEOPHYTI E PRIVATA IN publicam custodiam plectendi retruduntur.

CAPVT XL.

Laurentij aduersus parentem constantia.

ASseruabatur in publica custodia Laurentius, quem parens eius præsenti coronæ promissæ defectionis sponsione subduxerat. Stabat igitur ad filium frequens fidem suam liberaturus, sed filio si potuisset erepturus. Laurentius ne quam offensionem frequenti cum Ethnico parente congressu daret, sed maximè, vt se importuna solicitatione liberaret, secreta cum parente colloquia, sublata in hanc sententiam voce vulgauit. Certum sit omnibus me Dei gratia confirmatum frangi non posse, ac tametsi chirographum viderit quispiam, nemo meum esse arbitretur, omne illud quale quale fuerit eiuro, atque ita parens tum quidem cum sua desperatione discessit, Laurentius porrò alia certamina nobis deinde suppeditaturus in ergastulo suo asseruatur.

In Ioachimi nuper martyris domo Ioannes & Gregorius vna cum prædicto Patre vinculis domesticis tenebantur, quamquam Pater domi quidem sed sine vinculis tenebatur. Currebant iam dies aliquot, cum vici præfectus excubitorum tædio prouocatus, ad iudices venit, excubiarum molestias queritur, petítque totius vici nomine liberari. Quidni efficitis, ait iudex, vt Christum abdicent extemplo vos molestia, illi vinculis liberandi. Facilius ait præfectus, vicus totus eorum continuis hortationibus ad Christi sacra transibit, quam obfirmati resilient. Tentate ait denuo, si renuerint, edicite moriendum illis, ex principis voluntate, cuius tamen tanta est humanitas vt vitam illis offerat quoties resipuerint, tametsi iam iam sub ictu carnificis obtruncandi; quod si hanc quoque gratiam indigni reiecerint, Gregorij ac Ioannis manu firmatum chirographum exigite, quod Principi legendum exhibeatur.

Ioannis ad Ethnicos oratio.

Redit præfectus & vicum euocat, vt extremo ariete Martyrum constantia communibus neruis luxata quassetur, quicquid habet in mandatis explicat, omnes Principis gratiam humanitatemq; collaudant. Ergo Ioannes suo sociјque nomine ita respondit: si me primum dicentem patienter audieritis, ego aptè respondebo.

Annuen-

Annuentibus de Iaponensium sectarum vanitate, de Christianæ religionis veritate multa ingessit, addidit deinde quibus pœnis mala, quibus præmijs bona æternitati tradita compensentur. Iis ita propositis ego vos iudices appello. Credite vos hæc ipsa quæ confirmaui pro certis habere, non aliter quam nos certa, explorata, indubitata esse profitemur: velletis æterna breuibus, certa dubijs, magna paruis posthabere; an potius æternitatem vitæ, has miserias felicitati mortis sacræ compendio præferretis. Quid tunc facturi essetis, si nobiscum eadem crederetis, edicite, eósque idem facturos æstimate, si tamen semota omni animorum perturbatione iudicatis. Hanc orationem excepit concio non eodem animi sensu, aliqui cum Ioanne sentiebant, alij se doceri fremebant, vnus ex tota comprobantium multitudine hac oratione permotus baptismum deinde petijt & impetrauit.

Vrget igitur præfectus, vt quicquid secum ipsi statuerint, hoc ipsum scripto profiteri ne grauentur. Tum Ioannes fidei suæ professionem in hæc ipsa verba concepit. Deus vnum ac supremum numen, qui cœlum terram ac cætera condidit, omnia gubernat, & omnibus prospicit, siue in hac vita siue in æterna, vt mortales omnes seruaret ex virgine voluit nasci, & peccatis nostris satisfacturus in crucem agi voluit. Ab huius numinis cultu & amore neque nunc recedimus, neque vnquam recedemus, tametsi hac ex causa quantumlibet horribili ac immani nos morte plectatis. In cuius rei fidem hoc scriptum manu propria obsignauimus. Ioannes & Gregorius die 13. Luna septima. Incidit ea dies in Augusti diem octauam supra vicesimam D. Augustino Ecclesiæ Doctori sacram. *Ioannes & Gregorius fidem scripto profitentur.*

Id scriptum ad iudices delatum omnes stupore defixit, & exclamans vnus ait; hoc verè est Christianum, cui mori potius expedit quàm viuere, eaque ipsa die lecto in publico seniorum vrbis, quem tum haberi forte contigit, conuentu decretum vt in custodiam publicam retruderentur, quod vbi domi ab ijs auditum est, compedibus suis non ad fugam sese per vim expediunt, & ad Patrem accurrunt, sobriè se refecerunt, & valedictionis poculum gentis more sibi mutuo propinarunt. Tum ceteris officijs, quæ in hoc rerũ statu amor cuiq; suus suggerit exhibitis à se mutuo auelluntur. *In publicam custodiam retruduntur.*

Ioannes toto itinere concionabundus obuiam multitudinem hortabatur vt cæcitate damnata oculos aperirent veritati.

Abducti ergo cum in custodiam aduenissent, quæsiti sunt præfecti longiorem moram; quam vbi rescierunt longiore sermone tractam, imperant præfecti vinctis ceteris vt Deorum contemptores malè plectant. Ingredientibus serta precatoria crucésque rapiuntur, & pugnis excepti à vinculorum socijs salutantur, quin etiam vtrumq; in sublime tollentes, subitóque laxantes solo sæpius affligebant, aliáque multa addebant, quæ fex illa reipublicæ laxatis frænis audebat, & ad quietem deinde capiendam in fœtidissimum locum, in quem tota carceris sentina confluebat, retruserunt. Hoc solatio fuit, quod Laurentium inuictum planè pugilem ibi repererint, continua sex dierum siti prope arescentem eã damnatũ quod nullum de Christi lege perorandi finem faceret. Cuius orationum nonnullus fructus fuit. In ipso carcere Christo vnum adscripsit, qui breui tirocinio stipendia emeritus, intra paucos dies, postquam eum Ioannes baptismo expiauit, martyrij palmam est assecutus. Inchoatam à Laurentio de diuinis rebus loquendi consuetudinem, aucto iam numero, nunquam intermittebant, nec inhiberi potuit præfecti carceris licentia, qua iubebantur vincti dicentem ita interturbare, vt orator obmutescere cogeretur: allatæ quippe rationes, & Christiana lenitas eam sensim venerationem inuexerunt, vt eã petulans alioqui hominum colluuies dissimulare non potuerit. Ea res delata ad iudices eos impulit, vt differri iam illorum necem non posse iudicarent. Ergo vt eiusdẽ supplicij comites darent, duos illos, quos herus postquam resipuerant denuo desipuisse detulerat, Gregorium & Paulum in eandem publicorum vinculorum societatem euocarunt, quod in sextum Septembris scribitur incidisse.

In carcere quid passi, quid egerint.

VLTIMI MARTYRES QVINQVE PRINCIPIS furorem plexis capitibus excipiunt.

CAPVT XII.

Tenebantur ergo publicis iam vinculis quinq;, Laurentius, Ioannes, Gregorij duo, & Paulus. Pridie quam ad supplicium vocarentur, Ioannis ac socij chirographum ipsi Principi legendũ exhi-

exhibetur. Hoc Ioanni fuerat in votis cum paulo explicatius fidei suæ capita exscriberet, ne Princeps rerum diuinarum ignorationē, vt aiebat ipse, causaretur. Eo lecto iterum iterúmque illius iussu repetito, ita pronunciauit: Mori per vim volentes, moriantur. Instant pro Laurentio, quem parens vnicum sibi filium seruari postulabat. Si resipuerit ille liberetur.

Die insequenti, qui fuit natæ Virginis peruigilium & in Sabbathum inciderat, iudices in carcerem mandato principis armati conueniunt, supra nominatos euocant omnes, vnúmq; Laurentium in hæc verba compellant: Renunciatum est Principi te illius iussu sacra peregrina reiecisse ac tandem sapuisse, qua ex causa vitam ille tibi permittit, verum hoc ipsum an ita sit ex tuo ipsius ore lubentes audiemus. Quibus Laurentius in hæc ipsa verba generose sane respondit, Quod Principi renunciatum est, ne cogitatione quidem sola, nedum verbo ex me profectum est, & hoc in posterum omnibus certum esse volo, tametsi Principi nostro Christiani omnes in deserenda fide parerent, tametsi omnes ab eo crudelissimè necarentur, vnus ego superstes Dei gratia confirmatus nunquam à Christo dimouebor, & quam diu lingua libero sermoni seruiet, non desistam omnes ad eandem Christi fidem cohortari, & quantum in me erit efficiam, vt vniuersa Iaponia repudiatis simulacris suum agnoscat conditorem, vnicumq; seruatorem. Quæ cum Christiana libertate ita pronunciasset, vt palmam quę iam semel è manibus exciderat, extorquere velle videretur, in ergastulum tamen suum retrusus est, in quo diuturnum pedorem aliaq; multa iam patitur: vt tamen viuat sui memor instituti. satísque constat reos nonnullos cum ad supplicia pertrahuntur Christum inuocare, quod Laurentij cohortationibus nihil dubium est impetrari.

Laurentij in fide constantia.

Laurentio ita dimisso iudices inter vinctos edicunt, vt si quis eā religionem profiteatur, Christianorum continuis cohortationibus inductus in fraudem, prodiret in medium. Cum ecce tibi silentibus ceteris ille Laurentij præda, nuper à Ioanne baptizatus, exilijt magistro suo palmā erepturus, Ego inquit sum Christianus, & huic legi parata supplicia nō reformido. quæ cū diceret exēplo vincitur, & cū quatuor alijs ad lętitię cumulū Laurentio substitutus eadē capitis pœna damnatur. Cui° quia nomē ignoram°, antiquitatis exemplo in casu

In quinque Christianos mortis sententia.

casu non absimili Adauctum appellemus. Pronunciatur deinde sententia in hunc sensum fidelissimè descripta: Viri isti quinq; quia legem Patrum (ethnici sæpe ita Christi legem appellant) profitentur, & quia vt illam abdicent adduci non possunt capite plectuntur die 23. Luna septima. qui est septima Septembris. Ea deinde sententia de more cubitalibus expressa literis præferebatur, & in loco supplicij, prout prius narratum est, infixa sude legenda exponebatur.

Antequam è custodia educerentur, Ioannes ad socios aptam habuit cohortationem, è qua tot lætitiæ signis alacres è vinculis eruperunt, ac si iam è corporis ergastulo educti coronam ipsam acciperent. In strigosos quoque vt socij equos impositi in oculis clarissimæ ciuitatis raptabantur; quam diu per vicos iter fuit Ioannes more suo perorabat, ceteri Deum exorabant. Verum extra muros sibi vacaturus obmutuit. Sed Paulus orationem suscipiens ardore suo incendens concionem suam silentio approbantem continuat. Inter quæ venitur in stadium intra quod breui curriculo meta conspecta cursores prouocabat. Non longa fuit mora, quibus mors erat in votis. Genibus nixi cum prius oculos in cœlum simul omnes aliquamdiu defixissent, modesta paulò pòst ceruicem inflexione, sicas euocarunt, quarum beneficio trunca corpora felices animas in cœlum præmiserunt. Eorum deinde fœda laceratio neophytorum pietate coaluit, vt potuit, donec è suo quemque tumulo in alteram vitam dies extrema reuocabit.

Quinque capite plectuntur.

Eodem supplicio plexus est post gloriosos Christi martyres infamis latro, quem consulto comitem addiderant, ad ignominiam augendam crimenque pertinaciæ latrocinio comparandum. Sed cœci non aduertebant quanta gloria magistri sui æmulatores afficerent, quem constat inter latrones medium idem cum illis crucis supplicium non exhorruisse. Omnium capita dies multos præfixa spectabantur.

Subiungitur ad ignominiam infamis latro.

Sed neque Pater ipse nobis est omittendus, tenebatur ille adhibitis custodibus, vt diximus, in Ioachimi domo, & mortem in horas accurata comparatione præstolabatur. Sed cum de eo apud Principem sermo incidisset, isque illum pari supplicio inuolueret, è Se-

Pater exilio damnatur.

è Senatoribus nescio quis, indignum putauit, vt ira Principis in terræ vermiculum (ita per contemptum appellabat) aduenamque sæuiret, satis videri si tota Iaponia eiectus aërem patrium tanta labe purgaret. Postmodum igitur in exilium mittitur.

Et quoniam de Patre hoc agimus, cui martyrij palma è manibus lapsa est, propè cum teneretur, nihil dubito, quin multis qui hæc aliáque legerint mirum videbitur, vnde nascatur, quod Iaponijs in suos ita sæuientibus, externis fere parcatur, & cuipiam in mentem venire possit Europæos nostros sacerdotes plus æquo cautos subterfugere ac periculis sese subducere, quod esset gregem suum prodere, & teneris in fide tironibus offensionem dare. Hunc ergo scrupulum quorundam animis puto eximendum. Primùm id suaui Dei prouidentiæ referendum puto, ne in ea locorum distantia tantopere necessarius operariorum numerus imminuatur, quem in finem suum hanc gentem ita disponit vt ab externis sese abstineat mactandis, hoc solo contenta si suis eos terminis extermінet; aiunt enim, sacerdotes illi officio suo funguntur, cuius caussa à suis superioribus missi huc nauigarunt, quod in illis culpâ caret; hoc in nostris crimen est, quod externa patrijs anteponant. Putant etiam non inurbanum, sed etiam inhumanum in externos, quos prius exceperis, deinde sæuire. Sed nihil æque violentas illorum manus ab externis continuit, quam ea quæ ex proprijs commodis ratio petitur, quæ fere solet apud omnes nationes plus habere momenti, quam iustitiæ pondus aut species honestatis. Indigent Iaponenses rerum Sinensium copia, sed nulla re magis vt bysso, commercium cum Sinis omne Iaponum metus & horror interdixit. Sinæ Lusitanos solos ex omnibus populis ad commercium admiserunt, ita Deo permittente vt esset ex hoc commercio ianua qua sese Euangelij lux inferret. arbitrantur igitur Iapones se, si fuerint in externos immaniores, Lusitanorum commercio carituros, cuius amittendi metus ab Imperatore licet inuito aliquam extorquet lenitatem.

Cur Iapones in suos, non in sacerdotes Europæos sæuiant.

Et tamen non ita se subducunt periculis mortémque subterfugiunt, quin hoc ipso tempore, quo tyrannicus furor exarsit, ex centum ac decem & septem, quos nostra Societas numerabat, triginta

Triginta è Societate in Iaponia occulti manent.

ginta sese occultarint,& totâ Iaponiâ vagi remChristianã hodiéque clã procurent. Et quod de nostraSocietate idẽ de ceteris religiosorũ familijs intelligo, quæ pro ea quam illic habebant operariorũ paucitate, aliquos etiam intra tormentorum ictum,nõ sine discrimine reliquerunt; ac si proscripti, vt postea narrabitur, pleriq; cesserunt, hoc exemplo maiorum faciunt,Christóque hortatore, non tam vt vitæ consulant,cuius toties prodigi per tot æquorum pericula satis intelligunt vilitatem, sed ne sua contumacia Principum iras augeant,quin potius mitigent, dum eorum se præ se ferunt decreta venerari. Nam etsi proscripti abeunt, hoc faciunt annis deinde sequentibus etiam redituri,& ad speciem debiliorem quemque seniorémque dimittunt, iuniores ac robustiores retinent ad diei pondus æstúsque sustinendum. Et sane hoc ipso maiorem laudem mereri mihi videntur neophyti Iaponenses, qui sine magistrorum suorum exemplo tam atrocia subeunt in Christiano agone certamina, quorum fortasse aliquando participes eos faciet, qui ea quæsituri orbem enauigant, ille ille qui temporum vel momenta, quæ nostrum non est nosse, in sua posuit potestate.

IGNIS SVPPLICIVM AD TERRENDOS Arimæ Neophytos hortatore Safioie designatur.

CAPVT XIII.

NVnc ex Yendo redeamus Arimam,atque ibi exhauriamus omnia quæ intra huius anni curriculum contigere.

Sacrificuli contumelia, quæ pellicem incenderat effecit, vt non diuturna esset quies; nam intra menses aliquot, noua in neophytos hortatrice Fime, sed inuentore Safioie, faba cuditur, qui cùm non rarò negotiorum causa regiam vrbem repeteret, sub mensem Octobrem Arimensi dynastæ scripsit in hanc sententiã: Nuperrimis se literis accepisse ab Regia, ipsum ab æmulis recens delatum, quod remissiùs peregrina sacra persecutus ea in suis finibus foueret, nec satis cordatè ad patrios Deos redijsse videretur: ex ea re mutato Imperatoris animo agi cœptum, vt alio amandaretur, vbi nihil in Christianos esset negotij, quod eum ineptum ad exterminandos finibus

Arimensis dynasta, nouis artibus ab Safioie implicatur.

nibus

nibus suis barbaros ritus vel ob animi remissionem, vel in proprios clientes indulgentiam iudicarent. videri sibi res eius in extremo discrimine nutare, satisque scire se ab Imperatore cum in regiam venisset excutiendum, vt quis Arimensium rerum status sit intelligatur, facile videri periculosum sibi esse à vero tantillum deflectere, cupere se vt quamprimum apud se statuat quid hoc rerum statu iudicet expedire; se pro amicitia & aulicorum negotiorum tractatione noluisse, quin eum periculi sui admoneret. His literis adolescentis animus quotidianis fraudibus magis magisq; consternatus expauit, metúmque suum cum pellice sua Imperatoris pronepte, à qua fauorem sperare sibi posse videbatur, communicans, grauius semper ac grauius ludebatur. Illa enim cautè dissimulans quam in hac fraude doli mali partem haberet, cum ex composito inter ipsam & Safioie tota res ageretur, rei nouitate velut attonita in hunc fere modum succlamauit: Ecce quod sæpe non vana vates præsensi ac prædixi; atque vtinam te ipsum solum perderes, neque me tecum communi ruina inuolueres. Sane cum me tibi auus meus Imperator despondit, omnia mihi fortunata optare, multa dare sibi videbatur, exilium inueni, ludibria patior, barbaros ritus exhorreo. Age age tandem virum te præbe, nec vltra remissionis animi notam tibi obijci feras. non audisti, vt superioribus mensibus in regia sua Imperij hæres leui satis ex causa sæuierit, prout ipse Safioie in sua lætatur epistola? quid adhuc fecisti, quod Christianos terreret? nihilne tibi præter ferrum furor iustus in manus dabit? excurre si me audis Nangasaquium, præfectum audi, amicum nostrum & aulicis in negotijs propè educatum; quod eo auctore feceris, illius erit Imperatori probare, quem si ex animo fautorem habueris, næ tu æmulorum omnium obtrectationes eludes? Ita Fime Christi gregem malis artibus muliebriter insecuta.

A Fime pellice contra neophytos inflammatur.

Quid hic ageret Arimensis dynasta, amore & metu gemino telo impetitus, accurrit ad genium malum, cui sua omnia sicut ouem lupo commiserat. Safioie cū adolescente suas artes explicans, nunc illius vicem dolet, nunc obtrectatores, quos ipse comentus fuerat, incusat, nunc periculi magnitudinem exaggerat, vt eo facilius ad ea quæ intenderat imprudens pertrahatur, odio nempe in Christianos

plusquam capitali ad suas rationes abuti. Tandem post varia consilia inter vtrumque ita conuenitur. Redeat Arimam dynasta, optimatum suorum selectissimas familias expugnato capite sibi adiungat, artibus omnibus, machinisque in suam sententiam pertrahat, tametsi ad speciem simulatè, si non impetrat, viui omnes cum tota familia lento igne torreantur. Atrocitas supplicij, siquid vnquam, eos è sententia sua deturbabit: sin, ceteros terrebit, aut denique si nihil aliud, remissionis eum nota liberabit, obtrectatoresque ipsos silentio suo damnatos ad rerum suarum incrementa adhibebit. Nihil aptius visum est, ac tametsi ægre sibi clientes eos eriperet, iudicauit tamen in paucorum iactura totius prouinciæ suæ salutem reponendam.

Crudelia Safioiæ consilia.

Extemplo igitur Arimam repetens suis magistratibus mandat, vt euocatos ad se quos nominabat optimates octo, omni ope atque opera ad defectionem lacessant. Dictum factum, precibus, præmijs, minis, ita certatum ac si defectio illorum Arimensis Reipublicæ esset incolumitas; sed fortissimos eatenus Christi pugiles non incrementa fortunarum, non heriles preces incendio licet armatæ de mentis suæ firmitate deturbarunt; itaque rem per alios desperatam dynasta ipse in se suscepit. Singulis ad se accersitis primum præfecti Nangasaquiensis ad se literas ostendit, aperit quo in discrimine Christianorum pertinaciâ res Arimensis tota versetur, se iam per tot ætates auita hæreditate pelli, clientes suos in externi principis dominium venire, idque solum ea ex causa, quod peregrina sacra patrijs immoderato religionis studio præferantur; scire se quid sit esse Christianum, non esse cur tantopere à simulata non longi temporis defectione abhorreant, cum in ipsa religionis sanctitate breui malo (si malum vocari potest id quo publica quies procuratur) certissimam habeant medicinam. Petrum ipsum Christi vicarium grauioris delicti veniam inuenisse. Se alia nulla de causa tempori cedere, melioribus annis postea cuncta instauraturum, petere se etiam atque etiam, ne se, ne suos, ne herum suum, ne patriam vniuersam perditum eant, sed in hac vnare sibi hoc tempore in posterum non immemori obsequantur. Quæ cum diceret lachrymis verba interrumpens, tantum potuit, vt ex octo Christi athletis quin-

Optimates Arimenses octo ad defectionem sollicitantur.

quinq; defecerint, & initiante sacrificulo patrijs dijs redditi, Christum ficte quidem sed turpiter tamen eiurarint; reliqui tres etsi sociorum lapsum extremo doloris sensu prosecuti, ex eo tamen apostoli consilio, Qui stat videat ne cadat, facti firmiores seipsos ita confirmarunt, vt æquè delusi adolescentis lachrymas vt antè preces, præmia, minásque repulerint. *Quinque facte Christum eiurant. Tres sibi constant.*

Tyrannus prælio victor, supra spem & prope supra vota, non solum victoriæ lætitiam non aliqua humanitate cohonestauit, sed insolentior factus, tametsi designato numero quinque deiecerat, voluit tamen octonarium numerum illum, si Ambrosio credimus, mysticum reseruare, in quo spei nostræ perfectio, summáque virtutum exhiberi perhibetur: nam tametsi atrox incendij sententia decem complexa est, octo tamen duntaxat arserunt. Adrianus cum Ioanna coniuge, Leo cum Martha vxore ac prolibus Iacobo atque Magdalena, Leo alter cum filio Paulo, nam illius vxor Monica cum filia propinquorum fauore eodem incendio damnatæ pœnam euaserunt. Pronunciata igitur in prædictos atrocis supplicij sententia, omnes in priuatas ciuis Arimensis ædes adhibitis custodibus recluduntur. Quo ex numero cum se Monica sentiret excludi, nihil est quod ipsa per se, per maritum, per sodalitiorum præfectos reliquit intactum; diceres illam pro vita seruanda, non pro impetranda morte solicitam. sed nihil impetrauit. Dynastæ patruus Monicæ collactaneus vitam impetrarat. Inuita igitur & reclamans à Martyrum consortio separatur, & in alijs ædibus arctius custoditur mortem quæsitura, quam damnati solent supplicium detrectantes. Incensa tamen vota quis contineat? elabitur delusis custodibus, vt ad ceteros adiuncta veram in vinculis haberet libertatem. Extracta tamen per vim cogitur viuere quæ optabat mori. Quis non in hac ætate nostra nascentis Ecclesiæ primos illos ignes aduertit, à quibus nec ardore nec frequentia Iaponia se patitur superari! *Tres illi cum vxoribus & liberis ad ignem damnantur. Vxor vna exclusa quidlibet tentat vt adiungatur.*

LAPSI QVATVOR SERIO RESIpiscunt.

CAPVT XIV.

VBi Nangasaquij primis rumoribus increbuit octo familiarum capita florem optimatum ad defectionem aut ad incendium

plusquam capitali ad suas rationes abuti. Tandem post varia consilia inter vtrumque ita conuenitur. Redeat Arimam dynasta, optimatum suorum selectissimas familias expugnato capite sibi adiungat, artibus omnibus, machinisque in suam sententiam pertrahat, tametsi ad speciem simulatè, si non impetrat, viui omnes cum tota familia lento igne torreantur. Atrocitas supplicij, siquid vnquam, eos è sententia sua deturbabit: sin, ceteros terrebit, aut denique si nihil aliud, remissionis eum nota liberabit, obtrectatoresque ipsos silentio suo damnatos ad rerum suarum incrementa adhibebit. Nihil aptius visum est, ac tametsi ægre sibi clientes eos eriperet, iudicauit tamen in paucorum iactura totius prouinciæ suæ salutem reponendam.

Crudelia Safioie consilia.

Optimates Arimenses octo ad defectionem sollicitantur.

Extemplo igitur Arimam repetens suis magistratibus mandat, vt euocatos ad se quos nominabat optimates octo, omni ope atque opera ad defectionem lacessant. Dictum factum, precibus, præmijs, minis, ita certatum ac si defectio illorum Arimensis Reipublicæ esset incolumitas; sed fortissimos eatenus Christi pugiles non incrementa fortunarum, non heriles preces incendio licet armatæ de mentis suæ firmitate deturbarunt; itaque rem per alios desperatam dynasta ipse in se suscepit. Singulis ad se accersitis primum præfecti Nangasaquiensis ad se literas ostendit, aperit quo in discrimine Christianorum pertinaciâ res Arimensis tota versetur, se iam per tot ætates auita hæreditate pelli, clientes suos in externi principis dominium venire, idque solum ea ex causa, quod peregrina sacra patrijs immoderato religionis studio præferantur; scire se quid sit esse Christianum, non esse cur tantopere à simulata non longi temporis defectione abhorreant, cum in ipsa religionis sanctitate breui malo (si malum vocari potest id quo publica quies procuratur) certissimam habeant medicinam. Petrum ipsum Christi vicarium grauioris delicti veniam inuenisse. Se alia nulla de causa tempori cedere, melioribus annis postea cuncta instauraturum, petere se etiam atque etiam, ne se, ne suos, ne herum suum, ne patriam vniuersam perditum eant, sed in hac vna re sibi hoc tempore in posterum non immemori obsequantur. Quæ cum diceret lachrymis verba interrumpens, tantum potuit, vt ex octo Christi athletis quin-

quinq; defecerint, & initiante sacrificulo patrijs dijs redditi, Christum fictè quidem sed turpiter tamen eiurarint; reliqui tres etsi sociorum lapsum extremo doloris sensu prosecuti, ex eo tamen apostoli consilio, Qui stat videat ne cadat, facti firmiores seipsos ita confirmarunt, vt æquè delusi adolescentis lachrymas vt antè preces, præmia, minásque repulerint. *Quinque fictè Christum eiurant. Tres sibi constant.*

Tyrannus prælio victor, supra spem & prope supra vota, non solum victoriæ lætitiam non aliqua humanitate cohonestauit, sed insolentior factus, tametsi designato numero quinque deiecerat, voluit tamen octonarium numerum illum, si Ambrosio credimus, mysticum reseruare, in quo spei nostræ perfectio, summáque virtutum exhiberi perhibetur: nam tametsi atrox incendij sententia decem complexa est, octo tamen duntaxat arserunt. Adrianus cum Ioanna coniuge, Leo cum Martha vxore ac prolibus Iacobo atque Magdalena, Leo alter cum filio Paulo, nam illius vxor Monica cum filia propinquorum fauore eodem incendio damnatæ pœnam euaserunt. Pronunciata igitur in prædictos atrocis supplicij sententia, omnes in priuatas ciuis Arimensis ædes adhibitis custodibus recluduntur. Quo ex numero cum se Monica sentiret excludi, nihil est quod ipsa per se, per maritum, per sodalitiorum præfectos reliquit intactum; diceres illam pro vita seruanda, non pro impetranda morte solicitam. sed nihil impetrauit. Dynastæ patruus Monicæ collactaneus vitam impetrarat. Inuita igitur & reclamans à Martyrum consortio separatur, & in alijs ædibus arctius custoditur mortem quæsitura, quam damnati solent supplicium detrectantes. Incensa tamen vota quis contineat? elabitur delusis custodibus, vt ad ceteros adiuncta veram in vinculis haberet libertatem. Extracta tamen per vim cogitur viuere quæ optabat mori. Quis non in hac ætate nostra nascentis Ecclesiæ primos illos ignes aduertit, à quibus nec ardore nec frequentia Iaponia se patitur superari! *Tres illi cum vxoribus & liberis ad ignem damnantur. Vxor vna exclusa quidlibet tentat vt adiungatur.*

LAPSI QVATVOR SERIO RESIPISCUNT.

CAPVT XIV.

VBi Nangasaquij primis rumoribus increbuit octo familiarum capita florem optimatum ad defectionem aut ad incendium

rapi, qui Socijs præerat præter eum, qui rem Christianā clam Arimæ procurabat, alium misit sacerdotem, qui grauiter periclitantes neophytos ad inusitata certamina diuinis auxilijs consilijsque confirmaret. Is vbi aduenit lapsos illos quinque deploraturus potius quam confirmaturus sibi venisse videbatur, opportunus tamen reliquis aduenit interim dum lapsi quatuor serio resipiscunt, id vt acciderit, vt spectatum satis fuit ad illius Ecclesiæ mœrorem detergendum, ita narratum satis erit vt plures etiam in nobis affectus excitet admiratione defixis, cum viderimus ea nostra ætate contingere, quæ si olim accidisse legebamus, ipsam antiquitatis venerationem in fidei auxilium vocabamus.

Vbi de pronunciata sententia constitit, ipsique damnati recludi iussi sunt, per dispositos nuncios Sodalitiorum præfecti neophytos omnes de futuro Arimæ spectaculo intra dies paucos monuerunt. mirabile videri potest quod subijciam. Ex Arimensi agro toto omnis gradus, ætas, sexus tanto numero concurrit, vt ad viginti millia excreuerit multitudo; à quibus omnibus contra receptum Iaponiæ morem, nihil armorum, ne sica quidem aut pugio gestabatur, ne repugnare militariter sed Christianè pugnaturi venisse ad patiendum viderentur. Precatorios globulos è collo conspicuos fidei suæ testes ostentabant. Hi omnes non concurrere solum, sed tanta festinatione accurrere, vt nemo de commeatu conferendo cogitarit, vel obliuione corporis in diuina rapti, vel quod morituri sibi omnes viderentur, curámque superfluam ducerent vitæ quam expposituri veniebant sustinendæ. Arimensium tamen neophytorum per sodalitiorum præfectos distributa solicitudo illorum suppleuit incurantiam. Lætum spectaculum Deo, Angelis & hominibus, in latissimo campo sub arcem in oculis tyranni triduum totum neophyti, præter Arimenses, ad viginti millia martyrij candidati, aut potius iam in animo purpurati, ad martyrium spectandum, & si res ferret expectandum aduolarant. Tota vrbe, campoque toto publicæ lætitiæ signa, qualia vix vnquam in altæ pacis celebritatibus, edebantur. Interdiu Arimenses Neophyti suos hospites modestis epulis excipiebant; nocturnæ tenebræ, dispositis concinnè lucernulis, excitatis ignibus pellebantur, diceres illos

Conueniunt ad martyriū ex agro Arimensi ad viginti millia.

Arimæ publica inter neophytos lætitia signa.

los sibi quemque suam pyram ad instar martyrum excitare, tyrannúmque prouocare, vt quo omnes ardebant incendio concremaret: Quæ omnia cum impotentius ferret dynasta, edici iussit nisi secederent, se omnes immissis sclopetarijs confecturum; sed illi tum demum exultare: nec inuentus est vel vnus è tanto numero, quem sclopetorum metus eiecerit, quin potius in globum acti, ne glans vlla temere periret, substiterant. Inter quæ tantus sacrificuli fuit metus, vt in arcem se receperit, sed eius discipulus parum tutum in arce refugium ratus Nangasaquium aufugit, inclamatóque Safioie apud Arimenses omnia turbari, magistrum suum mactari euulgabat. Initio turbatus præfectus verebatur, ne facti, si minus è sententia succederet, apud Imperatorem inuidiam sustineret, sed breui constitit concurrentium neophytorum ardorem ex ipso martyrum incendio concipi, quo ipsi omnes ardere mallent, quam destinatas victimas aris eripere.

Hæc tam insolens neophytorũ exultatio, concursus, applausúsq; postquam Ethnicos ipsos stupore defixerant, in lapsos ipsos (quod vnum ad comunis gratulationis cumulum deerat) exundauit. Ex ijs quatuor se ipsos inspexerunt, inspectósq; horruerunt, ex horrore pudor, lachrymæ cæteraq; pœnitentis animi signa eruperunt. Constabat lapsis ipsis ad eorũ solatium atq; remedium Nangasaquio nostros accurrisse. Diu conquisiti cùm in tanta multitudine nõ facile reperirentur, non comparebant. Nec illi vltra pœnitudinem differentes, in medios neophytorum cuneos irrumpunt, crimen suum incusant, offensionem deprecantur, lacrymantur, omnium genibus aduoluuntur, Sacerdotem inclamant, auxiliúmq; deposcunt. Inde ad magistratus excurrunt, palinodiam recantant, suarum fortunarum iuri cedunt, suppellectilis seriem scripto tradunt, petunt vt cum ceteris recludantur, eandem fortunam in pari causa subituri. Obmutescebant stupore defixi magistratus, dicebant in sua potestate non esse, de illorum fortunis ac vita statuere. Nihil agunt illi recusando, nam ad socios delati, crimen suum fatentur, & suum in vinculis locum deposcunt, vrgent custodes, vim inferunt, & tamen aliud nihil extorquent, quam vt in vicinis ædibus tenerentur, donec de illis quid statuerit dynasta pronunciet. Ex hoc ipso carcere literas ad sacrificulum destinant, quibus literis eiurationem suam

Lapsi quatuor serio resipiscunt.

suam eiurantes, defectionémque damnantes, se Christianos esse ac semper fore protestantur, ac rogant vt apud dynastam, ne parato supplicio excludantur, agat. Inter quæ non facile explices quantum omnes exultarint, sed maximè tres illi ad rogum damnati, qui sociorum lapsum plus quam incendium suum exhorruerant, iam læti mortem præstolabantur, postquam eos, qui perierant, viderunt ad vitam reuocatos. Quis neget, in cælis inter cælites gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente, cum inter mortales ipsos vniuersam hanc multitudinem gestientem gratulantémque nos ipsi tanto locorum interuallo disiuncti, sed in eodem parentis Ecclesiæ sinu gratulemur? Et ipsi quidem voluntario carcere detenti spe sua sed non præmio exciderunt. Nam venit à dynasta nuncius minus quidem ille laureatus, quod vitam nunciaret; iubet eos secedere sibique restitui, de illorum vita nihil nunc quidem statuere, paratos fore si euocentur. Acriter pupugit alia sperantes insperata humanitas. Sed parendum fuit, quamquam non sine lacrymis, suorúmque criminum detestatione, in quorum pœnam laureâ quam reiecerant, priuabantur. Verum sponte susceptam quatenus licet Christianè mortem exuta sibi ciuiliter vita interdixerunt. Resecta quippe publicè cæsarie, census quos à dynasta colligebant, reiecerunt, fortunásque suas exuti voluntariò exilio seipsos suósque mulctarunt.

Martyrio nō impetrato sponte exulant.

OCTO



OCTO CHRISTI VICTIMÆ VIVÆ CONCREMANTVR.

OCTO CHRISTI VICTIMÆ IN FIDEI causa viua concremantur.

CAPVT XV.

FAuete linguis, sacrificia non prius audita, non prius visa Iaponijs, Ecclesiæ toti aggredior enarrare. Insolens neophytorum ex vniuersa Arimensi terra concursus initio suspensum tenuit cum suis dynastam. nam tametsi discincti omnes inermésque venissent, tanta tamen multitudo obuijs saxis armata damnatos supplicio facile rapuisset, & populariter accensum vulgus in publica omnia nullo negocio inuolasset. Ergo de ijs intra priuatas ædes concremandis agi cœptum. nec latuit ea res multitudinem, cuius repentino concursu cinguntur ædes illę, ne quo modo sacris martyrum exuuijs priuarentur; priuatum quippe supplicium eò dirigi, non ad tumultum vitandum, de quo ne somniabant quidem, cogitarunt. Hic ministris accreuit metus, quem Sodalitiorum præfecti magistratibus supplices facti sedauerunt. Rogant enim omnium nomine, ne huius spectaculi nouitate, cuius causa concurrerant, priuarentur; liceat sibi suos ad supplicium Christiano ritu comitari, iuuare, sepelire; spondere se omnium nomine pacata omnia futura, nec dynastæ mandatum ab ijs interturbandum, qui eodem damnari gestirent. Et si quidem vim pararent, in sua esse manu, potuisse arma accingere, & primo impetu reos rapere, nec vllius imperio potuisse multitudinem contineri, si quidem furere voluisset. Sed hæc à Christianis legibus aliena de ijs credi non posse, qui mori malint, quam legum suarum sanctitatem violare.

Præfecti sodalitiorum metum tumultus magistratibus eximunt.

Hac Præfectorum oratione sedati magistratus auctores dynastæ fuerunt, vt palam exequeretur, quod mandarat; id ad Imperatori satisfaciendum aptius, si non ad deterrendos Christianos accommodatius. Ergo intra primum ab oppido lapidem in latissima planicie lignea domus, aut templum potius ad exurendas victimas extruitur columnis octo incumbens, cuius tectum stramine, arundine, lignísque ad concipiendum ignem accommodatis insternitur. Circum ædem ipsam crassiora repagula arcendæ multitudini altè defi-

Locus supplicij apparatur.

designuntur, spacium quod est à repagulis ad columnas, ignium pabulo completur, vt inde sensim adrepens ignis ad columnas alligatos lento igne torreret, donec in tectum euadens flammis omnia simul inuolueret; hæc extra vrbem spectantibus, gestientibúsque neophytis parabantur.

Intra vrbem monentur victimæ, aram parari, sacrificium instrui, holocausti horam aduenisse, (inciderat in feriam secundam Octobris die septimo anni 1613.) Ad eam vocem exultant fortissimi, pugiles & in genua prouoluti vno omnes ore Deo sibiq; proximá sortem gratulantur Non defuit illis in hoc agone nostrorum sacerdotum auxilium, quorum opera, cum peccata expiassent, seque sacro ad hoc iter viatico, paulò antè quàm in vltimam custodiam traderentur, confirmassent, admirabiliter exarserunt. Nec minus Patres nostri eos in vltimo agone comitari gestiebant. Visum tamen est ipsismet Christianis, nullo modo expedire, vt nuper eiecti in publico ceterorum comitatu nostri palam comparerent, ne simili subsidio, si res ferret, eiectis iterũ & arctius custoditis nostris, alij priuarentur. Sodalitiorum ergo præfectis, quorum omniũ princeps Gaspar vocabatur, tota res à nostris designata commendatur.

Martyres futuri à sacerdotibus nostris ad agonem armantur.

Vix putem aliud vllum per omnia retro secula gratius in re præsenti spectaculum legi, & vix aliàs vnquam victricem Ecclesiam in simili fidei certamine speciosius triumphasse. nam tametsi fremerent Ethnici, tyrannúsque rumperetur; multitudinis tamen circumfusæ metus vim omnem cohibebat. Euocata igitur ad spectaculum multitudo à præfectis in sua sodalitia diuiditur. Seni incedebant, incensos cereos, vel serta precatoria manu gestabant, supra viginti Christianorum millia latissimam, ac lætissimam supplicantium pompam explicabant, præibant plerique, ceteri sequebantur; in medium agmen egregiæ victimæ, inter duos sodalitiorum præfectos incedebant, Viri candidam sodalitij super induti, reuinctis post terga manibus gradiebantur. Vnus Iacobus annorũ vndecim ligari nõ potuit, vt maximè voluerit, negãtibus ministris se pro puero funes attulisse. Mulieres mundũ omnẽ ad diẽ solemnitatis & lętitię cõtulerant, ligatę quoq; procedebãt. Si quis perturbato pompę ordine forte propius accessisset, gratulabundus acclamabat, si quid

Supra viginti Christianorum millia supplicantium ritu Martyres ad supplicij locum comitantur.

de vestibus poterat, sibi rapiebat. Sed mox futuri martyres honorem deprecati preces omnium postulabant, tanto se nomine indignos inclamantes: Iacobus maximè qui cum à nescio quo martyr fuisset appellatus ita respondit, Expecta sodes præproperè festinus, video coronam, nondum teneo. E neophytis nescio quis Iacobum cum in humeros tollere pararet ita respondit, Permitte me peditem certare, ducem nostrum sequimur, ille non equo, non sellà montem conscendit, sed cruce sua onustus; satis tibi sit quod cruce careo, labori nunc indulgendum, æternitas nobis longam ac securam quietem parat. Nemo est, cui non ea vox lacrymas ciuerit, nec tamen Iacobus baiulum suum exorauit. Vi abreptum in humeros inijcit, & Christophorus alter videri voluit, dum ad supplicij locum veniretur.

Iacobus puer alterius humeris effertur.

Ibat igitur alacris & ad lætitiæ cumulum non muta multitudo velut castrorum acies ordinata. Itinere toto Deiparam Diuósque omnes ex ordine, sollemni Christianorum ritu & carmine inuocantes, alternísque inuicem sibi grato concentu respondentes, ad diuos singulos, vt pro eis orarent, exorabant. Inter quæ venitur ad torrentem (quis impedit quin Cedron appelletur) vltra quem ædes ad sacrificium, vel ara potius iam in conspectu posita visebatur, quem nauigio transmittentes dicere poterant cum Psalmista, Transibimus per aquam & ignem vt educamur in refrigerium. Ceteri vado viam quærentes transuadarunt.

Christiani litanias decantant.

Iacobus puer in eo itinere cum nonnullos lachrymantes aduertisset, exclamauit, Lachrymas tenete, lachrymas tenete, alacres incedite, prout me videtis exultantem. Quæ cùm diceret vehementius, plorantes incitabat vel commiseratione vel gaudio, cui sunt etiam suæ lachrymæ, incitatos.

Venitur interea eodem semper ordine & pompa ad sacrificij locum, cuius apparatus quamlibet victimam solo aspectu terruisset. Sed nihil eo perturbati vbi columnas inspexerunt, singuli suam amplexati, si non ijsdem verbis, non absimili tamen animi sensu quo suam Crucem Andreas, salutarunt. Interim circumfusæ multitudinis gratulationes, applausus, acclamationes bene ominatis verbis sacrificium prosequebantur. Et dum singuli promptis animis

Singuli columnas amplexati alligantur.

nis hilaríque vultu vincula induunt ad palos alligati, Leonum alter (Cayemon vernaculo nomine dicebatur) in tectum euadens indicto silentio rugijt in hæc verba, quæ velut sacra temerarem, si hoc tempore, hoc habitu, hoc impetu dicta inferioris eloquentiæ fuco inducta producerem. Hinc scitote, fratres mei qualis sit fides Iesu Christi Crucifixi, quam Arimenses Christiani profitemur, cùm eius causa tanta animi promptitudine moriamur: Morimur enim pro Dei gloria, & quia nusquam extra Iesu Christi Domini nostri fidem salutem esse profitemur, nihil dubitamus quin corpora nostra in die iudicij nunquam postea moritura in meliorem vitam reuocentur, quo tempore damnabuntur, qui sanctam eius legem persequuntur. quod patimur breue est, quod illi patientur, æternum. Aberrant à recto salutis tramite, qui sanctam Dei legem respuunt, in qua omnis veritas continetur. Fortunati sibi videantur, qui nos cum pari moriendi desiderio comitantur, ex hoc enim desiderio mors æque felix illos manet. Valedicturus hoc vnum vos obtestor, vt legem Dei sanctam conseruetis, eam à cordibus vestris nunquam separetis, illam defendite semper, nihil vitam, nihil fortunas æstimantes. Este nobis testes coram Deo & hominibus, quod illius vnius causa morimur. Hæc dicentem & plura, secundus suæ concionis applausus, lachrymæ, acclamationes interpellarunt, & cum intelligi iam vltra non posset, ad columnam suam reuersus, sua gaudia gloriámque prælibans tenerrimè amplexatur, & ad eam alligatus circularis sacrificij peripheriam octauus impleuit.

Leonis ad multitudinem oratio.

Tum Gaspar supremum sodalitiorum Arimensium caput, vt erat à nostris instructus, sacram Christi Seruatoris cùm ad columnam alligatus flagellabatur effigiem explicans hastili erexit, in hæc verba exclamans, Ecce quem aptius quam alias vnquam hoc habitu ad columnas alligati refertis, Ille ille, cuius causa mortem expectatis, viuit & regnat in cœlo; Ille vos certantes intuetur, fidem in se vestram coronaturus. Durate, & vosmet rebus seruate futuris, ille vos ad gloriæ ianuam, cuius est omnis gloria præstolatur. Quæ vbi dixisset simul ex omni parte incendium excitatur, cuius vim sanctissimæ victimæ dum ad se pertingeret votis suis præuenientes prouocabant, séque maioribus intus flammis inflammabant; quorum.

Incendium excitatur.

rum vota circumstans fidelium multitudo suis prosecuta in genua prouoluitur, plerique symbolum Apostolorum fidei nostræ summarium pro fide certantibus præcinebant, alij orationem dominicam pronunciabant, alij virginis ab Angelo salutatæ carmine opem implorabant, alij cùm propius iam vrgeret incendium pectora tundentes, magnis vocibus lamentabili eiulatu permixtis Dei misericordiam sæpius iteratis vocibus inclamabant. Spectate mecum qui hæc legitis, & quod verbis deest, cogitatione supplete. Spectabat cœlum vniuersum, spectabat innumera multitudo, victimæ nostræ suos ignes intrepidi, socios gratulabundi, neophytos reliquos modesti spectabant. Quid habuit à multis seculis Ecclesia illustrius? In extremo orbe gens nuper sine Numine, fidei suæ tirocinium his ipsis ignibus illustrauit.

Leo Suqueyemon Iesum ac Mariam mirabiliter inclamans expirat.

Sed interim dum spectamus ignis, qui iam diu sua propinquitate lentè torrebat, victimas nostras incendit. Leo ille noster orator, ex quo vincula induit, oculos cœlo fixerat, vt eos nullo momento auocarit. Videre videbatur eos, à quibus inde spectabatur & expectabatur ad coronam. Leo alter (Suqueyemon vernaculè) tanto impetu flammis vrgentibus spiritum explosit, vt inclamans sacra Iesu ac Mariæ nomina, rugisse potius quam locutus videatur, Christo ipsi morienti hac ipsa vocis contentione simillimus; satis constat eam vocem supra naturę sed maximè deficientis vires fuisse, ex eo quod inuito flammarum crepitantium fragore, inuito circumclamantis multitudinis murmure, nemo fuerit ethnicus aut Christianus, quem non ea vox distinctè perculerit, & vltra spectatorum coronam sese procul intulerit. Magdalena verò nostra virgo, non ætate solum sed & voto annis aliquot ante concepto, illustre facinus & ad posteritatis memoriam rarum inter medios ignes spectandum dedit: nam cum ignis sparteos funes adhuc spiranti soluisset, non refugit horrente natura, sed iam naturæ, sexus, ætatisque victrix ardentes prunas vtraque manu corripiens capiti suo venerabunda pro serto imposuit, & deinde pacatissimè succumbens cum se prius ipsa coronasset occubuit.

Magdalena seipsam prunis coronat.

Quid Iacobus Magdalenæ frater? inter maiores victimas agnus expirans, cum iisdem ignibus sua vincula dirupisset, per me-

dias

dias prunas flammásque matrem quæsitam amplexatus, cum ab ea hæc verba audisset, Fili mi cœlum intuere, fili mi; Iesum ac Mariam ter inuocans & in parentis sinum corpusculum reclinans suauissimè obdormiuit. Et ita tandem omnes exeuntem animam igne leuiores, vltrà eius sphæram, in cœlorum supremum inferentes, ex ipso incendio meliore sui parte auolarunt. Quis nunc neget aurea illa nascentis Ecclesiæ tempora, in hæc nostra tempora refluxisse, cum nihilo inferiora videamus ijs, quæ stupentes legebamus.

Sed nondum rerum admirabilium finis. Cùm enim spectatores neophyti aduertissent, hostias illas in odorem suauitatis expirasse, vltra se non continuerunt, quin, repugnantibus frustra ministris, in medios ignes inuolarent, sacras exuuias flammis erepturi. Et, licet ambustis vestibus, corporibúsque, ignium vestigia secum retulerint, nullum propè doloris sensum fuisse referebant, cùm intrepidè prunas, & stillantia cadauera extraherent: quod an ardentibus animis, corporáque negligentibus referri, an cœlesti prodigio debeat, iudicet qui legerit. mihi certè vtrumque prodigio simillimum videtur; nec minus admiror animorum ardore incendia minus sentiri, quàm ignibus ipsis vrendi vim minui, cedente natura. Sacra igitur pignora pro se quisque rapientes, tandem in id omnes conuenerunt, vt Nangasaquium in Societatis nostræ domicilia deponenda, deferrentur. Etiam ipsi post aliquot dies Conzurani, quos subducto Magdalenæ corpore rapinam in holocausto fecisse pœnituit, sacrum virginis cadauer ad cætera retulerunt. Cæterorum quæ incendio superfuerant nihil à tanta multitudine neglectum, ligna, columnæ, prunæ, cinis ipse collectus in hodiernam diem omnia neophytis sacra, vel monumentum victoriæ, vel virtutis incitamentum asseruantur. Denique composito iam nonnihil sedatóque tumultu, per otium omnia ad sacrorum canonum normam, Episcopo inquirente, discussa in publicas tabulas relata ad posteritatis fidem asseruantur. E quibus hæc ipsa prout narrata sunt, inde ad nos transmissa descripsi, ad eius gloriam, qui cum suis martyribus pugnat, vincit ac triumphat.

Neophyti in medios ignes inuolant.

Sacra corpora Nangasaquium deferuntur.

IN

IN ARIMENSI AGRO THOMAS IN odium fidei ferro mactatur.

CAPVT XVI.

POterat hac immanitate contentus dynasta tantisper à cęde quiescere, nisi furijs actus in dies nouis, nihil inausum relinquere statuisset, nihil intentatum, vt se vnde propediem ruiturus erat, ibi stabiliret. Virum quippe innocentissimæ vitæ maleuolorum calumnijs oppressum impulit ad ruinam, si ruina dici potest eius, qui ruit, vt resurgat. Erat nuper Arima proscriptorum in causa fidei refugium asylúmque tutissimum, in quod se referebant, qui alibi Christianè viuere prohibebantur. Id fecerat Thomas, Iaponensi nomine Cauacami appellatus, quo enim tempore ante annos nouem octóue in Fingensi regno Canzuye tyrannus neophytos exercebat, Thomas Arimam venerat Christianæ libertatis amore inuitatus; quod vt faceret exactius vna cum rescissa cæsarie curas sibi reliquas amputauit; qua viuendi ratione per annos aliquot ita se nostris sacerdotibus probauit, vt aptum iudicarint, cui vices suas in excolenda illius vineæ parte demandarent. Solent enim nostri sacerdotum penuriam hac arte sarcire, & locorum, quæ vni commissa sunt inter se distantiam hac rei Christianæ præfectorum nominatione supplere.

Thomas Cauacami in pago Vrique neophytis præerat.

In pago igitur Vrique Arimensis agri ædi sacræ præerat, illius ornatum nitoremque serio procurabat, neophytis exemplo præibat, ac sermone prouocabat ad ea omnia quæ Christianorum officiorum sanctitate continentur. Id vt semper fecerat accuratè, post exortæ tamen procellæ turbines studium laboremque geminabat, quibus officijs id consequebatur, vt plerique sibi constarent, & si qui ruerant, damnato lapsu fortiores assurgerent. quam rem cum ij, quibus exterminandæ fidei causa incumbebat vltra non ferrent, dynastam monuerunt, vnum Thomam apud Vriquenses instar omnium esse, illius auctoritatem ceteros vereri, nec eo viuo posse à neophytis quicquam è dynastæ voluntate extorqueri, eo sublato ceteros facilè defecturos, totámque illius Ecclesiæ molem subducta illa, cui innitebatur columna, facilè ruituram. De-

ſtruere omnia paranti facilè fuit annuere, quod gratum erat poſtulari.

Per ſuos itaque moderatores ſicarijs duobus mandat vt Thomam fidei Chriſtianæ propugnatorem extemplo conficiant. Feria ſexta ominato ad coronam die, matutinis horis ſicarij domum ingreſſi, Thomam inclamant. Dormiebat etiam tum ille, quod pridie longo ſermone apud neophytorum cœtum, de rebus, quæ homini ſunt extrema, in altam noctem peroraſſet, eo animi impetu & eloquentia, vt extrema ſibi omnia præſagire coniectares.

Inclamantium voce ſomnum expulit, cuius ictu primo dextera manus, quæ naturæ imperio, ſcuti munere functa erat, excutitur. Nec plura; iam quid ageretur aſſecutus, coram Chriſti è cruce pendentis effigie in genua prouolutus cancellatis in crucem brachijs vulnera excipit, Deo gratiam illam qua poterat voce gratulatus. Eum à tergo ſicarij certatim inuadunt, multiſque vulneribus lacerum egreſſi dimittunt. Sed cum ſpirantem adhuc ex orantis voce deprehendiſſent, altis denuo vulneribus luctantem animam eluctantur. Et vt regni moderatoribus fidem facerent cædis perpetratæ, exanimi alteram aurem amputant, eámque corporis partem, qua fides ex auditu in animum penetrarat, illi eripiunt, cui iam beata eorum, quæ audiendo crediderat, viſio fidem ſuſtulerat, & in melius commutarat.

Noctu à ſicarijs conficitur.

Erupit inter neophytos extemplo triſtis, an lætus, nuncius: accurrunt omnes, ſacrum corpus colligunt, venerantur, ac viri vitam ſortémque in morte collaudant, collecto ſanguine, ac diſtributis inter ſe veſtibus, quam de viri morte opinionem haberent, prodiderunt de quo nunquam dubitatum eſt nec dubitari potuit, in Chriſti cauſa vitam poſuiſſe. Sacræ mortalitatis exuuiæ à neophytis Nangaſaquium delatæ in Societatis æde, cui à Diuis nomen eſt, in ceterorum martyrum conſortio iacent, quorum, nihil eſt dubium, eum in æterna beatitudine, ſocietate gaudere. In cuius certamine ac triumpho Arimenſes interim reliquamus, dum ſe ad maiora parant, & quæ alibi ſparſa ſunt fidei certamina, vel virtutis exempla colligamus.

Sacrum corpus Nangaſaquium defertur.

Et quidem Arimenſibus Omurenſis Neophyti facinus egregium

Omurensis neophyti varia certamina.

gium vicinitatis iure coniungamus. Illum sacrificuli ethnicis alijs permixti rogant, vrgent vt à Christo deficiat, frustra omnia tentantur, æquè frustra intentantur, à minis ad manus venitur, verberibus, fame, siti omníque sæuiendi genere certatur, ex omnibus machinis vna victoriæ desperatio reportatur. Sed ab ipsa desperatione desperata consilia mutuati, intra stramineum mapale arsurum includunt. ipsa siccitas flammas vocabat, momentóque conflagraturus videbatur: vrgent vt Christum eiuret, sin, ignem ostentant, intra cuius pabulum tenebatur: quibus illa ex ara sua hostia, vt rebatur, ita respondit: vt vt vultis ita sit, nulla me res à Christi fide in qua vna est salus, auocabit; hoc ipsum quo me deterretis, ambio, supra vitam. Nec mora. sacrificulorum furor ad neophyti constantis petram collisus ignem dedit, ardet mapale, sed ardet quoque ardendi desiderio neophytus, constat sibi, nihil mouetur suo periculo, cum incendiarij ipsi mouerentur alieno. Cum enim hæc omnia eo vergerent, vt à fide, non à vita deficeret, ignem sistunt, & è medijs flammis iamiam arsurum eripiunt, hoc vno repugnantem quod præsens è manibus corona laberetur. Sed ille qui bonorum nostrorum non indiget, operum præmia non tam facto quàm voluntate metitur; interim tamen festinati supplicij acerbitatem proscriptus exilij tarditate compensauit.

E medijs flammis ereptus in exilium mittitur.

QVIS RELIQVA IAPONIA REI Christianæ status hoc anno fuerit.

CAPVT XVII.

CVm in hoc volumine id mihi scribendum maximè proposuerim, in quo Iaponensis Ecclesia fortissimè in fidei causa decertans triumpharit; quidquid alibi gestum est, vbi mitius oppugnata mitius repugnauit, id solum sicut omitti planè non debet, ita debet calamo currente perstringi, quod hoc vno capite faciam breuiter velut è specula Iaponiam lustrans, & loca Christianorum cultu celebria calamo velut digito indice singula demonstrans, postquam obtutu in vno prius exhibuerim vniuersa. Ecclesia quippe Iaponen-

ponensis (si Arimensem agrum, regiámq; Yendo exceperis, de quibus supra fusè) alibi concussa est, alibi trepidauit, alibi proxima mala prospexit, alibi deniq; pristinam pacem cursumq; retinuit. Et in hac quidem rerum varietate satis mirum est, & ad detergendum mœrorem efficax videri potest, quater mille trecentos & octo supra quinquaginta hoc ipso anno Ecclesiæ nauem ingressos, adultos omnes in portum salutis aspirasse; hinc vt colligi possit, quanto numero nauium hanc sint conscensuri mari tranquillo, cum tot præsentem non exhorruerint procellam. Verùm breuitatis nostræ memores per singula saltitemus.

Baptizati anno vno 4358. adulti.

Nangasaquij vicinísque in domicilijs solita omnia, nihil insolens, nisi quod hoc etiam anno crux alia par ferè superioribus in pago Varacami reperta sit, quã Crucis hostibus heris suis famuli Christiani, qui repererant tradere nolentes, exilium, crucis inuentę conseruatæq; præmium, susceperunt. In oppidis Xiqui & Conzura nihildum hoc anno circa nostrorum sedes immutatum. Conzuræ hoc præclarum; Ethnicam mulierem in lethali ægritudine suscipiendæ fidei nostræ cupiditas incessit; vocantur nostri, instruitur, baptizatur, nec ita multò pòst ad extremam luctam vi morbi deuenit; aderat luctanti neophytus cordatæ pietatis vir, qui orandi causa in secretiorem thalamum se recipiens à Domino postulauit, vt sacri fontis vim in animos vires suas exerentem signo aliquo externo demonstraret, vti testibus etiã ethnicis fidei suæ authoritati cõsuleret. mira res. vix benè redierat ad ægram cordatus orator, cum se quod postulauerat exorasse cognouit; eo quippe tempore, quo mulier animam exhalauit, vniuersam domum splendor illustrauit, qui sensim se in sublime recipiens credit[9] est splendentẽ recenti nitore morientis animã in cœlũ deportare; quã rem ipsi neophyto sed spectatorib[9] ethnicis multo magis admirationi & stupori fuisse referebat.

Crux admirabilis in Varacami.

Baptismi vis miraculo comprobata.

Non absimile prodigium Facatæ fuit in regno Chicugen. nam cùm dynasta inde nostros eiecisset, & ex alio suo oppido Amangui satis illibens, & Imperatoris metu adactus, templúmq; amplũ illud & percomodum solo æquari iussisset; insolito quoq; splendore cœlestíque calculo res est improbata: nam continuas septendecim noctes fulgor admirabilis illustrauit, primum quâ in parte principum valua-

Fulgor admirabilis per 17. noctes.

valuarum peristylium sacrum Iesu nomen affabrè sculptum exhibebat. Aduersa ex parte planè ex ęquo oppositi tres ignes alij cernebantur, quorum qui medius erat, reliquos duos claritate superabat. latitudo ignium pedalis erat, sex cubitis in sublime consurgens: ad quod spectaculum toto illo tempore multi conuenerunt, & è nostris frater vnus, alijque domestici plures oculati testes prodigium spectauerunt, quod æquata solo per eos dies æde sacra nunquam alias deinde comparuit. Sed & aliud in eadem æde diruenda portentum fuit. Fabri petulantius inter diruendum Christi sacra & Ecclesiæ administros prosequentes, subitâ trium columnarum ruina, qua parte minus illam minabantur, oppressi tres, ipso momento perierunt, è cæteris saucios triginta sex ex illo numero breui morituros cæteri extulerunt: territiq; omnes à blasphemis deinde scommatis, dicterijsque sibi temperarunt. Dynasta ipse ausus non est è lignaria ædis strue in vsus suos quicquam conuertere, sed vniuersam scaphis impositam Nangasaquium ad nostros voluit deportari.

Ethnici blasphemi tres oppressi de repente, 30. ad mortē saucij.

In Regno Chicungo, Xanagauæ domicilium nostrum eadem tempestas inuoluit, quam dynasta quoque, quàm diu potuit suo fauore suspendit, ac tandem vbi se suaque, ni faceret, in discrimen videbatur adducturus, multis se apud nostros excusans eos perofficiosè dimisit; ædem tamen sacram ac priuatas, adhibitis, qui eas curarent, certis hominibus, intactas esse mandauit, nec adduci potuit etiam ab vxore rogatus, vt eas sacrificulo nescio cui traderet, quod diceret, se breui nostros, cum primùm liceret, ad se reuocaturum: & apud similes dynastas nostri maiore libertate suas excursiones ad visendos subinde neophytos exercent.

Dynastarum quorundam fauore res Christiana vt antè procedit.

Apud Bungenses tria nostrorum domicilia steterunt illa quidem, etiam hoc anno; sed postulante regulo, exercitiorum publica libertas nonnihil est imminuta, quod Euangelij cursum stitit quidem, sed non planè siccauit.

Firoximæ dynastę fauore Christiana res solitum cursum tenuit, nihil imminutâ inter tot procellas libertate; nam tametsi non defuerint obtrectatores, qui omnia euersa voluissent, illis tamen surdas aures præbuit, & vt beneuolentiam augeret, submissa Orizæ magna vi, cæteróque sumptu, magnam partem domesticæ tenuitatis

tis laxauit angustias. Publica igitur neophytis defuere pro fide certamina, priuatim quidam fortiter decertarunt. Christiana virgo nubilis ethnico marito per fraudem datur, qui se fingebat esse Christianum, in cuius ædes cum aduenisset, detecta fraus est: Ethnici ritus acriter suadentur, frustra. domi recluditur, incassum; nemo ad eam solaturus admittitur, ipsa sibi suffecit tanta etiam moderatione, vt nullum irati animi signum in ea posset deprehendi. Tandem cum ærumnis colluctata morbum contrahit, lentáque febricula sensim contabescit, & res iam ad extrema deuenerat, cùm miseria mortis imminentis miserationi tandem locum dedit. Sacerdos noster eius rogatu admittitur, expiatur, moritur Christianè, tantúmque sui desiderium virtutis admiratio reliquit, vt Christianum mortuæ funus curauerint: vestes ac cæteram eius supellectilem velut sacram tangere veriti religioni sibi duxerunt, nisi eam ad nos remisissent. ac deinde octiduo pòst veritati diutius oppugnatæ modò cognitæ manus dantes maritus ac frater in Christi castra transierunt.

Christiana virginis ethnico per fraudem nupta patientia.

Alia mulier infantis ethnici nutrix adduci nunquam potuit, vt à fide deficeret; in arce degebat solita matronarum solitudine detenta, neque illi cum vllo neophyto facultas erat colloquendi, ergo cum dies abirent ac menses, ipsa sextæ feriæ sabbathique ordine, labente memoria, excidit, tantáque fuit in ea Christianorum rituum obseruatio, vt carnium sibi edulia perpetuò interdixerit, ne si aliquando vesceretur Ecclesiastici præcepti vim etiam ignara violaret, eáque res duodecim totos annos tenuit, donec illi tempus sacramenta suscipiendi commoditatem dedit.

Abstinentia à carnibus singularis obseruantia.

Excursione quadam ex hoc Firoximæ domicilio sacerdos noster incidit in rem nullo modo prætermittendã. E regno Chicuien neophytus quidam pulsus duodecim iam annos totos exulabat, is in regnum Nagato veniens viculum quendam familiarum septuaginta reperit, in eóque sedem sibi delegit, eo consilio vt incolas ad Christi fidem adduceret. Res illi successit ex voto, nam concionatoris partes agens, ad Christum adiunctos, sacerdotis penuriam supplens omnes ritè baptizauit, ethnicósque inde ritus ita proscripsit, vt nullo alio nisi Christiano nomine, Iaponensibus exclusis, vocarentur. Fortè non procul inde sacerdotem nostrum transire fa-

Neophytus exul vicum integrum cõuertit, baptizauit, Christianè instruxit.

ma vulgauit, qui ab ijs euocatus, cùm in vicum ex itinere deflexisset, dubium an lætitia magis quàm admiratione correptus fuerit, ita ritè baptizatos, ita Christianè instructos, ita obseruantes inuenit. Vt igitur cætera suppleret, Missæ sacrificio nondum ab ijs viso neophytos recreauit, pœnitentiæ sacramento tum primum expiauit, ceteráque addidit omnia, quæ deesse videbantur. Erexerant illi honesto in loco crucem ad quam oraturi conuenire, litanias decurrere, statis se diebus flagellare, defunctorum corpora inferre consueuerant.

Quid hoc anno Miaci.

Apud Miacenses pacata hoc anno omnia solito cursu pergebant; hoc peculiare, quod nunc primum in Dairi regia Christianæ fidei rudimenta ipsius mater, vxor, matertera inaudierint, itáque probauerint, vt in æde sacra nostra curiosius omnia contemplatæ, spem fecerint illius suscipiendæ; nisi annui census amore quem è prophanis cœnobijs, quibus præsunt aliquæ, alijsque impedimentis tenerentur. Ibidem Iusta Ioannis Arimensis quondam vxor Miaci viuit ab exilio reuocata, suam retinet pietatem, nec adduci potuit à consanguineis Dairi familiaribus vt Christum eiuraret. Iulia in deserta sua Insula, eadem semper animi fortitudine tolerat exilium, séque diuinis gaudijs orationi apprimè dedita solatur. Fuximi, Sacai, Ozacæ, quieta omnia. E neophytis Fuximi vnus vir nobilis suo sumptu alit quatuordecim illos aulicos ab Imperatore proscriptos, neque ab ea re fortunarum aut capitis discrimine deterretur. Atque hîc Anni huius res gestas claudimus ad maiora paulatim properantes.

Libri Secundi Finis.

DE

DE CHRISTIANIS APVD IAPONIOS TRIVMPHIS

Anno Domini CIↃ IↃC XIV.

LIBER TERTIVS.

QVIBVS EX CAVSIS IMPERATOR auctum furorem in Christianos renouarit.

CAPVT I.



QVi tragœdias ſcribunt, eas in ſuos actus & ſcenas ita partiuntur, vt à leuioribus malis ad atrociora continuo velut incremento delati cataſtrophen eò perducant, quò altius fortuna ſæuiens vix poſſit intumeſcere. Hanc ego tragico comœdiã ſcribens, nihil habeo quod de continuo laborem incremento, res enim ipſa hunc ordinem ſecuta ita ſuccreſcit, vt quæ præceſſerunt præludia dici poſſint futurorum; verum in fine deficiens pro cataſtrophe coronidem nobis applauſúmque ſuppeditabit.

Antehac Arimæ ferè aut in regia vtraque ſæuitum, regna cetera fragorem potius quàm calamitatem ſenſiſſe dici poſſunt. Et quidem Miaci, Ozacæ, ceteriſque in locis, quæ Cami nomine includuntur; apud Bungenſes, Fingenſes, Fijenſes, & alibi, vel antiquo liber-

bertatis torrente Christiana res voluebatur, vel conniuentibus dynastis Euangelij cursus nonnihil sistebatur potius quàm arescebat. Nam tametsi plerisque in locis fulgetra quosdam priuatim perstringebant, & vbique non vani timores angebant, in solo tamen metu fere mala sistebant, neque ita mordebat Cerberus, vt latrabat. At nunc & deinceps ex omni simul plaga ingruente procella, Iaponense cœlum obuoluetur, & vnico impetu tempestas præsens occupabit vniuersa (quæ hoc libro describemus prope ad finem, qui cœlum rursum abstersis nubibus aperiet) Nunquam alias æquè sæuitum, nunquam aliàs æquè se procella diffudit.

Anni superioris ab Imperatore quies sopitæ tempestatis benignum sidus ostentabat, donec ab Yendo alterâ regiâ secundus ab Imperatore furor in Arimensem agrum delatus, prout retulimus, vtrobique sæuisset. Atque vtinam seipsa contenta lues nihil vltra suos limites mali contagione vulgasset, tolerabile fuisset, quod cum tanta Dei gloria coniunctum optari potuisse videbatur. Verùm ex hoc iterato furore accidit, quod in morbis, qui maiore periculo recrudescunt. Non ferebat annos iam sexaginta quinque, ex quo Societatis nostræ opera nouale hoc eruderatur, humanæ salutis hostis implacabilis, tot sibi quotidie prædas eripi, & Iaponiam sensim in cœlum emigrare, quæ nuper nullum aliud iter nouerat, quàm quod eo doctore ac ductore in Orcum didicisset, & diuinorum iudiciorum venerabilis homini potiùs, quàm scrutabilis profunditas huius Ecclesiæ tentandæ tempus designarat. Hinc omnis causa peti ac pendere debet; nam cæteræ sunt primæ huius causæ, quæ cum illa conspirant, adiutrices. hoc solum inter vtrasq; discrimen inuenio, quòd etsi secundæ causæ peccent committendo, prima nihil peccat permittendo, cuius sapientia fit, vt mala nostra ipsius bonitate in meliora translata quodammodo corrigantur. Nihilo tamen minus, quibus causis permota mortalium malitia eo vsque sæuierit, ad historicum pertinet expendere; non ideo tantùm, quod ex ijs rerum series texi debet, sed vt etiam constet, quanta innocentia morúmque integritas hæc ipsa certamina cohonestarit: cùm multum referat ad malorum quæ patimur solatium, cùm sola pœna sine culpa conflictari.

Causæ remotiores.

Dæmonis inuidia.

Dei permissio.

Primum

Primum itaque proponamus nobis Imperatorem simulacris addictissimum hoc ipso à Christi sacris abhorrentem, quæ non vt cæteræ Iaponensium sectæ, secum reliquarum sacra patiuntur, nec ita se tueantur, vt tamen alia non euertant. Sed arca Domini ab eodem Maiestatis ac diuinitatis throno Dagon excludit, & Christi religio sectatoribus suis ita salutem promittit, vt ab ea cæteros intercludat. Proponamus nobis eundem non vno religionis titulo Christianis aduersantem, sed qualem initio proposuimus, suspicacem in ea parte, quæ regum pupilla dici potest, quæ sola refugit quodlibet aliarum rerum etiam in solo contactu consortium: ea est imperandi libido, quę id omne metuit, vnde vel ex vmbra territatur. Proponamus denique hunc ipsum ita seipso comparatum, ijs quotidiano conuictu congressuque vallatum, à quibus ipsi Principum nutus adorantur, qui cum ipsi quoque eadem scabie laborarent, quid mirum si quoties pruriebat, se mutuo perfricarent, malúmq; ipsum augerent renouando. Nunc quid hac ratione nutantem proximè impulerit ad ruinam expendamus.

Imperatoris in Christianos odium.

Eiusdem suspiciones.

Post aulicorum suorum proscriptionem nihil amplius mouerat Imperator, neque de re Christiana nisi fortè apud Arimenses incentore Safioie admodum laborabat, cùm ecce tibi rumores in filij regia excitati sopitum intra cineres incendium prodiderunt. Negligi à Christianis Imperatorum edicta, plus apud eos posse barbarorum mystarum auctoritatem, quàm suprema Iaponensis reipublicæ imperia, in media vrbe palam ipsi principi repugnatum, nihil eum clementia, nihil minis, nihil tormentis, ipsáque morte impetrasse. Neque hanc pertinaciæ notam paucis vnius vrbis ciuibus irrogatam posse in fauorem eleuari, cum non ita multò pôst apud Arimenses grauiora contigerint, vbi nihil dynasta precibus infimis, nihil puerilibus ad indignitatem lachrymis à suis impetrauit; ne vt ad vnum duntaxat diem conniuerent, & principi suo res suas tuerentur; in ea pertinacia lentos ignes cum gaudio non à militaribus solum animis, sed à debiliore sexu, ab ætate teneriore ita tolerari, vt à cæteris optantur quæ sibi quisque conducibilia arbitratur. Incidit tertium intra idem tempus Christianorum scelus, quod sectæ suæ reum scelerum suorum legibus pœnas dantem nullo religio-

Traducuntur apud Imperatorem Christiani, Vt qui edicta contemnant. Vt pertinaces.

Vt impij.

Aa ligio-

ligionis prætextu adorarint. E quibus quis non videt eam legem, quæ Principum est contemptrix, quæ pertinaciter mori decorum arbitratur, quæ reorum infamiam numinum cultu cohonestat, ex ipsa orci fæce sentináque in orbis perniciem exhalasse. Et vt sapienter, velut sibi videbatur, & ex legis Christianæ adytis dicta confirmet, ineptè blasphemus Safioie frater Christianos, ait, Deũ colere, qui infami reorum supplicio inter latrones medius expirauit; hinc fieri vt ipsi ad Magistri similitudinem aspirantes, putent se non posse fato nobiliore interire.

Vt Imperio Iaponia periculosi. A lege damnata venitur ad eas rationes quibus Imperia stabiliunt, qui videri malunt quàm esse sapientes. Quis ferat eam gentem cuius industria tanta est, vt prope balbutiens ciuibus nostris persuadeat patriæ religionis numina esse nomina, eos qui ea per tot ante secula semper coluerint, amentes vixisse, arsuros interisse; cuius auctoritati cedunt multa ex ijs damnanti, quæ veneranda tot sæculorum vsu antiquitas comprobauit, vilius esse propria quàm aliena manu mori, non esse iustum quicquid armis occupatur, coniugia coarctat, multáque alia persuadet, à quibus natura abhorremus. Sed quàm pertinaciter magistrorum suorum dicta retinent palpamus. Quid non ijs auctoribus perficietur, à quibus ciues nostri hunc in modum fascinantur? nihil est quod non timere possis ab eo cui persuasum est semel scelestos venerari, principes contemnere, mortem exoptare. Hæc aliaque multa coram Imperatore de Christianis disputata, id ab eo impetrarunt, vt eam legem impiam periculosámque pronunciaret.

Triplex igitur accusatio, aut vna potius tribus euentis confirmata, inauditam legem nostram non iniquè minus quàm ineptè damnauit, quibus vt satisfaciam superfluum puto apud eos, qui aliis oculis obiecta intuentur. Solum superest, vt vnde orta fuerit offensio quæ de adorato reo ferebatur subijciam.

Vt qui reos adorent. Nouembri mense anni superis neophytus quidam Nangasaquiensis ciuis Miaci actus est in crucem & alij quinque ethnici cum eo plexi sunt capite, eo quod argentum contra leges sine Principis consueto sigillo distraxisset. Eum aliquot Christiani ad supplicium comitantur eo consilio, vt adsint morienti, sicut & Bonzij suos ethnicos comitati sunt.

sunt. Et fortè cum iam Cruci alligatus lancea de more cor transuerberatur, neophyti qui aderant in genua prouoluti exeuntem animam fusis ad Deum precibus Christianè comitantur; quam rem ex astantibus ethnicis nonnulli satis imperitè venerationem cultúmque interpretati iocosè sparserunt coli reos ex Christianæ legis instituto. Ex quo araneæ aulicæ, & præcipue Safioye, vt suam apud Arimenses crudelitatem excusaret, venenum suxerunt, ac Imperatori telis suis irretito propinarunt; vnde si apes fuissent, caritatis inter Christianos mutuæ mellifluum suxissent fauum.

Imperator ab Safioie incenditur.

Abalienatis in hunc fere modum Safioye industria omnium animis infenso Imperatori superuenit ipsemet opportunus, is enim commercijs regijs in Emporio Nangasaquiensi præpositus, dimissis aut exceptis quæ suis temporibus appellunt vndiquaque nauigijs in regiam recurrebat, inuenit Imperatorem venationibus occupatum, & à ferijs feriantem. Incidit cum eo de Arimensibus sermo, quem, ne sibi deesset, non Christianos minus extinguere, quàm dynastam exturbare cupienti, ita texuit ad Imperatoris ingenium appositè, vt quicquid in Christianos iam diu coquebat, impetrarit. Conclusa sunt igitur in Christiani nominis extremam perniciem, quæ subijciam. Religiosi omnes Europæi & indigenæ sacerdotes & Ecclesiæ ministri tota Iaponia expellantur: ijs eiectis templa omnia diruantur; Christiani omnes exscriptis vbique nominibus seriò modisque omnibus ad deficiendum à Christo lacessantur: qui renuerint tormentis atrocissimus vrgeantur, pertinaces moriantur, eorum corpora Christianorum cultui subducantur. Hæc anno superiore per Decembrem exeunte constituta breui ad Christianos eruperunt.

Noua contra Christianos decreta.

MIACVM, TRISTIS NVNCIVS ET VNA primus procellæ turbo defertur.

CAPVT II.

SAfioie quippe primarius malorum incentor, vt facti huius inuidiam à se amoueret (quasi verò illius fraudes quemquam laterent) nunciũ expediuit, qui Collegij nostri Rectorem de tota

re admoneret. Literarum breuitas me admonet, ne illarum exemplar omittatur. Curſorem hunc expedio nulla alia ex cauſa, quàm vt te moneam, quòd Imperator cùm inaudiſſet Chriſtianos reum illum, qui argentum informe diſtraxerat, & Miaci in crucem agebatur, veneratos, dixerit eam legem, quæ perſuadet coli reos legum publicarum violatores, & latrocinij conuictos, eóſque, qui à ſuis Principibus mactantur aut concremantur, legem eſſe à malis genijs inuentam, quę ab illius miniſtris non ſine immani ſcelere euulgatur. Eam rem ex animo doleo, doloriſque mei teſtem hunc nuncium expedio. Hæc Safioie. Idem paulo explicatius etiam conſtitit alijs literis eodem tempore ad neophytum tranſmiſſis, ab vno è familiaribus Imperatoris, à quo dudum neophytus ille alteri amicus ad eiurandam Chriſti legem ſolicitabatur.

Chriſtiani Miaci & vbique tota Iaponia Chriſti Domini Natalem magna celebritate peregerant, cùm biduò poſt Miacum triſtis nuncius aduenit, è quo, tametſi ſæpe timendo minus iam timere didicerant, ſapientiores magna imminere mala coniectarunt. Collegij noſtri Rector ad Safioie mittit è fratribus noſtris indigenis vnum virum prudentem, qui de Miacenſi reo explicet, offenſioníſq; cauſam diluat. Interim quia parùm in eo præſidij ſperabat, in ceteris nullum; antequam vlterius ſæuiretur, aliquot è noſtris tempori occultauit, ne cum nomina omnium exciperentur, tardius eſſet re deſperata conſilium, quod fuiſſe inprimis ſalutare comprobauit euentus. Frater noſter à Safioie non reiectus ſolum, ſed & increpitus, quod alieno tempore in regiam aduenißet, deſperata iam eſſe omnia, extra Iaponiam excepto nemine pellendos omnes, nullum ſupereſſe deprecationi locum, aditum nullum ad rem reſtituendam poſſe aperiri. Et verè ſanè, quod ipſe qui clauem geſtabat, aditus omnes occluſiſſet.

Prius Miacum, quàm tonantis Iouis fragor audiretur, fulgur præceſſerat, rerúmque futurarum metu conſternarat. Nam Miacenſis Gubernator die 27. Decembris anno ſuperiore exeunte tota vrbe edixerat Chriſtianos nominatim & ſectarum Iaponenſium ſectatores ſeparatim pro ſua quemq; ſecta deſcribi. Sed quoniam in ſolos Chriſtianos faba cudebatur, quod vitandi tumultus cauſa

Miaci deſcribuntur Chriſtiani.

cœptum

cœptum fuerat, conquerentibus ceteris, momento conquieuit, & deinceps soli Christiani in tabulas referebantur. Ex insolenti facto dum coniectura veritatem venatur, adueniunt literæ Safioie, ac paulo post aliorum, quæ rei veritatem, quæ inquirebatur, prodebant. Ea descriptio ex Yendo regia desumpta nouo inuento furori materiam præparabat, ne esset qui se malorum atrocitati subduceret, postquam aliorum pœnæ timere docuissent.

In hac descriptione certamen fuit Christianos inter ac descriptores edicti ministros, sed aliud quàm sperabatur; hi paucos exscribere laborabant, ex illis nemo se patiebatur excludi. Et quidem vbi familiarum capita suffecissent, filij, vxor, filiæ, famuli, ancillæ sua nomina obtrudebant; quin pro ijs quoque sollicitæ matres, qui sui curam per ætatem gerere prohibebantur, lactentes infantésque adhuc mutos ipsæ matres prodebant, ne esset è tota familia, qui se Christianæ fidei subduceret. Ipsi quoque id temporis catechumeni, quos nondum Ecclesia Christo pariens in fidei lucem eduxerat, pro Christianis exscribi se contendebant. Satis constat per eos dies ad sexaginta Catechumenos properato partu iustum tempus præuenisse, præcocémque in baptismo vitam impetrasse, ne mori pro Christo non possent, qui Christo viuere nondum inchoassent. Prima igitur descriptione, tametsi multi sua nomina in tabulas referri non impetrarant, supra quatuor millia numerus excreuit. Quam multitudinem non ferens gubernator (tametsi ab ea, quam Imperatori quadraginta millium dixerant, procul abesset) ne forte illi vitio verteretur, aut ne Christiani quibus illibens aduersabatur, acrius vexarentur, eam descriptionem iussit repeti, & quam paucissimos referri: nec tamen impetrari potuit, quin mille septingenti censerentur: tanta erat omnium concertatio, vt etiam qui se nulla sua culpa expunctos inaudierant, neque reclamarant, id sibi deinde religioni duxerint, vt infra narrabitur.

Certatim omnes describi volunt.

Etiam Catechumeni.

Ista porro nominum exscriptio multa secum neophytis adferebat incommoda. Primum enim cum illorum plerique in conductis ædibus habitarent, veriti qui eas elocauerant, ne religionis odium in ipsorum aliquam perniciem resiliret, acriter laborabant, vt vel à Christo abirent, vel ab suis ædibus. Nec pauci fuere ita im-

Quàm incommoda Christianis hæc descriptio.

mites vt asperrima hyeme cum omnia gelu rigerent ac niuibus opplerentur, inquilinos suos eijcerent; quos sæpe contigit, cum diuersorijs omnibus excluderentur vna cum familia tota in medio vico sub Ioue frigido pernoctare, donec ab alijs neophytis excipi, aut in alias ædes emigrare licuerit. In quo sanè officij genere alij alijs fidelem operam præstiterunt, & sæpe angustias suas caritatis spacijs dilatarunt. Neque cum solis ædium dominis certamen fuit. Eo ipso tempore Ethnici complures vel propinquitatis iure, vel amicitiæ vinculo Neophytis illigati cum eorum periculum, suum putarent, acerrimè illos expugnandos sibi susceperunt. Sed illi qui iam atrociora prælia spe, victoriásque nobiliores voto deuorabant, hæc facilè præludia reiecerunt. Triginta totos dies ea descriptio tenuit, quod spacium sibi neophyti feriæ comparationi seponentes, ea sibi virium conquirendarum auxilia compararunt, quæ deinde in futura certamina exererent; quas comparationes iam sæpe cantatas nolim vbi præclariora me vocant recantare; & vt nonnihil præludam, interim dum Christiani publico magistratuum certamine lacessiti pugnant, vnum alterúmue priuatorum præliorum specimen prælibabo. Adolescens annos natus omnino sedecim trimestre tirocinium veterani militis constantia cohonestauit. Vnus in ethnica familia Christum nouerat, & spem pinguis cœnobij patruo sacrificulo cesserat, quæ adolescentem præstolabatur. Eam rem parens ethnicus tulit impotenter, & primo furore se patrem oblitus filium suspensum atrocissimè flagellat, inde domo eijcit, exhæredat, nihil horum Christi causa recusantem. Interim domi nostræ degebat donec à parente reuocatus sibi Deóque victor pro arbitratu viuere permittitur. Alius à nobilissima matrona Taicosamæ olim Imperatoris vxore sollicitatus illius gratiam ac fortunas omnes ne Christum amitteret, libens amisit, resectóque crine ne quid super flueret, omnia abdicauit. Illius vxor maritum secuta tantis gaudijs incedebat, vt in ædem nostram pedes leucam prope gradiens accurrerit, hac vna de causa, vt Deo de collato beneficio gratularetur. Puerulus quidam tentatus à matre ita respondit: Nutas in fide mater? ego martyr esse volo, neque Christum abdicabo vel si quidquid est rerum vbique mihi efferatur, quibus verbis

Christianorum cum Ethnicis amicis certamina.

Illustre adolescentis cum Parente ethnico certamen.

Aliud.

bis contentam parentem cura liberauit. Sed nullus finis erit, si hæc minutiora persequar, ad maiora properemus.

MIACO NOSTRI NEC NON È RE- liquis Cami partibus emittuntur.

CAPVT III.

IN hac neophytorum descriptione nostrorum quoque nomina excepta sunt, eo consilio ne quis exilio se subducens procelloso tempore illius Ecclesiæ nauem è latebris suis moderaretur, naufragioque subtraheret. Sed non est consilium aduersus Dominum, cuius instinctu præsagus rector, vt iam dixi, præuenerat. Vix vnquã alias Miacensis nostrorum domus æque floruerat. Octo sacerdotes è nostris, fratres septem, alumni ad viginti eam incolebant, insolens in ea operariorum paucitate multitudo. Ex ijs sacerdotes tres; fratres totidem alumni sex exscripti, cæteri iam in suas latebras distributi exscriptioni publicæ, quæ satis obiter fiebat, subducti sunt diuino planè inuento, non enim nisi in hac multitudine id fieri poterat, alibi nostrorum paucitas piam fraudem excludebat. Hi deinde per vrbes proximas distributi nocturnis concursationibus omnia lustrabant, nec alicubi deerant, qui nusquam subsistebant. Volebant quidem omnes pio inter se certamine intra periculi aleam relinqui. Sed Principi dari oportuit aliquid ne totum exigeret.

Nostri describuntur sed non omnes.

Ex ijs quæ de Christianis sancita nuper fuerant, seruato sensim ordine singula seruabantur. Exscriptis iam Christianis pastores à grege separari oportebat, vt facilius in eum lupi sæuirent. Et quidem tametsi tota Iaponia proscribendos esse constaret, initio tamen Nangasaquium dimitti iubebantur, vt ex eo deinde portu simul omnes solita soluendi tempestate ad suos renauigarent. Vnde fit vt rei ordinem secuti, sensim omnes comitemur, & exhaustis quæ alibi gesta fuerint omnibus Nangasaquium accurramus exules reuisuri, & è Iaponia soluentes dimissuri atque solaturi. Nunc autem quoniam quotquot in Cami regione, id est Miaci, Ozacæ, Fuximi, Sacay versabantur in vnam exulum prope iustam classem conuenerunt, eos à se inuicem non iudicauimus separandos.

In proscriptione seruatus ordo.

Quæ

Quæ de nostrorum exilio Decembri mense exeunte decreta fuerant, non ante Februarium insequentem cœpta sunt fieri. In cuius diem quartum ac decimum incidit ab vrbano prætore sententiæ legitima denunciatio. Iubentur nostri omnes intra septiduum Miaco excedere, quotquot exscripti nuper ad eam proscriptionem legebantur, Nangasaquiũ nauigent, ibique vrbanis præfectis, ac totius prouinciæ præposito suo tradantur, donec sibi traditorum ratio exigatur. Interim sua secum efferant, ædes fisco relinquant Iaponensi de more instratas, ad efferendam supellectilem nauigia ex publico designentur. Ea denunciatio quàm acerba nostris ceciderit, quàm luctuosa neophytis, cogitari malim, quàm explicari. Videbant illi se sua sede, quã annos supra sexaginta tenuerant ab eius auctore S. Xauerio, exturbari, quam in tanta temporum varietate toties desperatam conseruarant. Videbant hi se sacra æde solatio suo, sacrisque ritibus in posterum carituros. Iterum videbant illi se gregem lupis dispergendum dimittere; hi pastores suos importunissimo tempore sibi subtrahi deplorabant. Ingens igitur per eos dies in ædem concursus fuit, diurna simul nocturnáque Sacramentorum expiatio, piacollocutio, ceteráque huiusmodi, quæ in pari casu eadem vbique contigerunt.

Iubentur nostri intra septiduum Miaco excedere.

In his auolant dies constituti, & primus supra vicesimum tristis illuxerat, cum ad Sacrificium magno numero conuenerunt, in quo fluentibus per ora lacrymis, compressisque singultibus dolorem testati, secum taciti expendebant, se hoc postremum sacrificium publico ritu spectare, pro quo singuli se in sacrificium substituebant corpus corpori, & sanguinem sanguini reddituros. Expleto per otium Sacrificio, ad exuendam suis ornamentis ædem, & sacro apparatu aram deuenitur: nuda templi facies attonitos omnes ingenti horrore consternauit, post quem orta omnium comploratio lamentabili omnia complebat eiulatu. Eum nostri, tametsi solatio indigerent, dissimulato dolore, temperarunt, appositáque oratione, ad malorum tolerantiam, ad meliorum spem prouocarunt. Inde domum dimissi quod comitari vetarentur, vix à socijs auelli potuerunt, ipsique se ad imminentem discessum accinxerunt.

Christiani valedicunt.

Collegij Rector Pater Gabriel Matos priusquam abiret

ad

ad vrbanum prætorem pergit, à quo benignè exceptus extremum auditur; ait optasse, se modisque omnibus procurasse, ne Imperator de nostra innocentia dimitteret inauditos. Id per eos qui aditus omnes occluserant, obtineri nunquam potuisse; quam ob rem se conceptis verbis pauca in eam sententiam scripsisse, ne veritati defuisse videretur; petere se pro continua in se, ac suos humanitate, vt scripti exemplum acciperet, & si quando res ferret, Imperatori legendum daret. Sperare se innocentiæ locum aliquem & veritati fore. Prætor amicissimè respondit, & omnia liberalissimè detulit, quę in eius essent potestate. Sed vana fuerunt omnia, non quod ipse in Christianos animo esset alieniore, quos imerito vexari dolebat, ac dolere se præseferebat, sed quod aliena pericula pauci propulsent suo, rarique sint, qui apud Principes infensos innocentiæ patrocinium veritatisque suscipiant. *Rector scriptam prætori defensionem offert.*

Sed vrgentibus discessum ministris proscriptos nostros in portum abducamus. Miacum interluit fluuius non maximus, quem aquæ suæ subinde fere desererent, nisi ars in naturæ auxilium euocata eas intra angustiorem alueum contraxisset, & nauigijs seruire coëgisset. Ad eum fluuium, quoties eluuione alueum egreditur, transmittendum, pontes duo ligneo, sed visendo tamen opere, in suos arcus curuantur, ad quos celebriores vrbis vici feruntur. Ad eos pontes rei solent concurrenti multitudini ad exemplum sua supplicia ostentare; in celeberrimo ex ea regione vrbis littore Prætor nostros soluere iubet, vt nostrorum exilium tota vrbe constaret. Et quoniam in exportanda supellectile locus innotuerat, in eum locum ingens conuenerat multitudo, sed ethnicorum ferè, quòd illo ipso tempore Christianos intra suas ædes adhibiti custodes detinerent. Et tantæ multitudinis non vnus erat sensus; sed plerique tamen nostrorum vicem miserati prædicabant, qua vitæ innocentia tot annos externi homines in ea vrbe vixissent; nec vllus fuit ex astante hominum corona, qui fortunæ insultaret; amici autem multi dolorem præ se ferentes, vel muto silentio, vultúque tristiore, vel efficacibus verbis eum testabantur. Neophytorum autem, qui non pauci ædibus erupera nt, tanta fuit comploratio vt soluere Paulus Mileto videretur. In nauigia tandem cum custo- *Nostri Miaco soluunt.*

dibus impositi secundo alueo labi cœperunt. In vtroque ponte spectatores erant innumeri, è quibus aliqui exigua petulantis plebeculæ signa cum edere cœpissent à militibus cohibiti conticuerunt, quorum militum cum suo duce tanta fuit toto itinere in nostros humanitas, vt non in exilium rei deportari, sed cum amicis animi gratia nauigare viderentur. Id habebant à Gubernatore in mandatis, & quidem hoc nominatim vt frequentibus conuiuijs à duce inuitati dolorem suum fallerent, & iniuriæ sensum mitigarent.

Fuximi & Ozacæ exulum classis excrescit.

Abest Fuximi sexies mille passuum itinere, eo vbi peruenerunt patres è D. Francisci familia cum aliquot Christianis æquè proscriptis in nauigio præstolantes inuenerunt. Ii quoque Miacensis cohortis præfecto traditi vna cum nostris nauigare cœperunt Ozacam versus, quæ septem leucas abest, quo priusquam illucesceret appulerunt, è quo portu in mare egredi Nangasaquium versus exules oportebat, ibique ad fluminis ostium exulum classis excreuit. Nam præter sacerdotes nostros duos, adiutorem vnum, Catechistas tres Ozacæ descriptos è Franciscano ordine tres cum suis alumnis accesserunt. His adiuncti sunt, ex aquilonaribus regnis Sacerdos vnus è nostris cum suis catechistis qui iam præcesserat inde proscriptus, vt suo loco videbimus. Antequã nostri Ozaca soluerent Miacensis collegij rector Vrbano prætori apologiæ quã scripserat alterũ volumen dedit, cuius fructus in sola vrbanitate constitit, propensáque hominis in Christianam religionem voluntate, quæ postremo cum quodam sacerdote nostro congressu non parum visa est

Ozacæ Prætor duo in nostris admiratur.

accreuisse. Dicebat igitur valedicenti, duo se in Europæis sacerdotibus admirari, alterum quod tot pericula sponte suscepto per tot maria exilio contemnerent, alterum quod cum tanta vitæ innocentia tot mala tolerarẽt. Cui noster ita respondit, se hæc ipsa pericula, quæ adirent, hęc ipsa mala, quę tolerarẽt per tot maria quęrere, quod apud suos ea nõ inuenirent: Ex quo, aiebat, Iaponiã attigimus, viti caput impositũ credimus, q̃ leuiter cõtorta vite facilè detrahatur à ceruicibus. Habere se tamen aliud q̃ sentirẽt, vnã scilicet filiorum quos Christo pepererant orbitatem, ac si è nostris aliqui, quod facimus, latebras quærimus, non metu, sed eorum commodis prouocamur.

nocamur. Obstupuit ille affirmans, eam rem sibi tantam videri, vt, aiebat, cupiditas mihi tantæ legis discutiendæ ingeratur, quod sacturus sum, vbi sese remiserit hæc procella.

Soluit tandem Ozaca iusta proscriptorum classis nauigijs septem exportata, præter alia quibus duces militésque vehebantur. Et postquam dies octodecim pari semper ducum beneuolentia nauigassent Nangasaquium tenuerunt, ibique singuli magistratibus vrbanis, suísque superioribus traditi exscenderunt. Duces autem accepta totius rei fide publica Miacum redierunt. Nostri quatuor domicilijs excepti & in vicinas sedes distributi cum alijs, qui ex varijs deinde partibus aduenerunt, rei finem præstolabantur. Nos ad eos deinde suo tempore redituri, nunc ad Miacensium neophytorum pro fide certamina redeamus. *Exules Nangasaquium perueniunt.*

POST NOSTRORVM DISCESSVM QVID Miaci contigerit.

CAPVT IV.

EXscriptos Miaci neophytos intra suas ædes excubitorum fides asseruabat donec ab regia iuberet Imperator quidquid conspectis nominibus furor suggessisset. Ferunt eum conspecta multitudine, quæ ad tantam nihilominus sese contraxerat paucitatem satis impotenter excanduisse, & Miacensem prętorem acriter sugillasse, quod eius incuria, eorum qui sua imperia spernerent (ita Christianos describebat) tantopere turba succreuisset. Noluit igitur illi plectendorum, aut potius sollicitandorum neophytorum negotium committere, ne segniter ab eo transigeretur, cuius immodica lenitate malum paulatim irrepserat. Habebat in aula filij principis moderatorem (Sangamidono dicebatur) ducem in paucis strenuum, cui si hoc negotium committeret duo sibi consecuturus videbatur, nam & suspectum sibi magnatem honesto prætextu à filio amouebat, absenté arce sua nullo tumultu priuaturus, quod habebat in votis, & Christianos tanti nominis duce in sui perniciem misso perterritos, sine vi ac sine sanguine, sibi dijsque patrijs restituturus credebatur. Ergo cum selecta trecentorum mili *Imperator Sangamidonum cũ trecentis militibus Miacum mittit.*

militum equitum ac peditum dimidiata manu, ducem, vt Christianos insequatur, amandat, non Miacum solum, sed & in reliquam Cami regionem. Et quia sperauit rem posse sine suppliciorum atrocitate confici, nullam ei proscribendi mactandíue facit facultatem; sed hoc postremum quod omnes initio ignorabant, euentus declarauit.

Sangamidonus igitur imperatoriæ fraudis ignarus ita veniebat, vt sibi de hoc munere gratularetur, & gratiam ex hac neophytorum persecutione venaretur. Miacum 26. die Februarij formidabilis ingreditur; & ne iniectum pauorem otiosa intermissione remitteret, die insequenti ædem nostram sacram, aliáque sacella duo, quæ hucusque steterant, magno tumultu diruit, & egestam inde lignorum congeriem ad fluminis ripam sub vrbem mittit, eóq; ipso die edicit Christianos omnes, quotquot Christum suum eiurare, & in patrios ritus coniurare renuissent, hac ipsa ædis suæ congerie ignibus correpta simul absumendos, & ne qua mora esset, pertinaces sibi ad supplicium columnam dedolarent. Nullus fuit vrbe tota, qui Sangamidonum nosset, cui non hæc agi seriò viderentur: & tamen neophyti non solum non hoc primo metu consternati titubarunt, sed rem sanè posteritatis memoria dignam aggressi tyranno vnam rei conficiendæ desperationem reliquerunt; neque enim solum sibi multi columnam suam illico compararunt; sed ne dubitari posset, quis exuri potius vellet, quam Christum eiurare, aliqui suas columnas pro foribus statuerunt & sæuienti tyranno conspiciendas obiecerunt. Generosa est diuina virtus si cuius animum semel occuparit. Ecce tibi non superliminaria paschalis agni sanguine conspicua, vt angelo percutiente sine vulnere transiliantur, sed ad proprij corporis sacrificium columnæ iam incendia prouocantes, ne sine vulnere à tyranno negligantur. Iucundum planè spectaculum, cum tot columnæ prostarent eorum, qui Christum professi ad nobilissimum funus aspirabant. In eaque re tanto à neophytis ardore certatum est, vt non defuerit, cui etsi paupertas columnam negauerat, sibi vestimenta detraheret. Fœminam ferunt Zonæ suæ precio columnam comparasse. Sed omnium vota Sangamidonus elusit, cum sine suis victimis ingloria ligna intra dies

Sangamidonus ædes sacras diruit.

Christianos omnes comburendos edicit.

Christiani columnas ad quas exurantur pro foribus statuunt.

dies paucos publico damnauit incendio, in quorum conspectu conceptum dolorem sibi neophyti detersissent, si vna cum ædis suæ fauilla liberas in cœlum animas emittere licuisset.

Ex præclaro Christianorum facinore tyrannus alia nulla re minus quàm mortis, cui se deuouerant omnes, metu deterrendos intellexit. Prætoris igitur vrbani, qui suorum ciuium sensa pernouerat, consilio vsus imposterum aliam debellandæ religionis iniuit rationem. Vicorum præfectis mandatur, vti singulos, adhibitis propinquis amicis, precibus minisque eo lacesserent, vsque dum nomina sua publicæ descriptioni detrahi permitterent; quod si renuerent, nihilominus expungerentur, sparso rumore, quod expungi se permisissent. Huius fraudis scopus is erat auctoribus, vt Imperatori nominum falsa obliteratione satisfieret, quem vera descriptione offensum fuisse constiterat. Irruunt igitur omnes eodem tempore in Christianorum ædes imperata facturi. Et primo è sacra supellectile, quam apud eos inuenerant, harpastum exercentes omnia diripuerunt, tum ad suas artes conuersi, quid non fecerint facilius erit expendere, quàm quid fecerint explicare. Decem totos dies ea concertatio tenuit hoc euentu, quem triplicem esse si dixero, nihil prætermittam. Primi precibus minisue cedentes Christum quidem apertè non eiurarunt, sed vt è libro vitæ nomina expungerentur, parum generose consenserunt: Alteri non hoc quidem permiserunt, sed per vim ab alijs factum parum cordatè dissimularunt. De his erit suus alibi dicendi locus. Nunc eos solos canimus, qui neque expungi voluerunt, neque dissimularunt, sed, cum fieret, fortiter reclamarunt, & fraudem omnem, qualis qualis esset illa, exhorruerunt, & iudicum iras suppliciáque animosè prouocarunt.

Vicorum præfecti Christianos solicitant.

Christianorum tria genera.

Vicus erat in vrbe Miacensi, quem Christianorum appellabant, ideo quod eo in vico præter vnum ethnicum ceteri Christum profiterentur, quod nobilissimo quondam viro arcis vnius præfecto debebatur, exemploque superstitis coniugis Mariæ conseruabatur. Eum sibi vicum fidei hostes acrius exagitandum, deque sua firmitate deijciendum frustra susceperunt. Primum duas familias, quarum capita Christianorum duces esse non ignorabant, extra vicum eiecerunt, vt ijs sublatis minus ceteri repugnarent. Sed illi nihilo

Miaci vicus Christianorum dictus.

secius artes omnes minásque constanter eludentes, tertio chirographum suæ constantiæ rogati tertio tradiderunt, tandémque in verbórum auxilium ministri operam euocarunt. Nam tertio Martij Prætoris vrbani famulus è primarijs, heri sui, & Sangamidoni nomine in vicum venit, ædibúsq; suis Christianos omnes educit, arreptásq; illorum vxores ac filios intra stramineos saccos Orizę vel tritici receptacula, singulos imponunt, funibúsq; fortissimè colligatos omni membrorum motu destituunt: viginti septem primo furore constricti, & in vnum omnes cumulum alij super alios iniecti. sed paulò pòst cum appareret aliquos superimposito pondere præfocandos, singuli iuxta se mutuo dispositi longum ordinem explicarunt: totum eum diem noctemque detenti spiritus ardore frigus acerrimum niuesque depluentes sub dio temperarunt. Non defuere qui tormento huic vna cum ignominia coniuncto in oratione defixi preces adderent; sed nemo repertus est qui cederet. reperti sunt etiam pueri aliquot qui supplicium illud precibus importunis ad parentum suarum similitudinem flebiliter impetrarint.

Christianorum vxores ac filij in saccis stramineis colligantur.

Die insequenti redeunt iudices & à fœminis puerisque victi ausi sunt cum viris certamen suscipere, spem aliquam ab ipsa desperatione mutuati. Exclamant igitur maritos qui suarum coniugum iniuriam non sentiant virorum appellatione indignos videri, nec indecorum esse, vt in fœminarum locum semiuiri vocarentur. Ergo dissolutis alijs ipsimet intra saccos eosdem arctissimè vincti compinguntur, vrgentur deinde vt Christum abdicent, sin fecerint fore vt tota vrbe in eo habitu palis impositi baiulorum humeris deferantur. Sed cùm æquè omnia reijcerent, ethnicorum cuneus ex composito euocatus accurrit, qui fictis precibus facile exorant vt soluti vinculis sibi tradantur spondentibus se defectionem à Christo procuraturos. Nec valuit ad eam rem impediendam quod fortiter ipsi neophyti reclamarint, cum tota res ex composito ageretur. Traditi ergo ethnicis ne verbo quidem ad deficiendū à Christo sunt lacessiti: & tamen à ministris clam libello expuncti numerum iminuerunt, sparso rumore quod à fide defecissent. Alibi quoque simili saccorum ignominia supplicióque certatum, de quibus multa dicenda superessent, si nihil esset omittendum. Sed omitti non

Viri in eosdē compinguntur.

Soluuntur & è libello expunguntur eorum nomina.

non poteſt Benedictus, quem domi ſuæ velut frumentum Chriſti compactum ſpiritus ardor continere non potuit, precibus, clamoribúſque. vt in publicum educeretur obtinuit: ſed cum illi ad tegendam iniuriã vultus intra ſaccum recluſus ab amicis fuiſſet, tantum effecit, qua poterat membrorum contorſione vt caput erumperet, ſeq; tranſeuntibus proderet cognoſcendum, ideò quòd honori ſibi, non dedecori duceret in Chriſti cauſa ludibria tolerare.

Quid dicam autem de fœminis alijs atque virginibus in quas maximè tyranni ſeſe furor exeruit? Illę duce Iulia matrona grauiſſima voto caſtitatis ritè concepto (neque enim apud Iapones hoc tempore Chriſti conſilia ignorabantur) communem vitam in pietatis exercitationibus ſanctiſſimè traducebant. Iulia porrò poſtquam præmaturam viduitatem ethnicorum cœnobiorum auſteritati annis quatuordecim conſecrarat, iam ante annos prope viginti Chriſtum agnouerat, primáque Chriſtianę vitæ tirocinia ſacrificulorum odio, quod ſimulacrã quædam Vulcano tradidiſſet, futuris præludens conſecrarat, ac deinde cœtum hunc Chriſtianæ perfectionis æmulatione coëgerat. Eas quod neſcio quid ſacri habere viderentur, ethnici atrociter aggreſſi, ſplendorem virtutis non hebetarunt, ſed acuerunt. Ergo cum iuniores huius tempeſtatis initio nebulonum libidini ſubduxiſſent, ſeniores extra pudicitiæ aleam poſitæ ad martyrij coronam adſpirabant. *Virgines ſacra duce Iulia.*

Ad eas expugnandas quinque dierum mora laborem luſit: exponebatur ijs optatam mori cupientibus mortem deſore, ſed nudas petulantis plebeculæ ludibrio per vicos exponendas, ac poſtmodum ſingulas ſeparatim vt auxilio ſolatióque mutuo priuarentur proſcribendas, niſi ſua expungi nomina non negarent. Illæ verò; ſi expunxeritis, inquiunt, vicatim excurrentes inclamabimus eſſe nos Chriſtianas, fraudemque nobis ac Imperatori fieri propalabimus. Hac illæ conſtantia cum carnifices euocaſſent, vbi ſenſerunt adueniſſe, obuiæ occurrerunt, momentoque in ſaccos compactæ, omníque per vinculorum atrocitatem motu deſtitutæ, baiulorũ humeris è ſudibus ſuſpenſę per celebriores vrbis vicos nõ ſine militũ manu armorũmq; ſtrepitu geſtabãtur. Eductæ ſunt in ſuburbanũ agrum reorum ſupplicijs infamẽ, in eóq; temerè iacentes diẽ illum, *Compinguntur & ipſæ in ſaccos.*

illum, & insequentem totum, contumelias, vincula, frigus niuémque hilarissimè tolerarunt. Inter spectatores aduenit sacrificulus, qui sexum ignorationis notans earum salutem in se suscipiebat, quem illæ risu iocisque à se remouerunt.

Vnius factum admirabile.

Admirabilis fuit vnius ex illis pro Christo patiendi ardor. nam cum propinqui, vt vinculis saccóque suo eximeretur, impetrassent, cum in parentum domum sella gestatoria inuitam reducerent, vicatim proclamabat, Christiana sum, inuita abducor. Ea cum in parentum ædibus sibi relicta esset; clam se non ita multò pôst subduxit, & ad socias per decem amplius vicos recurrens, vnà cum sacco suo, quem nunquam dimiserat, vt iterum vinciretur, exorauit, quo facto nô se solùm, sed socias, cum spectantium admiratione, recreauit. Die insequenti, sub noctem, iudices illas reuisunt, iubent vt vinculis saccisque suis eximantur. Sed illę iam ex alijs fraudem edoctæ senserunt id fieri vt de illarum defectione fama spargeretur; Ergo inclamant, Christianæ sumus, nec hinc abduci nos patiemur, nisi præeunte præcone Christianas esse nos vicatim publicetur. Nec instantibus negari potuit. In humeros relati denuo terræ promissionis botri, præconem adiuuabant succlamando, quoties ille voce languebat. In neophyti domo depositæ sacram supellectilem receperunt, ibi donec de ijs statuerit Imperator conquiescant.

Omnium ardor Christianas se profitentium.

Sacci quid portenderint. Coniectoris pronunciatum.

Et quoniam de Orizæ, triticique saccis ethnici tormentum confecerunt, videtur oraculo non carere, quod per eos dies ethnicus coniector de hac ipsa re quæsitus pronunciauit, Orizæ triticique sacci seminis copiam notant, ea re multiplicandos Christianos interpretor, quantumuis coarctentur; faxit Deus qui Caiphæ ore vaticinium pronunciauit, efficiatque vt hæc frumenti grana non sola maneant, sed fructum multum adferant.

OZACAE NON ABSIMILI À CHRISTIAnis ardore certatur.

CAPVT V.

SAngâmidonus, cui Cami regiones commissæ fuerant, à peregrinis Christianorum sacris expurgandæ, quem tenuerat apud Miacen-

censes ordinem Ozacæ voluit obseruari. Committit igitur prætori vrbis (Ichino Camidono dicebatur) vti Christianorum nomina curet exscribi; & licet solos negotiatores artificésque mechanicos in tabulas referri mandaret Miacensi prætore astutius, ne nobiles ac militaris ordinis viros contra edicta Christianos esse constaret; impetrari non potuit, quin aliqui ministros fallerent, & sua nomina traderent, ne huius coronæ tempestas illis absque fructu laberetur. Admirabilis fuit neophytorum ardor, nam ad eum nuncium multi quos negotia forte alibi detinebant, ea abrumpentes redibant, vt profiterentur singuli in ciuitate sua, si quos alios negocia necessario prius auocarent, quàm in suum vicum descriptio perueniret, vltro præueniebant, datóque chirographo ac reditus sponsione discedebant. Exscripti non secus ac Miaci post discessum nostrorum, intra suas ædes asseruantur: immissi quoque in eos propinqui & amici, vt verum esset, Inimici hominis domestici eius, hostiliter se gesserunt. Dicerem pueros atrociter flagris cæsos, dicerem alios in antra domorum angustissima redactos, aliquot dierum inediam tolerasse, dicerem alia multa, nisi toties recurrerent, & grauioribus locum cederent non illibenter.

Ozaca describuntur Christiani.

Eorum ardor in profitendis nominibus.

Vix bene nostri discesserant cum Ozacæ præfectus Sangamidoni iussu in ædem nostram sæuiens, eadem qua Miacensem fortuna damnauit: ligna in insulam, quam fluuius aperit, comportata publico incendio exarserunt. Sed non est hic ausus Ozacæ quod Miaci malè cesserat, dum neophytos iisdem ignibus conflagraturos minabatur; ne nihil tamen auderet, edici iussit omnes qui Christum abdicare recusarent, die insequenti mactandos. Vix credi potest quanta inter omnes exultatio, totus dies abijt in gratulationibus, & cœpere multi quæ habebant in pauperes erogare, vt eleemosyna martyrij meritum cumularent. Incidit inter duos neophytos lis in forensibus iudicijs inaudita. Sodalitij præfectus quidam lethali ægritudine correptus decumbebat, & prope occumbebat. In cuius vicem noster sacerdos antequam abiret alium subrogarat. Ad ægrum peruenit nescio quis de postridiana Christianorum carnificina rumor; & quoniam primi sodalitiorum præfecti petendi

Sangamidonus ædem sacram dirui iubet.

Christianos omnes mactandos edicit.

Aeger sano litem intendit pro subeundo martyrio.

petendi erant, sibi suffectum accersiri iubet, & coram aliquot neophytis æger sano litem intendit: cum adhuc viuam, inquit, oportet me in hoc fidei theatro præfecti personam sustinere: non fuit ea mens nostri Patris, vt me martyrio priuaret, & quoniam ægritudo me breui extinguet, alia nulla post hanc occasio se mihi offeret pro Christo moriendi, si hanc neglexero, tibi prout res sunt, alia deesse non potest, præterquam quod Ecclesiæ Ozacensi minus incomodi ex mea morte, quàm ex tua, qui viuis & vales enascetur. hæc ille, aliáque ita seriò ac si de alicuius hæreditatis possessione adeunda litigaret. Alter autem auctoritatem nostri sacerdotis testabatur, eum iam expræfectum excludi, quod sine præuio labore, præmia consequeretur, hoc illius voluntate fieri cuius in manibus sunt *sortes meæ*. Sed dies altera litem diremit, dum vterque spe sua excidit, sed non merito, cuius præmium ita incensa cupiditas non amittet.

Vbi dies multorum votis bene ominatus illuxit, in reorum locum trecenti supplicij horam præuenientes præstolabantur, nec fuere plures, quod ceteros propinqui amicique domibus suis clausos ire prohibuerant. Aduenere iudices satellitio suo stipati, quos conspecta, tanta multitudine satis pœnituit irritasse crabrones. E toto nihilominus numero octo supra quinquaginta, reiectis ceteris, viri ac mulieres nullo fere delectu temerè seiunguntur. ij ad vnum omnes in saccos compacti & arctissimè colligati, prout apud Miacenses eodem tempore fieri narrauimus, delatiq; ad publicam ignominiam secundum celeberrimos pontes exponuntur. Hos comitabantur ceteri vel palam suam fidem profitentes, vel neophytis currentibus calcar admouentes, quæ duo ne facerent nulli satellitũ fustes impetrarunt, vbi erat atrocior verberatio eò concurrebant, verbera pro saccis in meriti compensationem accipere gestientes. In hoc Christiani frumenti aceruo, grana erant selectæ nobilitatis germina: sed nemo nobilior Ioanne Reguli Aua nepote, nemo illius coniuge Magdalena, æquè nobili, quam à cupiditate martyrij nõ imminens partus abortúsque periculum deterruit.

58 in saccos compacti.

Nobiliores duo.

Totum eum diem in hoc tormento transegerunt. sub noctem vnà cum iudicibus ethnicorum cuneus in fraudem corruptus accurrit, rogat iudices vti soluantur, sibique sollicitandi tradantur: quod

quod cum fieret, illis frustra reclamantibus, magnus omnium tumultus vocem extulit, defectionem inclamando. Dimissi ergo, præter quatuor & viginti, cæteri ad suas ædes redierunt, hi qui vinculis superfuerant, vt qui notiores ac nobiliores essent Christiani in custodias immissi sententiam ab regia mensem vnum præstolati multa patiebantur, sed magna tamen hilaritate sperabant à gratia, quod à natura formidassent. Ex vnius epistola operæ precium est audire vt Deum suum etiam inter tormenta spirarent. Ad Ozacensem nostrum Nangasaquium inter cætera vnus scribit in hæc verba, Decimo octauo lunæ currentis in publicam custodiam ego, coniunx ac tres filij compingimur, & nunc 23. dies labitur. Peto vt nostri sis memor in tuis sacrificijs, vti nobis ad finem vsque constemus, non excidere nobis quas à te audiuimus, piæ meditationes, nos tametsi peccatores spiritali quotidie communione reficimus, sacrificij salutaris nobis præsentiam proponentes, sanctè nobis apprecare, veniámque à Deo nobis impetra eorum quæ mente, quæ verbo, quæ opere deliquimus. Memores diuinorum in nos beneficiorum, labores non timemus, neque vitam æstimamus, imò has ipsas vires animúmque quem in nostris pectoribus experimur Dei Beneficium esse intelligimus & laborẽ fructus ac præmia quos in educatione nostra Christiana subijsti, pro quibus ex animo gratias agimus. Audio socios reliquos egregiè sibi constare, quod mihi summæ est voluptati, dies noctesque illorum memini, finio postulans vt Deo nos commendes. Vale.

Lauiti soluuntur nonnulli.

24. in custodias missi

Vnius ad Patrem epistola.

Hæc Vrbani Neophyti. Sed ipsi quoque suburbani certant ac vincunt. Illustre est in paucis quod subiungo. In vicino pago adolescens Christianus villico Fideyori Taicosamæ filij seruiebat; is vt erat ethnicus audito eo quod in vrbe gerebatur mille artes adhibet ad adolescentem à Christo auertendum: sed cum omnia frustra tentasset in furorem versus adolescentem nudum ad sudem alligat, & arundinum ardentium manipulis totum corpus lentè amburit, crudeliùs vitæ parcens in lento supplicio, quàm si breuiore luctantem animam expulisset. Diu tenuit ea supplicij ratio coronã inuidens lenti sed atrocioris inde certaminis. Sed non defecit animus adolescentẽ etiã cũ lentos inter ignes patientissimè torreretur.

Christianus adolescens lento igni non cedit.

 Ereptus

Ereptus est tandem supplicio ne morte lætaretur, bonísque exutus insignem secum victoriam exportans exulauit. Excurramus nunc in reliquas Cami regionis vrbes, ad Miacenses, & Ozacenses extemplo redituri.

FVXIMI ET SACAIVM SVOS QVOQVE pugiles exhibet.

CAPVT VI.

Fuximi nostrorum sedes.

FVximi Taicosamæ nuper Imperatoris sedes frequentior, arcem habet ex primis Iaponiæ, frænando Miacensi emporio ac reliquis Cami regionibus aptissimam, eam duces quatuor tuentur sex præsidiariorum millibus instructi. Ea in vrbe nostri annos iam ferè duodecim sedem statuerant, sed quoniã regio diplomate nondum fuerat stabilita, retrusa in interiora æde sacra, priuatas ad plateam transeuntium oculis exposuerant, easque ciuis primarij nomine possidebant. Tenuit ea ratio annos omnino decem, donec ante biennium primo illo huius procellæ motu excussus noster sacerdos Miacum se recepit, & ne disturbarentur ædes neophytus ille, cuius nomine possidebantur, Marcum appellabant, in eas emigrauit, sacerdoti nostro, qui Miaco ad festos dies pridie (abest enim miliaria omnino sex) recurrebat, interiora relinquens. Quod cum aliquot menses factitaret, remittente se primo illo furore, nõ dubitauit antiquum tenere, ad quem neophyti de more conueniebant nemine obstrepente, donec recrudescente malo compulsus est cum socijs, vt iam diximus, exulare.

Exscribuntur Christiani.

Nominum exscriptio & cum propinquis certamina nihilo minore constantia quam Ozacæ vel Miaci processerunt, & hoc peculiare quod per eos dies non infrequens concursus fuerit ad baptismum, ita gratia de natura triumphabat. Multa mihi dicenda essent omnia persequenti, verùm iniurius mihi in fortissimos Christi pugiles videbor & iniquus posteritati, nisi pauca selegero. Habebat Oquidonus imperatoris germanus frater, qui arci præerat vna cum alijs quatuor præsidij ducibus militem verè Christianum Petrum nomine (de quo in c. 25. præcedentis libri egimus) cui

quod

quod multum fideret, beneuolus videri voluit, in eo ad defectionem lacessendo, quo carebat illibenter. Varia prælia nihil intentatum dimiserunt, donec ad extremum misit, qui hæc ei renunciaret. Imperatori iam constitutum Patres ad vnum omnes proscribere, templa diruere, Christianos omnes cogere, vt vel Christum vel vitam abdicarent. quo ita posito, quid vltra præstolaretur aut speraret extrema sibi denunciatione renunciaret. Miles ita Christianè respondit, Non suscepi Christi fidem vt Christianorum ceterorum societate gauderem; quod sine exemplo cœpissem sine exemplo conseruabo, templorum ruinas & sacerdotum exilia feram quidem grauatè, sed si ad eandem proscriptionis pœnam vocer, Deum qui nusquam deest licebit in exilio quoque reperire, cuius vnius causa Christum me profiteor venerari. De cetero nemo mihi molestus sit, proscribi me oportet aut mactari. Nec mora, fortunis omnibus exutus iubetur cùm duobus commilitonibus exulare: Quorum certamen ac responsa ipsa rei similitudo, dum reticet, enarrabit.

Solicitanti se Duci Miles Christianè respondet.

Maioribus machinis Marcus ille nostrarum ædium inquilinus impetitur. nam cum vir esset, atque haberetur, in pauperes beneficus, cum quibus opes suas libens partiebatur, auctoritatem ex virtute, beneuolentiam ex beneficio, sibi apud omnes facilè comparat. Ne igitur tali ciue priuarentur ad eum retinendum omnes, vt sibi videbantur, amicè sæuiebant. Alios vt rueret alia spes permouebat, nam cum neophytorum facile primus haberetur, multum ad ceteros inuoluendos illius lapsus pertinebat. Sed conatus omnes irriti ceciderunt. Ergo Nangasaquium tandem emittitur, sed ille pro Christo patiendi cupiditate prouocatus, ab hac sententia leniter appellauit. Aiebat Nangasaquij se amicis abundare, quos domi suæ diuersari constabat, non esse aptum exilij locum, si ad pœnam irrogatur. Sed quia Imperatoris metus non iudicum voluntas reum emittebat, pœnam lenire potius quàm irrogare conabantur. Nangasaquium igitur ire cogitur, qui optaturus putabatur. Sed antequam solueret amici rem dilaturi iudices rogant Marcum sibi tradi, sperare se effecturos vti resipisceret; & verò libentissimè annuerunt, Sed Marcus post increpitos acriter amicos ad

Marcus neophytorum facile primus.

iudices se contulit, affirmans operam ludi, se nullius amori hac in re cessurum. Ergo collacrymantibus ipsis iudicibus Nangasaquium dimittitur.

Eiusdem cũ Vxore exilium.

Ibat Marci comes Marina coniunx, & adoptionis iure filiola cum famulis aliquot. Vbi Nangasaquium peruenisset, non diuturna fuit quies, qua ex causa non satis constat, nisi fortè vt nouo ariete viri constantia quaereretur. Marina reuocatur, quae res Marcum sanè pupugit Marinae periculo trepidantem. Sed dimitti oportuit. Repetita igitur leucarum prope ducentas nauigatione Marina cum filiola patriam repetit nouum certamen initura. Illa igitur capillitium detonsa, quod Nangasaquio soluens fecerat, iudicibus sistitur, quibus multa lacessentibus ita respondit, Si me hac ex causa Nangasaquio reuocastis, nunquam defecturam mactate, aut aeterna seruitute damnate. Qua mentis firmitate tandem euicit, vt quo vellet abire sineretur, & mox Nangasaquium repetens tertia nauigatione ter victrix & exul ad Maritum est reuersa.

Iterata Vxoris certamina.

Neophyti defectoris palinodia.

Ex his qui nomina sua è libro vitae expungi parum generosè diximus permisisse, vnus Feizaimon Ioannes se deinde intuens vires animúmque collegit, cum quo reuersus ad iudices ita palinodiam recantauit, Feci quod non debui Imperatori iniqua iubenti obediturum ostentans. Eius me rei ex animo poenitet ac pudet, Christianus sum, isque viuam ac moriar, vestrum est de me statuere pro arbitratu. Ea res Iudices ita permouit vt atrox illi tormentum, quo defectionis scelus magno meritorum cumulo expiaret, extemplo compararint. Nam è publicis vinculis; quo ex priuata custodia migrauerat, eductum celeberrimo vrbis vico, ad palum conuolutis toto corpore funibus atrociter colligarunt, & vt acrius torquerent pectus illi arundinũ fasciis alligatur. Quinq; dies totos ieiunus, sub dio pluuiũ per eos dies coelũ tulit constantissimè, tametsi nemo ad solatium cum eo colloqui sineretur. Expleto iam spacio quod citra mortẽ vltra non videbatur posse prorogari, soluitur in publicũ carcerem quamprimum detrudendus, quo in paedore totum annum agens, insequenti scribitur capite minor martyrij palmam consecutus vti suo loco videbimus.

Tormentum atrox.

Interea dum Sangamidonus Christianos toto Cami persequitur

tur Imperatori obsecutus, ad Miacensem prætorem literæ veniunt quibus perduellionis ac perfidiæ reus ab eodem Imperatore declaratur, arce fortunísq; omnibus exutus, præter tenues quos in Omi regno censús habebat, eo relegatur. Et obseruatum est non sine stupore, eum arce sua exutum, eo ipso die quo Christianorum ædes Miaci concremari iussit. Ita nihil misero profuit, Imperatoris gratiam Christianorum venatione persequi, cum pro gratia exilium omniúmque bonorum iacturam reportarit.

Sangamidonus Christianorum persecutor fortunis exutus relegatur.

Sacay sesqui mense tardius, quàm alibi toto Cami describi cœpti sunt Christiani, ex eo quod gubernator ante nouum ab Imperatore rescriptum nihil mouerit. Sed tarditatem atrocitate compensauit, quam neophyti tales exceperunt, quales alibi sunt laudati; nec repeto; sed duo solum sine nota non sum ausus omittere. Gregorius inprimis exscriptus, quia fidem sibi euelli minimè patiebatur, domi suę recluditur, quarto pôst die velut iá capitis damnato compedes inijciuntur & domus ianua ferreis clauis occlusa obseratur; dies duodecim adhibitis custodibus, asseruatur, apud quos etiam clausa ianua, ex fenestra declamans ita permouit, vt ab ijs ipsis fortiter occumbendũ prouocaretur. Non defuere ethnici, qui conpedibus pedes exuere voluerant, sed ne fama desertæ ab se fidei hac occasione spargeretur, adduci non potuit, vt annueret. Educitur tandem post diuturnam comparationẽ compedibus impeditus, & manibus post terga reuinctis, aut exportatur potius supino super asserem corpore. Venitur ad locũ supplicij, in quo rẽ seriò agi nihil dubitans Deo, sublata voce coram infinita, quæ ad spectaculũ concurrerat multitudine, gratias reddit immortales, quod se tanto beneficio afficeret imerentẽ. Tum sacra Iesu ac Marię nomina sæpius inuocans ceruicẽ præbet, intentatũ sæpius frustra ictum pręstolatus; hæc enim omnia terrendo, quod in mandatis aliud haberent nihil, nõ iugulando pugili parabantur. Soluitur tandẽ satis inuitus, & in arreptam manum calamũ immittentes inuitum chirographum per vim exprimebant. Verùm ille laxata manu calamum dimittens præstolantes elusit; & tamẽ excitato tumultu succlamatur. Defecit à Christo. Sed Gregorius altius vocẽ tollens, inuito murmure clarè exaudiebatur cũ diceret, Nõ defeci, sed nec deficiá, & tamẽ soluitur liberq; dimittitur. Nec ita multò pôst insigne facinus ethnici quidá admirati, Gregorium

Sacay describuntur Christiani.

Gregorius domi sua clauditur.

Cum morte luctatur.

Vincit.

Victor ab ethnicis depingitur.

rium in throno victorem pingunt, abiectis ad eius pedes viris decem à quibus delatus credebatur ad iudices, Inscriptio addita erat, Christianus permansit. Ea pictura ad delatores delata, magnam Gregorio ceterísque neophytis velut insultantibus inuidiam conciliauit, cui vt cederet, ne exasperatis ciuium animis grauius in Christianos sæuiretur, Nangasaquij ad hanc diem sponte exulauit.

Sponte exulat.

Sexennis puerili constantia.

Nescio an admirabilius sit in puero quod sequitur, quàm quod in viro præcessit. Id temporis nullus sermo], nisi de martyrio inter neophytos: quid enim potius? Ergo parentes puerum sexennem Thomam vt probarent adorti dixerunt, Breui nos pro Christo moriemur, tu superstes quid acturus es? martyr ero, ait puer, non superstes. tum parentes: martyrium difficilius est, quàm putes, aut enim actus in crucem lancea cor transuerberaberis, aut lento viuus igne torreberis; si ferri candentis particulam manu tractare nō potes, quî poteris maiora tolerare. Tacuit puerulus & forcipes in ignē inijciens candentes arripuisset, nisi parentes qui eum obseruabant, impedissent. quod ille ferens molestè non potuit à lacrymis cohiberi, nisi postquam audiuit, se iam satis animi habere ad martyrium tolerandum, ad quod euocati eum essent secum abducturi. Hæc igitur ex multis Sacay contigerunt, in quibus enarrandis interim dum immoramur de neophytis in fide sua pertinacibus vt aiebant ab Imperatore responsum aduenit.

QVID CIRCA NEOPHYTOS QVI SIBI constiterant sanxerit Imperator.

CAPVT VII.

Miaci & Ozacæ plures in domesticis vinculis suæ in seruata religione firmitatis à tyranno pœnam, à supremo Imperatore præmium expectabant. Ineunte itaq; Aprili ex aula rescribitur non vna in omnes sententia. Triplicem supra neophytorū classem insinuaui, Infimam eorum qui ex Christianorum albo nomina sua expungi consenserant, mediam eorū, qui non consenserant quidem sed factum dissimulauerant minimè reclamantes, supremam eorum, qui nullam remissioris animi notam, nullam fraudis suspicionem admiserant, In hos duplex rescriptum fuit. Nam Iulia cum

cum reliquo suo sacratiore gynæceo Nangasaquium amandatur, eandem cum patribus extra Iaponiam nauigaturis aleam sortitura; ceteri neophyti supremi ordinis in extremam Iaponiæ oram, vt mox dicam, relegantur. Infimæ ac mediæ classis, tametsi multum reipsa inter se discreparent, nullum discrimen apud Imperatorem fuit, ideo quod æquè omnes à Christo defecisse dicerentur. De his hoc rescriptum fuit, vt eligerent è sectis Iaponensibus in quã transirent, éque sacrificulis magistrum cuius se disciplinæ traderent recudendos, eiúsque rei tum à discipulo tum à magistro scriptam sponsionem exigerent magistratus. Cum itaque tres neophytorum ordines in duos sese contraxerint, eum sequar ordinem, de supremo priùs, de infimo capite insequente, de vtrísque illustria sanè Christianæ constantiæ facinora tractaturus.

Rescriptum ex aula in Christianos.

Aliud in desertores.

Indicitur ergo Miaci & Ozacæ, vt ad certam diem quæ fuit Aprilis 13. Miacenses septem supra quadraginta, Ozacenses quatuor & viginti pro foribus palatij, in quo Miacensis prætor degebat, se sisterent, ex eo loco simul omnes cum armata militum manu exilium suum ingressuri. Exilij locus Tzugaru dicebatur, extrema Iaponiæ in Boream plaga, sua prope solitudine cœli inclementiam solíque sterilitatem incusans. Ergo ad condictam diem neophyti vnus supra septuaginta iustum agmen, omnes in ea veste quam sibi quisque lætissimam ad alacritatis indicium elegerant, pro foribus Prætoris constiterunt, ibíque ab eodem traditi præfectis militum duobus qui dynastam tristis exilij dominum agnoscebant, maiori exulum voluntate dimittuntur, quàm præfectorum qui eos abducebant. Nam cum aduertissent, ex ijs plerosque nobilitate ac militari laude conspicuos haberi, refugere cœperunt eorũ curam cũ exigua militum manu suo periculo suscipere, nisi vinculis aut inusto cauterio fugam desperaturi mitterentur. Subrisit prætor, aitque. Facile apparet, vos huius sectę scita, & illorum, qui eam profitentur animos ignorare, quos ego fustibus ac vinculis nõ continebo, quin exilio damnati discedant, vos illos fugâ metuitis vt quærant libertatem; libertas in eorum manibus est, vnico eam verbulo possent si vellent recipere, atq; vtinam in mea esset manu; tales animos à me non amandarem. Ite, pro illis ego spondeo, & fugæ damnũ, si quod

Sistuntur ad palatiũ 71. in exilium abituri.

Prætoris de neophytorũ constantia certitudo.

erit, meo periculo præstabo. Omnes igitur humanissimè salutatos rebúsque ad iter necessarijs donatos, equites etiam illibens à se prętor amandauit. Fortè subduxerant parentes ex proscriptorũ numero puerum, & equus vnus cum ceteri conscendissent, sessorem expectabat. Eam rem præfecti nondum de fuga securi querebantur, quærebántq; quis è numero deesset; adolescens alius qui tum fortè aderat diuino repente ardore correptus exclamat: nemo inquam deest, adsum ceteris: & alacriter in equum sponte exulaturus insilijt, & pia sollicitos exulum præfectos fraude delusit: ac tametsi Petrum dici non nesciamus, huic etiã Adaucti prænomen præfigatur.

Nouus Adauctus locum absentis occupat.

Educuntur in exilium.

Ibant medio die per celebriores vicos in oculis clarissimæ ciuitatis, velut castrorum acies ordinata. Filiæ Miacenses venite, & videte Christi confessores cum coronis quibus coronauit eos dominus in die solennitatis & lętitię. Nec frustra euocantur ad hoc spectaculum: concurrerat prope seséq; effuderat ciuitas vniuersa, cuius tametsi sensus fuit varius, in vna tamẽ omnes tanti facinoris admiratione conuenerunt. Neophyti magno numero totum illum diẽ abeuntes prosecuti pompam augebant, suámq; fidem profitebantur. Iter ea die trium leucarum fuit ad ingentem lacum, quem à magnitudine Iapones aquæ potabilis mare appellant. In eo nauigaturi neophyti posterã lucem expectarunt. Cum neophytis Miacũ redituris nocturna fuit collocutio, tanto animi sensu erumpens vt inde pleriq; animos quos postea præbuerũt credi possint resumpsisse. Optabant nostri cũ proscriptis solatio futurũ è numero suo, qui Miaci ex latebris rem Christianã procurabat, sacerdotem destinare. Sed alia nostrorum facies totiúsq; oris compositio nihil à mutata veste secreti habet. Ergo vnum ex alumnis indigenis, quorũ opera in huius Ecclesiæ gubernatione vtuntur, rogat qui cæteris pręerat, vt voluntarium exilium pro Christo suscipiens, nostrorum vicem subire ne grauetur: quod ille, vt erat religiosus, aggressus est perlubenter; &, vt erat rerum diuinarum bene peritus, perfecit sapienter.

Exules Tzuruga diu detenti.

Intra dies aliquot ad portum vnde in Boream suum erant soluturi deuenerunt, loco nomen est Tzuruga in regno Yechijen. Et quoniam nondum aduenerat solita nauigandi tempestas, multos dies in dimidiatum vsq; Maium ibidem substiterunt. Operæ pretium est

cum

cum ijs tantiſper immorari ac videre quibus exercitationibus exilij ſui moleſtias fallerent, tametſi corpuſculi labores augerent. Et quoniam per eos dies Miaco & Ozaca plurimi ad eos viſendos accurrerunt, ne quid augere videar, narratricem neophyti viſitatoris epiſtolam ad noſtrum Sacerdotem. P. Baptiſtam qui Ozacæ porro ꝓfuerat inſerere à narratione noſtra nõ videtur alienũ. Ita ſe habet.

Viceſimo ac ſecundo die, lunæ tertiæ (qui fuit Aprilis 30.) ad viſendos exules noſtros excurri, & eos in Tzurugano portu etiam tũ præſtolantes inueni; omnium quæ apud eos tranſiguntur fui admirator, & ita redij affectus, vt Ozacenſibus noſtris ea referens expleri non poſſim. Sanctè affirmo me quoties tantæ alacritatis in tot laboribus recurrit memoria, mirum in modum interiore mentis iubilo exultare, ſed continuo pudere, quod ab ea virtute mihi videar tanto remotus interuallo. Ad vnum omnes viri ac mulieres crinem raſerunt, (quod cuius gratia fiat ſæpe iam monui) nullo non die ter ad orationẽ cōmunem vnius horæ conueniebant, reliquũ tempus diſtributis inter ſe officijs ad cōmune laborum leuamẽ exigebant. Ludouicus ilie noſter ita vt nouimus tenerè ſemper educatus me ſane permouit; annos tredecim non amplius natus nullius muneris abiectione terretur, vidi illum patinas eluentẽ ceteráq; vilia ſeruitiorũ obſequia honorantem. Illis ipſis narratoribus audiui, eos, cum primùm aduenifſent ſimul omnes in horreũ imiſſos, & inſtar pecorum numeratos illa ipſa nocte in nuda humo pnoctaſſe, ſed ſumã omniũ exultatione quod tum inciperent primos illos naſcentis Eccleſiæ Confeſſores rerum aſperiorum tolerantia imitari, nocte inſequenti lautius habiti ſinguli ſingulas ſtoreas acceperunt. Cibus erat illis Orizæ vulgarioris ſcutella cũ leguminum iuſculo, ꝗ ſola fames abſumeret; bis quotidie reficiebantur, eámq; viuendi rationẽ tenuerunt, quam diu eo in portu ſubſtiterunt. Loci primores paulatim ex eorũ viuendi ratione in admirationẽ verſi benignius illos habere cœperunt, & officioſis ſubinde conuiuijs ex ijs aliquos frequentare. Præfecti militũ primoribus narrabant, ſe cũ Miaco diſcederent, ſubueritos hãc multitudinẽ parua militũ manu educere, ſed mox ſententiã mutaſſe: & nunc intelligere legẽ eã quę volũtaria exilia ſuſcipit verã eſſe, & in ea quæ à ſui ſequacib⁹ ſimilia impetrat, ſalutẽ ꝓcul dubio

Quid ibi egerint.

Ethnicorum militum de fide noſtra iudicium.

inueniri; quam, si aliud fecissent, æterna falsitatis nota damnassent, séq; ipsos nisi tanto Imperatoris rigore ab ea suscipienda deterrerentur, de illius veritate quæ docentur audituros. Hæc & alia tum milites tū loci primores, per eos dies inter se conferebant, permoti ea vitæ sanctimonia, quam Dei serui omnium oculis exhibebant. Hæc omnia vidi meis oculis, & alia quamplurima, quæ me omnia scribere posse despero. Hæc ille. Nostri autem exules 20. Maij ex eo portu soluentes prospera nauigatione exilij locum tenuerunt, vbi à dynasta perhumaniter excepti scribuntur etiam ad vitam sustinendam necessarijs subsidijs ex eius liberalitate instructi.

Iulia ac matronæ in exilium amandantur.

Dimissis in hunc fere modum fortissimis Christi pugilibus, in Iuliam ac socias, & in alias nouem matronas, quæ separatim inter se quoque conuiuebant, exilij sententia executioni demandatur. Pari ergo cum superioribus alacritate, ordine apparatu, dimittuntur, & prospera nauigatione Nangasaquium appellunt, vbi ab omnibus excipiuntur prout earum virtus, labores, ac merita postulabant. Iis misericordiæ sodalitium de necessario sumptu prouidit: & quidem eo in portu tantisper conquiescant, donec à nobis reuisantur.

VT CAETERI NEOPHYTI SESE PRO RE- *scripto Imperatoris habuerint.*

CAPVT VIII.

NOn fuit eorum neophytorum, qui domi remanserant, melior conditio, quotquot enim nolentes aut volentes, conscij vel inscij ex primo Christianorum albo expuncti reperiebantur, in eos æquè omnes ex Imperatoris rescripto, lege agebatur, vt sectam ac magistrum scripto eligerent, & ab eodem in disciplinam admitterentur. Neophytorum non fuit vna in hoc negotio procedendi ratio; quidam absentia sua futuras molestias fefellerunt, alij tempori potius quàm æternitati seruientes, Imperatori verba dederunt, Deo cor suum, non satis cordatè reseruarunt. Pleriq; cum negarent se Iaponensem sectam aut sacrificulum aliquem in magistrum electuros, à parentibus, propinquis, amicisq; quorum opera nomina per fraudem tabulis publicis subducta cōstabat, ab ea mente de-

Qui desertores credebantur quo modo se habuerint.

te deterrentur, veritis, ne detecta fraus in auctorum perniciem resiliret, & si nihil impetrabant, dolũ dolo velut centonem consuentes, facilè à sacrificulis tenui largitione impetrarũt, vt falsum chirographũ vel acciperent, vel ipsi darent. Et fortasse aliqui neophyti, fraudem pati, non facere religioni sibi ducendũ non putarunt, multi tamen initio se fraudẽ passos ignorarunt. Has omnes artes ac dolos nõ erat difficile magistratibus obtrudere, quod falli mallent quã refelli.

Hinc factum est vt duos fere menses Christianæ res satis quietè fluerent, totáque iam furoris Imperatorij flama sopita videretur. Sed ignes suppositi cineri doloso breui reuixerunt, non à magistratibus excitati, qui eos vel extinctos, vel sopitos esse negligebant, sed nouo neophytorum ardore, qui diutius tegi dolis non potuit, aut intra cordis latebras contineri. Cœpit incendium ab inferiore vrbis regione (in duas quippe diuiditur) habentque sub vno gubernatore suos singulæ magistratus; ibi permulti erant, qui tametsi nullo modo defecerant, offensionem tamen dedisse sibi religioni ducebant ideo, quod in re tanti momenti conniuerent, & passim pro desertoribus haberentur. Ergo ad eos magistratus se conferre cœperunt, & apud eos testari se neq; hactenus defecisse, neq; in posterũ à Christo defecturos. Illius regionis moderatores, quod scirent vrbani prætoris mentem id maximè spectare vt Imperatori satisfieret potius, quàm Christianos vexaret, mitius recantatores recepere, nobiliores enim amicè monebant, se nihil de ipsorum religione curare, sed monere vt sine tumultu id facerent, ac Imperatoris offensione. Vulgus autem acriter increpitum famuli fustibus extrudebant, aut vincula se iniecturos minabantur aliásque pœnas intentabant. Nemo tamen inde discedebat qui non obtrusisset etiam inuitis fidei suæ scriptam professionem, vico etiam in quo commorabantur adiecto.

Fraudem sibi factam detegunt & queruntur.

Non eadem fuit in supremæ regionis moderatoribus lenitas, vel quòd prætoris mentem ignorarent, vel quod remissionis in se notam suscipere nollent. Quotquot enim ad eos veniebant de facta sibi fraude queruli, aut suæ fidei professores, eos domi suæ denuo adhibitis custodibus iubebant asseruari. Ethnici autem veriti ne fraudis rei pœnas luerent, perfidiæ neophytos incusabant, quod

In suos errores relaberentur, quos prius eiurarant: ita perfidia fidem ludebat, mutatisque nominibus ac mentito vultu alia pro alia sumebatur. Multa in hoc genere sanè præclara contigerunt. selectiora pauca meo persequar instituto, quo statui nec omnia percurrere, nec omnia exhaurire.

Ineunte Iulio neophyti duo (quorum alterius mater ac frater senior exilio superiore patriam amiserant vt fidem conseruarent) cum apud iudices fraudem aperuissent, sibique factam iniuriam quererentur in domestica vincula retrusi præterita cum amicis prælia fortiter integrarunt, & tandem ad prætorem adducti pœnam sperabant. Prima die audiri non potuerunt, ergo domum reducti in diem insequentem differuntur, diuino fortasse cõsilio, vt tres numero sacro depugnarent. Ipsa enim nocte alius eadẽ professus, qui ceteris auctor erat gloriosi pro fide facinoris, rogabat die insequenti ad prætorem duci, quod & impetrauit. Ergo cũ tres cum vniuersa familia tredecim omnino capitum in curiam venissent, traduntur excutiendi prætoris ministro primario, cui res Christianorum fuerant demandatæ, ab eo rogantur tertio ne antiqua vlcera refricent, sed in sua pace per ipsum prætorem permissa conquiescant, neque relicta iam peregrina sacra repetant. Atqui hoc est, inquiunt, quod aduenimus negaturi, Christique fidem etiam proposita morte professuri. Eo responso minister excanduit; & mox iniecto in funem collo, & manibus post tergum ita reuinctis, vt extemplo intumuerint, Prætori sistuntur, durisque verbis increpiti iubentur aut Christum negare, aut ignominiosè per vrbis vicos eo habitu trahi, mulieres verò in lupanar abduci. Cum Christum nihilominus confiterentur, lenonibus tribus lupanarium præfectis, qui ad eam rem venerant, euocati, traduntur. Sed lenones eam modestiam reueriti restiterunt, profitentes sibi non licere sine suo periculo tales in fidẽ suam recipere, quas satis certum esset illatis sibi manibus aut fuga honori suo & integritati consulturas. Fallimini, ait prætor, hoc hominum genus in religionis causa fugere nescit, & sibi manus afferre nefas putat. Abducuntur igitur, quas deinde numero mox aucto gloriosi facinoris admiratione defixi reuisemus.

Christi fidem profitentur.

Matrona in lupanar abducuntur.

Viri per habitatiores vrbis vicos ad pontem alterum reorum suppli-

supplicio destinatum pertrahuntur, præeunte præcone qui diceret: Hi quia Christianam fidem, quã reliquerant, denuo repetiuere, plectuntur. Sed, *cùm dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me gaudete & exultate:* secum ipsi repetebant, totum eum diem inspectante innumera multitudine substiterunt. Interim ex alio vico alij duo pari de prætore victoria potiti, præmium illius similem pœnã impetrarunt, & ita pœne duplicato numero & gaudio quinq; spectabantur. Ad eos confirmandos alumni tres à nostris, qui per cuniculos Infidelitatis arcem expugnabant, dimissi, è quibus vnus ad neophytos intra illum vicum, quem Christianum supra diximus appellari, excurrit, monuítque vt distributas inter se horas quadraginta solida oratione decurrerent, Deúmque pro neophytorum constantia exorarent. Sub noctem in custodiam publicam abducuntur, solutisque vinculis collum circulo ferreo cinctum funibus astringitur, itaque totam noctem in nuda humo pernoctant. *Viri ad reorum locum ignominiosè trahuntur*

Primo diluculo neophytorum charitas carnificũ tormenta præuenit. cum enim suspicarentur fore, vt repetita ignominia iterum tentarentur, reficiendis corporibus obsonia cõtulerunt, quibus vix bene confirmati, à tribus prætorianis ministris qui frequenti satellitio stipati aduenerant in vicum publicum educuntur, ibiq; denuo sua vincula induti ad alium pontem æque reorum supplicio infamem abducuntur, ibiq; totũ diem spectandi ad ligneos pontis cancellos alligantur. Quod dum fieret vnus è ministris prætorianis ita carnifices dicitur cohortatus. Gubernatori nõ satis probata est hesterna vestra remissio, qua factum est, vt rei nullius collum inserti funes amputarint, Agite nunc & hodierna contentione hesternam remissionem compensate; cuius vita periclitabitur, id erit meo periculo, ego vos indemnes impunésq; præstabo. Facilè sæuierunt ad sæuiendum inclinati, nam in pedum extremos vngues erecti nõ amplius insistebant, quã quantum ad sensum tormentorum incolumi vita satis esse videretur. In quo tormento cum pœne incluso spiritu præfocarentur, duo à sensibus abalienati ita defecerunt, vt neophyti Iesum ac Mariam in morientium auxilium inuocarent. Et sane nisi astantium precibus carnifices inclinati aliquid laxassent, ad vnum omnes incluso spiritu perijssent.

Interim dum nostri athletæ torquentur ac spectantur, alius neophy-

Alius inter iumentorum cadauera vi- uus proijci- tur.

phytus à vicinis ad prætorem defertur, quod ausus esset non secus ac ceteri Christi fidem denuo profiteri. Euocatur extemplo, sed eum tantus repente lumborum dolor inuaserat, vt quo animus volebat corpus ire renuerit. Ergo asseri, supino corpore, impositus deportatur, quem prætor tentata incassum constantia, iussit sub vrbem ad ripam fluminis vbi iumentorum cadauera computrescunt, exportari. Hîc reliquum diem continuo imbri expositus mansit. Nocturnæ tenebræ neophytos hominem fœtori, dolori, pluuióque cœlo subducentes adiuuerunt. Sed illius vxor ac filia, quin ad publicum lupanar cum ceteris ducerentur, impediri nō potuit, vbi in reliquarum comitatu, didicerunt à marito Deum vbique præsentem, posse vbique reperiri.

Tertiò exponuntur.

Sub noctem denuo qui ad pontem spectabantur, in pœdorem suum retracti nouo in labore nihilo quàm heri mitiore quieuerunt: iterúmque insequente diluculo educti ad tertium pontem eundem in modum vinciuntur. Inter spectatores aduenere sacrificuli nonnulli, quos vincti nostri linguæ, cuius vnius libertate fruebantur, telis à se propulsarunt. Impostores illos appellabant, quorum fraudibus tot mortales æternum interirent. Non defuere etiam qui cōsputos eos Christiano fastidio simulacrorum horrorē testante execrarentur. Ad reliquam verò multitudinem placidè conuersi hæc in verba proruperunt. Aduertite nos qui hæc sponte patimur id facere inductos ea lege, quæ salutem mortalibus æternam promittit & confert, quæ nisi veritas nobis clarè constaret, planè dubia præmia certis pœnis emere detrectaremus. Nox tandem vt prius pœnam locúmque mutatura superuenit, nec amplius in arenam reducti spectati sunt: sed in publico pœdore annum integrum, ad Imperatoris mortem vsq;, lenta morte cū multis quotidie malis conflictati moriuntur. Sed nihil de semel concepta firmitate dimittunt, & alacres diuinum de se nutum præstolantur.

Matronæ in lupanari quid egerint.

Sed quid matronæ nostræ in suo meretricio vico in aliquot lupanaria distributæ? decem fuisse constat: quarum hoc fuit primum, scisso capillitio nuncium rebus omnibus, quanto magis impuris voluptatibus remittere, tum oratione frequenti lupanar in ædem consecrare. Nec defuere aliquot quarum forma fortasse

libi-

libidinem incitaſſet, quæ non ſine antiquitatis exemplo vultum ſibi vel leui vulneratione effuſoque ſanguine fœdarent, ita vt horrorem potius quam libidinem incitarent. qua ex cauſa lenonum, qui lucra ſpectabant, vincula piſtrinúmque tolerarunt. Conſtat deinde à neophytis precio eductas apud probum virum æquè Chriſtianum aſſeruari, & magnam diei partem ſacris exercitationibus abſumentes, diuinam de ſe voluntatem dèque coniugibus hactenus præſtolari. Hoc paucorum exemplo conſtantiáque, ſcribunt noſtri plerosque neophytos qui aliquid humani patientes quoquo modo defecerant, reſipuiſſe & fidem profeſſos offenſionem ſuſtuliſſe.

CANAZAVA EXVLVM TVRMA NANgaſaquium amandatur.

CAPVT IX.

IMber ſubitus ex alto cadens in varios torrentes excurrit, donec in vnum concurrentes aquæ vno eodemque curſu in mare deferuntur. Non abſimilis huic mihi videtur apud Iaponios hic imperatorij furoris turbo è ſummo dignitatis vertice decidens, qui varias regiones percurrit & ingentem proſcriptorum concurſum Nangaſaquienſi in portu cœpit. Hic torrentium concurſus à ſuis originibus eductus à varijs partibus, ſenſim à nobis Nangaſaquium adducetur, vt inde collecti fluctus extra Iaponicas inſulas in mare deferantur. Et quoniam in æquor auſtrale decurrunt, poſtquam imperij culmen Miacum ſuas aquas, vt vidimus, emiſit, remotiſſimus ab Aquilone torrens vt Nangaſaquium excurrat aduocetur.

Borealia regna Iaponij Fotiocu vocant, tribus dynaſta Fyendono, Cangam Notum & Yechû moderatur. Canazauæ, in regno Canga Societas noſtra ſedem annos iam duodecim fixerat, in vmbra Iuſti Vcondoni, quem annales noſtri notiorem fecere, quàm vt opus ſit alio quam proprio nomine tantum virum compellare. Is aliquoties exul quocumque ferebatur Chriſtianæ ſecum religionis coloniam deducere videbatur. Et quoniam dynaſta rei Chriſtianæ fauere credebatur, ex varijs eo regnis non pauci concurrerant, quos *Canazaua quis rei Chriſtianæ ſtatus ante perſecutionem.*

ille annuo censu pro sua quemque dignitate cohonestabat: quibus fiebat vt non paucos haberet ordinis militaris apud se Christianos, quos alia regna in hos Iaponiæ fines eiecerant. In eo domicilio sacerdos è nostris vnus cum socio alijsque administris sumptu Iusti rem Christianam eo promouerat, vt iam Canazaua paucis cederet Iaponensis Ecclesiæ noualibus, & propediem plura sponderet, nisi spem in hac procella fefellisset.

Canazaua Nostri pelluntur.

Hic erat rerum status Canazauę, cum ex improuiso auditur, quid de Christianis ediceret imperator, eaq; fama ita tardè huc delata est, vt simul fere cum imperio & edicto veniret, tempúsq; Iusto defuerit ad sacerdotem nostrum ne pelleretur occultandum; dimitti illum oportuit eo sensu luctúq; quem alibi tetigimus, nec vbiq; repetimus. Venit is Ozacam, & inde cum ceteris, qui è Cami pellebantur Nangasaquium, vt supra vidimus, nauigauit.

Nobilißimi duo Iustus ac Ioannes cum familia proscribuntur.

Triduo post nec amplius quàm nostri Canazaua discesserant, dynasta sanè illibens Imperatoris voluntatem Iusto, ac Ioanni nobilissimarum familiarum capitibus denunciat, vt vel Christum abdicent, vel Miacum ad vrbanum prætorem ablegentur à quo sententiam de futuro suo statu expectent. Ad hanc denunciationem cum amici plures suas preces addidissent, firmissimis, vt sibi videbatur rationibus comunitas, aliud nihil audierunt, quam vultu ad seueritatē composito hanc æquè seueram compositámq; sententiam: Apud eos qui iam diu norunt quid sit esse Christianum, nec serio nec ioco quæ dicitis obtruduntur. Ergo venerandi senes duo plusquam sexagenarij, bis exules nihil morati se ad iter cōpararunt. Iusto erant nepotes quinq; in ea omnes ætate, vt adolescere domestica copia potius quam exilij laboribus & inopia deficere deberent, nam natu maximus annum sextum & decimū, minimus octauum nondū excesserat. Iusta coniunx marito simillima. Vtriusq; filia iam coniugio illigata cum primario gubernatoris horum trium regnorū filio, qui iam hæreditatem paternam aditurus quadraginta prope aureorum millia numerabat, & tamen parentem sequi maluit inopem, quam apud copiosum maritum remanere, qui volebat ipse quoq; dimissis omnibus eandem fortunā sequi, sicut vtriusq; suasu occultè quidē fidem susceperat, nisi Iustus socer generū impedisset, quem ad spem

fami-

familiæ superesse voluit, cùm minimè pelleretur. Ioannes verò quondam regni Tambæ regulus è regno Fingo deinde Christi causa proscriptus huc venerat, & tametsi seniũ vrgeret aduersáq; valetudo, Christianæ tamen legis amor omnia superauit, propter eum qui dilexit nos. Parentem secutus est Thomas iá familiæ suæ caput, ab ipso quoq; Fyendono nominatim proscriptus.

Hi vna cum suis iustam cohortem Iusto duce conficiebant, quibus ad exilij longioris comparationem hiberno maxime tempore cum Februario mense gelu ac niuibus maximè apud Boreales rigerent omnia, dies vnus cõceditur, qui prope totus abijt in vestibus ad propulsanda frigora cõcinnandis. In discessu maxime patuit, quanta animi magnitudine omnia pro Christo dimitterent. Iustus enim ad dynastæ fratrem natu minorẽ Chiuctendonum qui Canazauæ imperitabat totius prouinciæ hæres sexaginta auri segmenta, quorum singula quinquaginta aureos nostrates valẽt, dono misit in hęc verba; se pro eo quod huius anni censum collegisset, quẽ in herilibus obsequijs expendere non licebat, hæc mittere ad demonstrandam propensam obsequendi voluntatem. Et ad Figendonum vas quod apud ipsos in magno precio est, ad certam herbam conseruandam. sed hic dolens de Iusti exilio munus cum fœnore remisit, in exilij solatium expendendum. Domesticæ tamen supellectilis magnam partem quam distrahere possent sponte dimiserunt. *Omnia pro Christo generosè dimittunt.*

Februarius igitur cum vigesimum quintum numeraret exulibus nostris diem dixit. Eum diẽ dynasta cum suis non sine armis obseruabat, veritus ne fortè iniuriam vlturi Iaponensi more sæuirent, qui arma iam diu tractarant, ex eaq; tractatione per tot iam annos nomẽ sibi compararãt. Subodoratus est Iustus quod erat, missoq; ad dynastam Chicuzendonũ nuncio significauit nõ solum se ab amicissimo dynasta nihil repetere, sed multo minus Christianis sibi legibus licere vt exiliũ suum vllius iniuria fędaret, alijs se nunc armis dimicaturũ quã olim cõsuesset, è Christi mansuetudine ac patientia petitis, quibus seipsos potius quã alios vincere docentur Christiani. Ad eã denunciationẽ conquieuerunt omnes, effusiq; illos cominatantur quos ante suspectos habuerãt. Nõ pauci lachrymis iñocentiã plecti deplorabãt, & comiseratione permoti plus sentiebãt aliena damna, quàm illi propria. Nonnulli rei magnitudinem introspicientes ex- *Canazana excedunt.*

clamabant, planè res magna est lex Christiana, cuius causa viri tanti tanto iudicio tantáque virtute præditi non dubitant fortunas, honorem, vitamque prodigere.

Vnum diem aberant Canazaua, cum ecce tibi sub quietis initia rumor increbuit armatos milites imminere, qui ad eos obtruncandos mittebantur. Iustus noui iam ductor exercitus nihil dubius ex Iaponensi consuetudine fieri posse, vt non sine causa rumor aduenisset, suos cohortari armísque cœlestibus munire occæpit. Mortem vt omnes arbitrabantur, imminentem genibus nixi præstolabantur, à Deo postulantes, vt verum esset, quod naturâ timebatur. Sed paulo post discussa falsitatis nube veritas sese exeruit, & constitit rumorem illum à famulis sola suspicione permotis erupisse, piguítque sperantes minus vera sperauisse. Pergunt igitur, perque asperos montes niues calcant, non iumentorum solum vngulis, sed proprijs subinde pedibus cum itinerum angustiæ id postularent, in quibus Iustus ætatis immemor ceteros anteibat, & nepotibus auus addebat exemplo quod nondũ ætas concedebat. Hoc fuit primum in quo tenera Christi cohors inexpertos labores experta supra ætatem, sexum, educationemque se promouit, & in huiusmodi laboribus decimo die in oppidum Sacamoto tribus ab vrbe Miaco leucis constitit nonnihil quietis accepturus, donec à prætore, quid de se statueretur, inaudirent.

Audito Iusti aduentu cum sua cohorte, prætor satis formidauit fore, vt Miacum ingressi Neophytorum animos exemplo constantiæ ita augerent, vt lapsi quoq; ipsi damnato lapsu assurgerent, nedum qui ad id tempus steterant, sibi magis magisque constarent. Ergo per literas monet duces quorum custodiæ commendati veniebant, vt eodem in loco subsisterent, donec ab Imperatore nouum rescriptum aduenirer. In eo igitur oppido triginta totos dies substiterunt. Quo tempore non defuere, qui nepotes saluos cuperent, qui familiam suaderent conseruandam. Verum ex hac ipsa concertatione Iustus ac Ioannes exulum primipili intellexerunt fieri posse, vt è tribus vnum ab regia deueniret, vel vt ibidem mactarentur, vel vt in regiam ad supplicium exemplumque ceterorum abducerentur, vel denique, vt alij ab alijs diuulsi varias in regiones

Tribus à Miaco leucis subsistunt.

nes

nes abducerentur eò facilius à Christo defecturi. Hoc postremum præ cæteris metuebat Iustus periculi magnitudinem attendens, cui vt mederetur effecit, vt communi coniuratione conspirarent nemini se vel iurato credituros aut assensuros, filium, nepotem, nurum, socerúmue aut quemlibet alium à Christo defecisse.

Verum huius coniurationis fructus in sola stetit voluntatis in suam fidem propensione. Nam post dies triginta rescribitur ab Imperatore vt viri puerique omnes Nangasaquium amandarentur, fœminæ ac puellæ Miaci habitare sinerentur, ita tamen vt vtrisque famuli ad necessaria vitæ obsequia subtraherentur. Sed reperiri non potuit vel vna, quæ non voluerit cum suis exulare. Detracto igitur omni satellitio ac famulorum auxilijs, soluunt Nangasaquium versus, & initio gens delicijs assueta seruilibusque obsequijs delinita, sibi seruiebat ipsi (cum nihil sit quod Christi causa refugiat, qui eius amorem omnibus anteponit) donec ipsi nautæ tanti laboris commiseratione permoti pro famulis esse cœperunt, quorum auxilijs subleuati tandem Nangasaquium peruenerunt, & nostrorum ceterorumque beneuolentia excepti præteritos labores obliuiscuntur, & interim dum longius amandantur Christianæ se legis libertate solantur. *Nangasaquium amandantur.*

Ita Iustus à suis abiens suos inuenit, Deúmque ipsum cuius immensitas occupat vniuersa. De Iusto Buiensis dynasta, postquam exulare percrebuit, dixisse fertur, Nunc quidem Iustus hoc vltimo suo facinore vetera sua facinora velut sigillo muniuit, quod nisi fecisset fœdauerat vniuersa.

Canazauæ non solus Iustus aut Ioannes cum suis, huius furoris impetum excepit. Thomas alius nobilis ex ordine militari iubetur exulare in extremas Iaponiæ oras, quo Miacenses neophyti missi fuerant amandatus. Is postquam Xacam post filios iam Christianos obstinatè coluisset, Christum tandem agnouerat, serò quidem sed seriò, nam in suburbanum secessum orationis causa sæpius secedebat, etiam posteaquam ad regni gubernationem admotus à dynasta, vnus è quatuor omnia quæ ad lites pertinebant moderabatur. Hinc habuisse credi potest eam firmitatem, qua deinde prælijs *Thomas nobilis neophytus relegatur.*

acerrimis impetitus sibi constitit, donec fortunis omnibus exutus vna cum tribus filijs exularet.

Sed neque indictus nobis abire debet inuictus Christi Athleta cuius certamen in idem ferè tempus ibidem incurrit. Nobilis quidam toparcha Christianos habebat asseclas nonnullos. Ex ijs vnum aggressus vt à Christo discederet hoc responsum accepit, Ego, here, tanta luce Christi fidem penetraui; vt ab ea discedere non possim; qua in re nullam tibi me arbitror iniuriam facere, cum hac ipsa lege arctius tibi obsequendi legibus astringar. Sapiens responsum parum sapienter herus tulit, & educto pugione grauiter illum vulnerat; cumque pergeret in genua nixum secundúmque vulnus præstolantem confodere, astantium misericordia ereptus martyrij coronam amisit, si amissurus est quod sua culpa non dimisit. Dicuntur Neophyti qui eum eripuerant, piè magis quàm doctè dubitasse num sine religione liceret illius vulnus obligare, artéque medica morti gloriosæ Christi martyrem subducere. Sed euicit tandem pietas Christiana, ipseque prope martyr doluit ereptum se fuisse periculo, maluissetque hoc euentu crudeles in se neophytos quam pios experiri.

Neophytus quidam ab Hero propè occiditur.

QVIS ECCLESIAE STATVS FVERIT HOC *tempore Firoxima.*

CAPVT X.

Firoxima in regno Aqui diuturno dynastæ fauore (Tayudono dicebatur) ita Christi gregem annuis augebat incrementis, vt hoc tempore nullo loco res Christiana esset ornatior, verum in communi ruina lenius quidem sed oppressa tamen est, non illibente tantum sed inuito quoque regulo, ne res suas alieno fauori posthaberet. Degebat ille tum in aula principis Yendo, vnde post Imperatoris edicta scripsit literas, quibus mandabat vti nostri maximo cum honore, sed tamen omnino dimitterentur. In Christianos sed solum ignobiles ad speciem sæuiretur, Patres vt Nangasaquium honorificè remitterent. Quæ omnia quàm faceret inuitus datis ad nostros literis officiosè significauit, & diploma regium

Firoxima Nostri ab inuito dynasta dimittuntur.

exilij

exilij asperitatem à se amoturus transmisit. Nec absimilis parenti filius qui domi remanserat, tertio ad nostros misit qui suo nomine condoleret, quorum auctoritatem imitati asseclæ tametsi ethnici omnes doloris significationem præsetulerunt. Neophytorum lachrymæ concursus ad sacramenta nihil habuit quam alibi minus, vt etiam nihil peculiare. Nostri sacerdotes tres erant, laici fratres duo cum alijs administris. Europæi sacerdotes duo cesserunt, quod incommodiùs tegi posse viderentur. Sacerdos è nostris indigena, non sine pia sociorum inuidia oris compositioni victoriam tulit acceptam, cuius beneficio diurnam non minus quàm nocturnam neophytis operam erat præstiturus. *Sacerdos vnus indigena occultus manet.*

Post dimissos nostros in Christianum vulgus edictis pœnisque propositis ex Imperatoris voluntate certatur. Et quamuis dynasta leniter & ad speciem omnia geri voluisset; magistratus tamen neophytis sacram suam supellectilem per vim eripuerunt, & eos qui sua prodere noluerunt vnum aut alterum comprehensos in orizæ saccos prout Miaci compegerunt. Quod dynasta factum reprehendit, & vltra speciem progressos pronunciauit, Sacra verò arma Christianis erepta iussit honesto loco velut sacra conseruari. *Neophyti in oriza saccos compinguntur.* Inter hæc sacrificulus vnum Christianum aggressus vrget vt Idolo quod secum attulerat venerationem exhibeat. Sed neophytus pro honore contumeliam referens, sputo sacrificulum simulacrúmque fœdauit. Quam iniuriam questus impotenter effecit vt contumeliam ignominia lueret: nudus enim toto triduo dies noctesque ad palum alligatur, quem neophyti reliqui fouere non destiterunt. Exacto triduo victor non sine hostium admiratione soluitur, & in eo quod pro Christo non erubuerat, gloriatur. *Vnus Idolum & sacrificulum sollicitantem conspuit.*

Ex aula, Tayudono ad quatuor è suis ducibus scripsit in hanc sententiam. Quid iubeat Imperator nostis, cuius vt imperio pareatis vos hortor etiam atque etiam, qua in re mihi quoque non mediocriter obsequemini. Has literas ex itinere legerunt illi ipsi cùm in eandem regiam se conferrent, responderúntque se præsentes responsuros.

Cum igitur aduenissent ad herum mittunt, qui hęc ipsa verba re-

Duces quatuor Neophyti liberè dynastæ respondent.

nunciet, Dolere se quod id ab ijs exigeretur, quod esset nefas præstare non lege diuina solùm, sed aulicis quoque ac militaribus institutis, nullâque se re magis ineptos fieri ad obsequendum, quam si se hac perfidiæ labe fœdarent, quæ honorẽ illis apud alios, sibi ipsis animum detergeret. Posse se hoc vnum; Christianæ videlicet religionis vti exercitationibus ita moderatè, quam diu in regia substiterint, vt nullius incurrant in oculos ipsi hero malum creaturi; quod si hoc minimè sufficeret, se ac suos fortunarum iactura, exilio, vitâq; ipsa constantiæ suæ culpam, si contrahi visa est nõ grauatè luituros. Ad hæc dynasta planè obmutuit, & se in penetralia recipiens, creditus est immoderatius tulisse libertatem: verùm postea collaudatis ijs satis ostendit, quid sentiret, & posthac vetuit nobiles ad defectionem, sed & nobilium famulos etiam solo verbo lacessiri.

Puer honorarius etiam ceruicem porrigit.

Non absimili euentu vnus è pueris honorarijs strenuè depugnauit. Collegæ illum sui sæpius ad eiurandam Christi fidem lacessebant, & die quadam fingunt ab hero sacram supellectilẽ exigi, quam ille nec precibus nec minis dedit; & illi victos se non ferentes victorem deferunt, ac si reuera Christum eiurasset. qua de re cùm ex eo dynasta quæsiisset, ita respondit, A puero Christianus sum vt nosti, nec vlla me res ab hac lege auocabit; in ceteris obsequar, in hoc vno est nefas, & si hac ex causa ceruicem petis, ceruicem præbeo, nudatámque porrexit. Nemo fuit qui ex Iaponensi consuetudine dubitarit, quin euocata sica liberè, suo impotenter officio fungeretur: sed planè contrarium euenit. Responsum, animum, puerum dynasta laudauit, & in posterum habuit chariorem.

Pius neophytus persecutionem prædicit.

Hæc Firoximæ nec grauiora contigerunt, quæ tamen neophytus quidam moriens videtur præuidisse, & etiam prædixisse. Vixerat insigni cum pietatis laude, quem dynasta virtutis admiratione permotus arci seruandæ loco periculosiori præfecerat, è quo ipse prohibitus sacrificio interesse, sub aperto cœlo ad ædem conuersus in omnium oculis sacrificij tempore Deum precabatur ita intensè, vt fassus aliquando fuerit se ex eo ipso loco velut præsentem sacrificantem videre audireque sibi videri. Is leui ex morbo intra biduum bis expiatus extinguitur; sed prius filiam quam habebat vnicam ita dicitur allocutus, Vide, inquit, ne parentem quem viuum coluisti.

coluisti, mortuum ignominia afficias, quod facies si te piguerit esse Christianam; compara te ad martyrium, imminet enim Ecclesiæ Iaponensi atrox procella. Quæ cum dixisset, inuocato Iesu ac Maria, ipse se in portum nondum orta tempestate subduxit. Hæc enim Nouembri mense anni superioris edixit, cum de nouo Imperatoris edicto nec metus esset, sed Ecclesia ijs in locis alta pace frueretur. Eam prædictionem filia sacerdoti nostro mox narrauit; quam donec euentus comprobauit, non omnino à neophytis neglectam viri probitas intra memoriæ thesaurum conseruauit.

Priusquam abirent nostri, quod in Februarium incidit, eo anno ad centum adultos supra sexaginta necquicquam reluctante procella in Ecclesiæ nauem receperant, & fuit vnius ad Deum non omittenda conuersio. *Adulti 160 baptizati.* Is propinquos omnes iam habebat Christianos, nec adduci poterat, vt familiæ auctoritatem sequeretur, ideo maximè quod ab eo moritura parens sacramentum exegerat, quo se in simulacrorum cultu vitam positurum astrinxerat, & perfidum ac impium in parentem videbatur ab huiusmodi sacramento resilire. *Insignior Senis conuersio.* Patruum rationi surdum Virgunculæ neptes duæ vix bene duodennes precibus à Deo expugnandum susceperant, & iam intra spacium semestre millies ac sexcenties virginem angeli verbis salutauerant, cum repentino prodigio immutatur. Nepos illius iam Christianus ignota ægritudine tenebatur, quæ malum genium habere credebatur auctorem. Cum enim ea corripiebatur indigna quædam effutiebat ab adolescentis, cùm sanus esset probitate, admodum aliena. Nihil omissum quod ad eius salutem procurandam ab humanis remedijs peti posset, quibus denique damnatis ad sacra recurritur. *Cuprea Iconcula vis.* Noster sacerdos cupream iconculam Pontificis auctoritate sacram, & quæ SS. Ignatij atque Xauerij ex vtroque latere præferebat imagines, ex eius collo suspendit, iubetq; vt nullo tempore sibi eam detrahat. Quamdiu fecit, ab ægritudine liber fuit; sed cum eam nescio qua ex causa fortè detraxisset, subitò corripitur. Verũ increpitus à nostro eã sibi restituit, & instituta peccatorum accurata confessione planè conualuit. Quo viso patruus nihil vltra cunctandum duxit, quin eam legem comple-

cteretur, quam diuinis prodigijs viderat illustrari. Sacrilego itaq; sacramento se liberans sanctiore se in Christi militia illigauit.

BVNGENSIA PRÆLIA.

CAPVT XI.

Nostri è regno Bungensi eiecti.

BVngensium neophytorum aut veteranorum potius firmitas grauiter tentata diuturnam à Francisci Regis temporibus in Christiana disciplina exercitationem non fefellit. Postquam enim nostrorum sedes tribus in oppidis, Tacata, Notcu, Xinga, eandem cum ceteris fortunam subijssent, eiecti nostri, ædes disturbatę, pari semper Christianorum sese ad extrema comparantium concursu sensúq; ; tum demum in oues suis pastoribus destitutas atrociter sanè sæuitum, è quibus quæ illustriora contigerunt pro instituto seligamus.

Primi qui huius certaminis arenam ingressi sunt septem fuisse scribuntur, viri duo cum suis vxoribus ac liberis tribus, è quibus vnus duntaxat martyrij lauream secum in cœlos detulit, ceteri meritum etiamnum præstolantur. Hi ergo cum multis in Christiana fide prælijs prouocati æquo semper animo constitissent, iussi sunt à iudicibus planè nudari satisque barbarè leucam vnam circumraptari, quam ignominiam concurrente ad spectaculum multitudine ita tulerunt, vt gloriam ex ea sperare facile viderentur. Sanè Benedictus ex ijs vnus totum illud iter continua corporis sui flagellatione consecrauit, vt ipse sui carnifex tormentis per alios illatis non potuerit satiari. Idem, cùm in collem adreperent vtcunque arduum atque difficilem ita socios compellauit: Aduertite quoties hunc non sine fatigatione collem conscenderimus, nunc autem etiam cum voluptate conscendamus; id sine dubio illius beneficio contingit, cuius hæc vnius causa toleramus, cui præter laudes & gratias quid est quod aliud referamus? Idem intra vacuam arundinem, quam læua manu gestabat aquam lustralem circumferens, socios velut ad refrigerium subinde aspergebat.

Vnus se ipse continuo flagellat.

In saccos immißi alij super alios iactantur.

Deueniunt tandem in destinati sibi supplicij locum, in quo erat defixis repagulis area circumsepta, in ea singuli in suos saccos im-

immiſſi arctiſſimis toto corpore vinculis conſtringuntur, eum in modum quo Miaci plures depugnarunt. Id tormenti genus vni Benedicto lethale, ceteris prope lethale fuit. nam alij ſuper alios coniecti nobilem aceruum erexerunt. Benedictus in imo cetero- rum pondere oppreſſus diem vnam noctemque ita deficere cœpit, vt cum iam moriturus videretur eum custodes exemerint, deportatúmq; in vicinam neophyti domum denuo ad defectionem ſollicitarint. Sed cùm id fruſtra fieret nonnihil ad vlteriora tormenta refectum eodem includunt ſacco ac inferiori loco reſtituunt, vbi cùm alium diem perſtitiſſet, vna cum occidente ſole denuo occidebat. Ergo eadem immitti lenitate ſoluitur, & ad eaſdem ædes reportatur, vbi pauló pòſt Ieſum ac Mariam implorans ſuauiſſimè poſt exactum laborem in æternam quietem obdormiuit. Et ne fortè, quod Chriſtianis erat ſolemne, mortalitatis exuuias immortalitatis amore neophyti venerarentur; exanime Benedicti cadauer ad fluminis ripam flammis damnatur, illiúſque cineres in flumen ſparguntur, Sed quoniã ſemi iuſta oſſa eſſe conſtabat ignibus ſupereſſe; non defuit neophytus, qui piſcatione ſimulata, nonnulla eduxerit, eáque Nangaſaquium ad noſtros vna cum ceteris aſſeruanda deportarit. Aprili menſe paſſus ſcribitur vna cum ſocijs, qui omnes mortuo Benedicto ſoluti proſcribuntur iubenturque Nangaſaquium commigrare. Benedictus ille in regno Izumo natus è ſacrificulo inanium Deorum ad Chriſtum tranſierat ijs in terris quibus Iuſtus Vcondonus imperabat. Et toto eo tempore quo veritatem agnouerat toto eam ſtudio complexus fuiſſe narratur, vt hoc animi ardore martyrum gloriam impetraſſe dici poſſit.

Benedictus pondere opprimitur.

Secundum huius procellę imbrem ſuſtinuere alij, è quibus tres glorioſè ſanè de mortalitate triumphantes immortalitatem compararunt. Sed quia ijs proximum caput daturi ſumus, hoc reliquo nonnulla ſine ſanguine prælia, tametſi fortaſſe non inferiora, perſequemur. Nobilis inprimis neophytus ſępius per internuncios à dynaſta ſuo vt à Chriſto deficeret laceſſitus, ſibi ſemper æquè conſtiterat. dynaſta non ferens eum ſibi clientem detrahere, non dubitauit ſeipſum infra ſuam dignitatem abijcere, vti ſtantem deijceret. Ergo in clientis ſui domum pergit, ſeipſo fortaſſe impetraturus,

turus, quod adhibitis alijs desperarat. Resciuit neophytus, & extemplo arma discingens, sine quibus nobiles Iapones publicum non vident, ne repugnare velle videretur, hero occurrit, eúmque his ipsis verbis sanè animosè compellat: Here, scire te velim mihi certum esse Christi fidem nequaquam eiurare, quod in ea vna salutem sperem: si ad me lacessendum venisti, nihil est quod vltra te fatiges, potes hoc ipso in loco renuentem obtruncare. Quod cum dixisset extemplo se pube tenus reiecta veste nudauit. Vix dum se nudauerat, cum nouennis filius accurrit, patremque imitatus eadem nuditate sicam prouocabat. Secuta est pueri mater, ac deinde auia, nudatis quoque ceruicibus eundem ictum præstolantes. Sed ea constantia iram molliens pro sica tyranno lacrymas excitauit, quibus obortis vultum auertens domum repetijt. Nec ita multò pôst Imperatoris metu prouocatus inuitus sanè paratum ad cædem sed ab laurea auocatum cum vniuersa familia proscripsit, quæ Nangasaquium ad ceteros exules se recepit.

Nobilis neophytus dynastam lacessere parantem liberè praeuenit.

Obtruncandum se cum suis offert.

Proscribitur.

Sed præ multis admirabilis mihi videtur neophyti nobilis (Titum appellant) animi magnitudo. quem si quater aut Abrahamum aut alterum Iobum dixero, nihil auxisse mihi videbor, cuius ego factum tragicomico mallem cothurno spectandum exhibere, quàm intra contractæ narrationis angustias stringere. Habebat ille filios duos, nouennem alterum cui Matthæo nomen erat, alterum annos natum sedecim is Simon dicebatur. Habebat idem filiam Martinam nomine virginem annorum quatuordecim, & præter hos æquè carum pignus vxorem, quæ Marina dicebatur. Is igitur à dynasta suo euocatus ad Christum eiurandum, precibus, minis, imperio, nulla non arte omnique contentione tentatur, sed omnium victor domum remittitur, grauiora in suis absens prælia quam seipso præsens depugnaturus. Nam postridie mittit ad eum tyrannus qui quærat idem sentiat nécne, quod pridie, quod si fecerit iuniorem ad se filium mittat, vt ab eo fidem suam vel vitam tormentis extorqueat. Acre fuit telum nouennem puerum ad carnificem amandare: amandauit tamen ijs monitis instructum, quæ tempus ferebat, nec ætas respuebat.

Nobilis neophyti constantia.

Hac familia Monachij Boiorum in theatrum cum magno sensu spectatorum est producta.

Post biduum denuo remittit qui nunciet se Matthæo vitam

quod

quod fidem deserere suam noluerit, eripuisse. Ceterùm si etiamnum in ea sententia perstaret, Martinam filiam ad parem carnificinam ablegaret. Quid senserit Titus cogitate, quid filiæ dixerit æstimate. Nonnulla sunt quæ facundia silentio explicatura commendat. Iterum post dies aliquot Martina perijsse nunciatur, Simon primogenitus periturus æquè postulatur. Cui parens, vade Simon, inquit, & sicubi sanguinis vestigia notaueris, fratris constantiam, sororisque spirabunt, caue vt degener habearis qui ætate superas, itáque dimisit. Nondum præliorum finis, nondum expleta tot victimarum sacra. Breui spacio interiecto, nunciatur Simonem ad ceteros accessisse, Marinam experi, si nondum pertinacia defecisset. Nec illibens mater sua pignora sequitur, quæ matrum voto noluisset præcessisse. Maritus vxorem emittit, breui, vt sperabat, secuturus. Denique vltimus internuncius narrat Marinam quoque tormentis animam expulisse, ne fidem suam expelleret. Ipse quoque Titus, nisi iam suorum exemplo sapuisset, ad familiæ fortunam vocabatur extremus. Internuncio respondet Titus, eum, qui iam quater mori potuit, quintam pro Deo suo mortem minimè refugere. Cum igitur in arcem peruenisset, post iteratas tyranni minas, preces fraudesque superatas, admiratione constantiæ victoriam de stupente dynasta reportauit. Euocatur vxor, filij duo cum filia, Tito omnes victori victores redduntur, vnà cum Christianè viuendi, quod adhuc faciunt, libertate. Ita Titus quatuor Deo victimas viuus tanquam mortuas obtulit, quatuor velut rediuiuas recepit.

Creditâ suorum cæde lentè torquetur.


Viuos omnes victor victores recipit.

Sed jam domum reuersos audiamus singulos parenti maritóque sua cum tyranno prælia interim dum in arce versarentur enarrantes. Singuli enim in varia loca retrusi mille artibus ad fidem deserendam fuerant prouocati. Matthæo puero asperrimo hyemis tempore aquâ gelida supra caput effusa totum prope corpus obriguerat. Idem Marina supplicium vestibus suis ad contumeliam exuta sustinuerat. Martina filia tridui sustinuerat inediam. Simoni retorta in tergum immaniter

Qua singuli qua passi referunt.

brachia adolescens corpusculum prope luxauerant. Et tamen in his omnibus ætas sexúsque fortiter de tyranno triumpharat. Titus tamen cum ceteris crediderat, vti nunciabatur, suos omnes perijsse, & interim quidquid passi fuerant patiue potuerant fortiter tolerarat. Et sanè mitius est supplicium mortis breuitate pœnas redimere, *mórsque minus pœna quàm mora mortis habet.* Dignus planè Titus elogio longiore, quàm quod historico permittitur; sed illud ab eo præstolatur, qui cum pugnauit, qui cum eo triumphauit.

APVD



MICHAEL ET LINVS EXVRVNTVR MAXENTIA TRVNCATVR.

APVD BVNGENSES MICHAEL ET LInus viui, Maxentiæ truncum cadauer exuritur.

CAPVT XII.

SEd idem quoque Dominus insignem quidem victoriam sub fidei vexillo per aliquot pugiles suos ibidem de perfidia reportauit. Eos inter, qui primis huius turbinis initijs exagitati fuerant, Clemens vna cum filijs Michaele Linóque fortiter repugnarat, desperatáque defectione dimissus sibi viuebat ac Deo, nemine prohibente, donec hoc ipso anno nouus ab regia edictorum fragor intermissa prælia reuocauit. Clemens igitur cum filijs denuo lacessitur, & ita vt hoc secundo certamine remissior planè defecerit, propriáque manu scripserit se cum filijs Christi sacris renunciare. Fecerat hoc Michaele Linóque inscijs, quos pupugit acriter se quoque vnà cum parentis casu nescientes opprimi. Ergo ad eum vrbis moderatorem pergunt, qui scriptum exceperat, Parentis factum incusant, à se remouent, suamque fidem profitentur; eam si per eum sibi retinere liceat gratum futurum, sin minus quidquid de se statueret non ingratum. Respondit moderator sollenni se iureiurando obligari ne qua in re Christianis faueret, aut in eos remissius ageret, domum redirent, se cum collegis collaturum, quid facto opus videretur. nec promissis defuit. Eo ipso die pomeridianis horis Clemens (quem iam adiutoribus filijs facti pœnituisse satis constabat) & vna Michael ac Linus in custodiam publicam pertrahuntur; nec ita multò pòst Clemens ipse & Maxentia Michaëlis vxor cum filijs, quorum natu maximus nondum supra quartum & decimum ætatis annum adoleuerat, in vinculorum societatem abducuntur. Ibi singuli singulis locis distincti, vti facilius vincerentur. Sed cum fortiter restitissent in vnum omnes locum compinguntur; vbi postquam omnia tela æquabili semper animo elusissent, ad minas ac tormenta deuenitur.

Linus & Michael ne patris defectione inuoluantur fidem profitentur.

Cum Patre & familia comprehenduntur.

Et vt cæteros terrerent, tres ex toto numero selegerunt, quos torquerent, Linum videlicet, Maxentiam ac Petrum è filijs natu maximum. Vestibus igitur planè spoliatos intra saccos asseruando tritico

tritico destinatos, quo sæpius dictum est modo, arctissimè vinciuntur, & vt amplius torquerentur siccas aristas in ijs reliquerant, quos cum è carnificibus vnus Maxentiæ misertus priusquam alligaretur excuteret, illa inhibuit, testata dolere se quod vnum corpusculum haberet, quod Deo suo offerret, se si decem haberet totidem oblaturam, nec ante acquieuit, quam pari cum ceteris pœna plecteretur. Petrus intra saccum concionabundus Matrem ac patruum hortabatur, ne remissioris animi signum præ se ferrent. Et ad spectatores Ethnicos conuersus exclamauit: nemo sit qui ex vobis audeat falsum defectionis chirographum pro me scribere; quod si quis fecerit, in regiam vsque nihil dubitabo excurrere plagiarium delaturus. Linus interim sacras preces elatiore voce recitabat; quod cum ethnici ferrent molestius, nec ipse se pateretur inhiberi, exfissis arundinibus frænum ori, quo silentium indiceretur, immiserunt; quod cum illi mox sustulissent, importunis precibus euicit, vt denuo frenaretur, totoque die ita perstitit animo suas preces, quas ore non poterat otiosè decurrens. Eum ex ministris vnus præsenti malo proximæque morti eripere cupiens effecit, vt solueretur, & abductum domum ipse cum suis obnixe rogat, vt saltem ad triduum à Christo deficiat; se vitam illi & non pœnitendam pecuniæ summam impetraturum atque largiturum. Sed æquè vitam ac numos spernens negauit se vllius rei causa fidem agnitámque semel veritatem deserturum. Ergo in vincula Linus reducitur, Maxentia porro triduo in sacco suo angustè vel potius augustè habitauit. Moniti Iudices frustra in ijs laborari, de extremo inter se supplicio statuere cœperunt.

Tres ex ijs in saccos compinguntur.

Eorum in sacco Christiana libertas.

Quod cum vincti non ignorarent, accurata comparatione ad futurum agonem præludebant. Operæ precium foret ardorem in literis legere, quem inde ad varios sparserunt. Vna Lini breuior epistola erit instar omnium, quæ totidem verbis ita se habet. Cum gratia spiritus sancti hanc epistolam scribo ex ipso carcere. Ego tametsi peccator & malus, totam meam fiduciam in domini misericordia colloco. Rogo vos quàm possum demisissimè, vt pro me Deum, Beatam virginem, ac diuos omnes rogetis vt in finem perseuerem. Ego licet indignus intra saccum compactus,

Lini ex carcere epistola.

diem

diem vnum noctemque perstiti quod Christum nollem eiurare; inde nos in vincula reduxerunt. Multum animi sentio, multum comparationis adhibui vt in obsequio diuino ad mortem vsque persistam, gratia illius auspice & cum precum vestrarum præsidio; quibus iterum etiam atque etiam me commendo, ideo quod sim magnus peccator, nec vllam aliam spem nisi in eius bonitate collocarim. Die sexto lunæ sextæ.

Septimo pòst die quàm in vincula retrusi erant, Iulij 13. in Michaelem ac Linum fratres atrox sententia viuos incendio damnauit, qua re ita sunt recreati, vt in egressu carceris cum ad supplicium traherentur, Linum Michael in hæc verba compellarit: Ergone fieri potuit, vt hanc pro Christo moriendi fortunatam sortem soli duo præ ceteris fuerimus consecuti? & cum eandem fortunam toti familiæ optarent; ecce tibi Maxentia conspicitur, quæ sacco exsoluta ideo ad spectaculum trahebatur, vt horrore deficeret, aut mitiore saltem pœna plecteretur. Quorsum traheretur neuter sciebat, nisi quod vterque pro voto suo sperabat vti supplicij ita gloriæ societatem adipisci. Ex itinere cum eum locum attingerent, in quo Benedicti cadauer arserat, martyrem venerati nouos animos conceperunt: sed ijdem honorem sibi à neophytis velut mox martyribus exhibitum deprecati suam indignitatem causabantur. Totum iter quod fuit prope vnius leucæ pedibus, & nudis ita confecerunt vt oblatos etiam calceos respuerint, protestati cupere se in præacutos lapides offendere, vt breuitatem vitæ patiendi ardore compensarent. Maxentia maximè fuit admirationi, cui diuina gaudia, quibus delibutam esse apparebat, omnem doloris sensum quatriduo iam tortæ, nec laboribus assuetæ adimebant.

Michael & Linus educuntur ad supplicium. Adiungitur Maxentia.

Cum ad supplicij locum peruenissent, altè præfixas sudes tres cuique suam inuenerunt: quas cum amplexu suo elegissent, dimidiatam horam in preces nixi expenderunt.

Linus & Michael viui comburuntur.

Tum fratres duo sacram suam supellectilem, ne simul arderet, neophyto tradentes, superiori seipsos veste exuerunt, & ad sudes alligari cœperunt. Maxentiam interim vrgebant nonnulli, vti quolibet signo defectionem præse ferret ignem minitantes. Sed illa,

illa, cum iam ligna ignem concepiſſent ter in ipſum incendium conata eſt inuolare: feciſſetque pari, vt credi poteſt, ſpiritu, quem ex antiquitatis exemplo colligimus, niſi fune quo ad collum alligabatur, miniſtri proſilientem cohibuiſſent. Ardebant interea fratres & medijs in ignibus apoſtolorum ſymbolum Michael, Linus Ieſum ac Mariam pronunciantes vna cum ipſis ignibus expirarunt. Maxentia tamen ſibi conſtabat nec extinctis fratribus in vicinas ædes abducta potuit à ſententia dimoueri. Ergo ad locum ſupplicij reducta bis adacto in guttur nudo mucrone terreri non potuit, ſed minas ridens ait: Lepidum eſt quod facis; non terremur ijs quæ optamus, promitte vitam ſi terrere volueris; nam poſt talem mariti mortem ſuperſtes eſſe ſine ſenſu quî poſſum? Quod cum dixiſſet, ſparſum in occipitio crinem reiecit in ſinciput, & ad carnificem conuerſa vti ſuo munere fungeretur generosè laceſſiuit. Nec diutius ille differens ſacratiſſima Ieſu ac Mariæ nomina inuocantem obtruncauit. Truncum cadauer in rogum conijcitur, & vnà cum fratrum exuuijs in cinerem redactis, ſportis etiam exportata humus in flumen abijcitur, ne quidquam neophytorum piæ venerationi reliquum ſupereſſet, non tamen defuit, qui prius ex illo holocauſto fruſtula tempori eripuerit.

Maxentia ter conatur in ignem inuolare.

Sollicitantibus etiam insultat.

Maxentia obtruncatur.

Sed maximè mirandum eſt quod certa Chriſtianorum relatione comprobatur, In medio fluminis, noctu ſtellas quaſdam affulſiſſe, quarum ducti fulgore ſanctorum reliquias inuenire potuerunt, quæ Nangaſaquium ad Patres Societatis aſportarunt.

Duorum fratrum ſoror morientium generoſa ſpectatrix ſupplicio interfuerat; ea mox in carcerem excurrit, Parenti Clementi, ac ceteris quos etiamtum vincula detinebant, omnium fida narratrix. Quæ cum è ſpectaculo animum concepiſſet, vinctis maximè auctor fuit vti pari conſtantia ad non abſimile funus aſpirarent; quod faciebant ipſi; ſed Clemens maxime, qui non ſemel coram Iudicibus defectionis ſuæ ignauiam deteſtatus, quod ſemel admiſerat abunde reuocarat. Sed illi nihil vltra ſæuientes, vinctos reliquos liberos domum remiſerunt, ſibi Chriſtóque viuere permiſſos vt maximè voluiſſent.

Reliqua familia domũ remittitur.

BVIENSIS ECCESIAE facies.

CAPVT. XIII.

NOn exigua Bungensis regni pars illi dynastæ paret qui Buienses moderatur. Hinc factum est vt in hoc caput quædam reiecerim, quæ apud Bungenses constat contigisse; sed quæ propria sunt Ecclesiæ Buiensi prius persequamur. Yechudono dynasta, quo tempore in regna Yendo sæuiebat hæres Imperij, degebat ibidem suisque oculis omnia spectabat. Et quanquam diuturna beneuolentia Christianos, etiam cum nostros inuitus ante biennium exegisset, ante hac tueretur, non est ausus tamen edicti Cæsarei seueritatem negligere, quod res sibi suas in discrimen adducere non temere fortasse videretur. Mandat igitur ab regia vt ad defectionem neophyti omnes quouis modo lacessantur. Et vulgus quidem post multas artes machinásque concuti non potuit, donec ad eos terrendos de nudandis vxoribus ac puellis, ac vicatim circumtrahendis agi cœptum. Ea res quippe cum supplicio quouis grauior habita fuisset, multos imo plerosque dementis firmitate deturbauit, effecítque vt tempori cederent, externóque saltem aliquo signo Christum ignauiter abdicarent.

Vulgus à fide deficit.

Nobilitas planè se gessit generosius, etsi fortè nihilo mitius tentata. Primas in ea tenebat Faitodono Didacus in vrbe regia Yendo arci extruendæ pro dynasta suo præfectus; hoc enim obsequium clientelæ Imperatori à dynastis debitum (quod alibi dixi) multos iam menses operarum supra quinquaginta millia ex tota Iaponia detinebat. Hunc dynasta non est ausus adhuc aggredi, vel desperatione victoriæ (non nescijt enim inter eum & dynastæ familiarissimum conuenisse vt cum de fide deserenda ageretur, primo nuncio capitis sententia non defectio imperaretur) vel quod satis constaret eum si martyrij spes affulgeret dimisso cui præerat arcis opere, cùm suis totum ad Euangelicæ turris ædificationem se accincturum. Quin eiusdem vxor, quæ domi remanserat, ex absentia mariti clientum suorum curam gerens misit quaquauersus qui moneret heri sui mentem esse, vt in religione persisterent, neque

Nobilis cuiusdam Didaci cum suis constantia.

neque vererentur sua firmitate malum illi creare; qui iam apud se statuerat suam suorúmque salutem fortunis vitæque præponere.

Tentatus est tamen eius gener iuuenis nobilissimus, submissis primùm regni moderatorum voluntate amicis regníque primoribus; quibus deinde fatigatis succedunt ethnici propinqui, mater maximè; qui precibus, lacrymis, auctoritate ac propinquitatis iure acrius decertarent. Sed vtrosque cum ita reiecisset, vt intelligeret vlteriore sibi prælio decertandum; mox vbi audiuit suum dynastam ab regia domum reuerti, misit qui Nangasaquió vnum è nostris quàm occultissimè accerseret, cuius se opera efficacibus sacramentorum præsidijs ad hunc agonem præmuniret; quod fecit accuratè sanè, postquam non sine suo sacerdotísque nostri periculo illum admisisset. Redit igitur dynasta, intelligit ab regni moderatoribus quam acriter Faitodoni gener oppugnatus esset, quam acriter restitisset. Non arbitror, ait dynasta, eum per ætatis licentiam de salute sua sollicitum adeo repugnare, sed ne socero suo inconstans videatur sibi constare. Ergo ad eum mittit qui renunciet, vt hanc viri constantis deponat vanitatem: aliud velle tempora, non defore illi per ætatem annos quos in salute procuranda sine vllo periculo collocaret. Respondet se cum Christo sacra susciperet, sui, non soceri; salutis, non existimationis habuisse rationem, cuius procuratio vt est æternitatis ita ad omnem spectaret ætatem. *Gener eius sollicitatur, sed frustra.*

Ex hoc illius responso impotentius accepto factum est vt ad eius voluntatem pertentandam ad extrema prope omnia deueniret. Mittit enim ad eum schedas duas alteram in hæc verba conceptam. Tametsi iusserit imperator, aut hæres imperij vel dynasta meus Yechudono; Christianus esse nunquam desinam. Altera in contrariam sententiam concepta ita legebatur, In gratiam Imperatoris, principis, ac mei dynastæ protestor me Christianam religionem abdicare. Cum his schedis mittit qui renunciet, diligenter etiam atque etiam dispiciat, vtra scriptio ex ipsius re sibi videatur, illique quam elegerit propria manu subscribat. Internuncio iuuenis animosè cordatéque respondit, hæc omnia dudum accu-

ratè meditata nihil nouæ deliberationis exigere. Tum extemplo priorem schedam nomine suo insignitam remisit ad toparcham. Eam rem quî tulerit nondum dynasta demonstrauit, creditur tamen Faitodonum præstolari, vt vno prælio cum socero generóque decertet, non putatur tamen ex Iaponensi consuetudine tantam libertatem impune laturus.

Sagaci quidem vir est iudicio & in huiusmodi occasionibus sui minimè potens: sed eos peculiari studio prosequitur qui debita fide ac reuerentia dominos suos colunt, & nec mortis aut alicuius dispendij metu ab instituto bono possunt auocari; dicere solitus eos qui formidine, aut minis à recta ratione & boni prosecutione deterrentur, hominis nomine indignos esse, miniméque aut præsenti, aut futuræ vitæ idoneos.

Stratagema Christianum pro recuperando rosario.

Quod cum Christi pugil Christiani facinoris sibi conscius minimè ignoret; palatio abstinet, seque totum futuro certamini lætus accingit. Sed nec alij plures defuere à quorum certaminibus materiæ similitudine abstinemus. Inter quos vnus fuit, qui ereptum sibi à iudice per vim rosarium ita tulit molestè, vt vxorem suam iudicis propinquam repudiarit, nisi à propinquo suo precatorios globulos sibi recuperaret. Quod illa perfecit nec dubitauit alienissimo alioqui tempore maritum imitari, Christum professa, vt aiebat, hac spe vt cum marito martyr euaderet.

Fidei desertor à dæmone possidetur.

Et ne perpetui simus in pugnando repugnandóque, duo subijciam quæ cælestis prodigij similitudine non paucos in fide retinenda confirmarunt. Apud Bungenses neophytus erat, quem tepor suus eiectum de ore Dei Satanæ tradiderat. Energumenus ab hospite suo importunè vexabatur. Et quoniam hoc illi malum ad animi salutem ipsi alijsque multis obuenerat, secretissima quæque scelera tepidioribus neophytis maximè, sed & ethnicis subinde aperiebat. Si quando neophytus aliquis ardentior eum adiret modesto silentio se continebat. Ethnicos suos vocabat, aliáque huiusmodi multa dicebat, quæ non paucos permouerunt. Cum illi aqua propinaretur cruce quàm occultissimè lustrata; adduci nunquam potuit, vt ex ea guttam attingeret. Ecclesiasticis tandem exorcismis liberatus pristinum teporem excussit, *ne fierent hominis illius posteriora deteriora prioribus.*

Aliud

Aliud ſuo genere lætius nihilo minus admirationis habere videri poteſt. Ethnica mulier ad Christi ſacra diuturnis iam votis aſpirabat, verum Ethnicum maritum verita non ſe ſatis expediebat. Nocte igitur quadam, à matrona maieſtatem ſupra mortalem præferente, vt Chriſtiana fiat in ſomnis ſe monitam refert. Hoc viſo confirmata Chriſtianis prælectionibus vt imbueretur modum inuenit, iámque ſatis imbuta baptizatur. Reſciuit hoc non ita multo poſt mulieris ſocer ethnicus, eamque rem ita vehementer tulit, vt eiectam domo nurum abdicarit. Illa nunc in parentum domo in ſuſcepta fide religioſe perſeuerat, narratque viſis non infrequentibus dormientem confirmari, & à matronis grauiſſimis ſæpe moneri vti perſiſtat, ſibi curę fore vt illi à Deo ſalutem impetrent, quam in ſuſcipienda religione ſpectauit.

Ethnica mulier viſis nocturnis ad fidem adducitur.

FACA-

FACATAE IN REGNO CHICVIEN IOACHImus & Thomas post grauia supplicia obtruncantur.

CAPVT XIV.

EXpulsis anno superiore Facata & Aquizuqui nostris, vbi sub Chicujendono considebant, in hunc annum nihil in neophytos acerbius fuerat constitutum; hoc tempore ineunte Martio procella, quæ vbique sæuiebat nihilo mitior hic videri potest. Tametsi enim inuitus dynasta Christianum nomen insequeretur, voluit tamen videri Christianos ad vnum omnes suis in terris pro Imperatoris voto extinxisse. Tota res in hunc modum scribitur contigisse. Edicitur itaque Martij 12. vt in forum quoddam neophyti omnes conuenirent, & quoniam vrbs duas in partes aliquantulum dissitas diuiditur, alteram quæ peculiariter Facata, alteram quæ Fucuosa nominatur, forum autem illud in hac vrbis regione contineretur; solum eo conuenerunt ij neophyti, qui huius regionis magistratibus parebant, à quibus edictum ipsum duntaxat exierat. Hi ad centum numerati sunt capita familiarum, neque enim ceteri accersebantur. Ex alia porro vrbis regione poterant supra mille numerari. Ad eos excutiendos iudex Oribedono huius regionis præfectus cum assessoribus quatuor è regione fani cuiusdam, cui nomen Chifugi, consedit. Liber erat solo titulo inscriptus in hunc modum. Nomina eorum qui fidei Christianæ renunciant. Hic singulis proponebatur, vti propria manu sua nomina inscriberent. Quosdam mortis ac suppliciorum metus eo adegit, vt maluerint breui scriptione multas molestias redimere; alij cum negarent se id facturos, vt aliena manu tamen inscriberentur ignauè satis annuerunt: multis arrepta manu, immissoque in digitos calamo illata vis, ita tamen vt non satis fortiter repugnasse dicerentur. Denique toto ex numero præter duos nemo fuit, qui non perfidiæ infamia vel suspicione laborarit.

Neophyti sollicitantur.

Multi deficiunt.

Duo igitur illi, digni qui nominentur, quoniam è libro vitæ expungi noluerunt, Thomas & Ioachimus dicebantur. E quibus euocatus Thomas ad scribendum inuitantibus ita respondit: Nihil æquè

Duorum insignis constantia.

æquè facile quàm nomen meum pingere, sed libri titulus non placet. Cum enim Christo renunciare nullo modo velim, nemo quoque me adducet, vt in hoc perfidiæ libro ignauus ascribar. Vrgent hominem Iudices, vrgent vicini ac propinqui, & allegant nescio quot, qui cum initio acriter restitissent, cesserant tandem dynastæ voluntati. Eorum, ait Thomas, constantiam quam diu ad ignauiam minimè degenerauit, imitari contendam. Ioachimus ad nobile fidei certamen non venerat imparatus, quippe qui edicto illo quo Christiani ad arenam vocabantur, velut classico incitatus ad arma confugerat, breuiter enim composita re familiari vnam in orationem effusus ea quæ natura horremus votis cælestibus præueniebat; ad quem cum neophyti velut ad parentem conuenissent, orantem inuenerunt, ex eóq; hæc quæ animo tractabat acceperunt. Tempus quidem coronam martyribus nectit, eam etsi despero si meritis datur, minimum tamen ad exilium adspiro; quod si contigerit vna cũ coniuge stipe ostiatim conquisita vitam læti extrahemus.

Ad eum paulo post amici à Iudicibus missi, quam verebantur in prælio firmitatem, conati sunt ante prælium infirmare Hanc illi pręceteris humanitatem exhibebant, ideo quod continuis in plerosq; beneficijs omnes sibi conciliarat, arte maximè medica, qua valere putabatur eáque gratis in pauperes exhibita gratior habebatur. Verum ille hostiliter amicos ita repulit, vt ad iudices retulerint, in medico spem salutis esse desperatam. Euocatus itaque ab iniqui tribunalis præside, interrogatus num in retinenda Christi religione animum obfirmasset, ita respondit, Ego medicus & alumnus Patrum Societatis, ab ijs salutariter educatus, debueram me vltro sanè exilio in magistrorum meorum societate damnare, sed me rationes meæ atque alienæ adhuc tenuerunt. Nunc quod hucusque distuli abrumpam, si mihi per vos esse Christiano non licet.

Ioachime ait Iudex, nunc quidem de exilio non agitur, sed de Christo eiurando. De hoc ego, Ioachimus ait, ne agi quidem volo, vt vt de me meisque disponatur. Tum iudex collatis cum assessorum senatu capitibus Ioachimum vinciri sponte manus ambas offerentem & in partem alteram separatim abduci iubet. Interim ex arce nuncius examini, quod in noctem declinauerat, imponi finem

dynastæ

dynastæ iussu monuerat; quod vt fieret, elata præconis voce conclamatur, vt si quis inuitus in album relatus esset, id palam protestetur. Ignauo sanè silentio præter vnum omnes siluerunt, tametsi constaret non paucos vim vel fraudem tolerasse. Vnus ille Thomas fuit de quo nondum quicquam fuerat acerbius constitutum. Prodit igitur Thomas, seque in eadem esse ac semper fore sententia profitetur. Cui Iudex, Christianos omnes exterminari iubet Imperator, tu vbi consistes? vbi vbi voluerit, ait Thomas. Intra saccum in flumine maceraberis vt Ozacæ tuis factum audio; non displicet, ait Thomas; vel in cruce subdit iudex: hoc etiam magis placet, nihil excipio, quicquid eligatis. Excurrit interim iudex Oribedonus in arcem, & extemplo reuersus ceteros dimittit Thomam non secus ac prius Ioachimum vinciri iubet; quod cum satellites atrocius facerent, laxari iudex imperauit negans eum qui sponte vincitur eum in modum stringi oportere. Sed Thomas ardore patiendi accensus laxari renuebat.

Generosa Thomæ responsa.

Hinc in publicam custodiam retrusi dynastæ sententiam alacres prę stolabantur. quo tempore submissis denuo primoribus aliis post alios variè est illorum tentata constantia. Sed Ioachimus cum socio defectionis simulationem, quę sola exigebatur, ęque ac ipsam defectionem exhorruerunt; suaq; tandem constantia, quæ verbulo subterfugere potuissent supplicia prouocarunt. Nam dynasta lenitate in furorem versa, in pinetum vtrumq; abduci iubet, ibique ex altissima pinu pedibus suspendi, donec à sententia recederēt. Pinetum est suburbanum primariæ vrbis portæ iminens, & idem vel itineris vel animi causa frequens. Eò Ioachimus ac Thomas Martij 13. abducuntur. Et Ioachimus prior ex altissimo ramo pendens, infra se pendentem Thomam ita despiciebat, vt capite pedibus illius iminēret. Et tamen ab imo Thomę capite ad solū alij duo pendere potuissent. Cōcurrerat ad spectaculū ciuitas vniuersa; qua teste pendētium è sua cruce constantia nobis constitit, nec videtur omittenda.

Ioachimus & Thomas ex arbore pedibus suspenduntur.

Pependerant iam aliquo spacio, cum Ioachimus Thomā ita compellauit, Thoma frater memor esto eorū quę nostra causa Iesus Christus Dominus ac Magister noster in cruce tolerauit: grates illi referamus, q. imerentes hac nos sui similitudine in ligno pendentes cohonestat,

Alter alterū solatur & confirmat.

neſtat, nóſque Diuo Petro ſimillimos capite demiſſo pendere permittit. Cui Thomas: Eadem agitabam animo, qua commentatione ita dolores meos leniri ſentio nihil vt mihi videatur quod patior pro eo quod pati deſidero. Ita ſe Chriſti athletæ his ipſis verbis ſolabantur. Pomeridianis horis duabus cœptum ſupplicium totum eum diem ac noctem tenuerat, cum altero die frequenter ab vrbe tota in pinetum concurritur. E ſpectatoribus Ethnici neſcio qui alternis inſultantes ſuadentéſque vti ſaperent, in hæc forte verba proruperunt. Mirum eſt ſanè reperiri vſque adeo emotæ mentis homines, qui ſupplicijs præſentibus ſalutem incertam ac nunquam fortaſſe futuram inſectentur. Hæc illi cum inter ſe pluribus agitarent; Ioachimus diuturnius ſilentium in hæc verba interrupit. Hactenus filui, quod præſens rerum noſtrarum ſtatus neglectus mortalibus cum immortalibus colloquia miſcenda commoneat. Ne tamen pœnituiſſe nos, aut hæſitare quis arbitretur vnum percunctabor eos omnes compellans qui à dynaſta noſtro cenſus annuos aut alia recipiunt. Fingamus ex ijs aliquem eo deueniſſe, vt eum mori oporteat, aut perfidiæ in beneuolum principem ſe labe fœdare. vtrum illi credetis eligendum? an non ipſam mortem qualibet etiam ſuppliciorum tarda grauitate terribilem? Quod ſi verum eſt, vt eſt: quis neget eodem nos ac tanto maiori fidei vinculo obligari quanto maior eſt is pro cuius fide tuenda hæc patimur, & quanto maiora ſunt ea quibus illi nominibus aſtringimur. Quę ratiocinatio muto audientium ſtupore comprobata importunos hortatores abegit. Ergo in diem inſequentem, qui erat tertius, prope vſque ad meridiem ita pependerunt, vt toto illo (ſi paucas horas dempſeris) triduo ne frigidæ quidem hauſtu refici per ſatellites potuerint. Tandem iubente dynaſta, quod in pinetum animi cauſa de more cogitaret, deponuntur. Sed neque depoſitis quies aut virium inſtauratio permittitur; nam tametſi Ioachimus refici cuperet, quod inedia ſupplicióque prope cæcutiret, ac vereretur ne ad vlteriora ſupplicia non ſatis præſentem animum aut nouas vires adferret, non potuit tamen impetrari. Sed ad meriti cumulum in nouum crucis genus aguntur. Tranſuerſis quippe lignis in ſcalas immiſſis pedes manúſque fortiter alligantur. Ad eos in hac noua

Ioachimi pendentis ad ethnicos ratiocinatio.

Tertio die deponuntur.

Cibus eis negatur.

cruce

cruce velut quiescentes (si minus hoc tormentum cum atrociore comparatum aptè quies appellatur) neophyti propius accedentes quærunt vti se habeant, satis admirati hominibus post eam supplicij grauitatem ac moram, vitam nedum loquendi facultatem superesse potuisse. Ioachimus in hæc ipsa verba respondet: Multa olim & sanè grauia tuli cum militiæ operam darem; sed si cum priore supplicio conferantur vniuersa, ludus fuit. videbar mihi quippe ab alto ad imum serra diffindi. Verùm continua tormentorũ Christi commentatio ideo me solabatur, quod viderem supplicij mei tenuitatem, cum ad eorum quæ passus est grauitatem tanta imparitate componebatur. Vnde ne nihil esset illud exiguum quod tolerabam, dolores meos cum illius doloribus coniungebam.

Interim dum nostri athletæ ad arboris suæ pedem cum neophytis colloquuntur, dynasta in pinetum animi causa superuenit. Satis constat eum cum impotentius ferret se ceterorum victorem à duobus superari, minatum se cum in pinetum venisset vtrumque sclopo traiecturum; quod ideo fortasse non fecit, quod spectantium multitudo eum ab impotentia deterruerit. Vbi tamen resciuit illos neque supplicij grauitate, neque tarditate à proposito elanguisse, dixisse fertur, Nihil est quod vltra meliora sperentur ab ijs quos huc usque perduxit obstinatio, quam truncatis capitibus actutum luant mando. Nec mora, Iuuenes aliquot accurrunt, & vtrumque in supplicij locum abducunt. Ioachimum vires defecerant, e-latus carnificum humeris eò deuenit. Thomas ætate iunior ire potuit. Ioachimus igitur primo ictu oblongiore romphæa truncatur. Thomas vbi nonnihil ad orationem spacij exorasset, socio comes additus gladio truncandam ceruicem tradidit; & vterq; mortis sacræ compendio æternitatem compararunt. *Capite truncantur.*

Sacra eorum corpora in eodem pineto condita dies aliquot iacuerunt, donec à neophytis subducta in eum locum inducta sunt, vnde ad debitam illis venerationem educi poterunt cum illi Ecclesiæ serenitas redierit. Capita tamen mox aliqui neophyti surripuerunt, & ad ceteras martyrum reliquias Nangasaquium delata Societati sunt tradita, quæ facile dignouerunt ij qui cum viuis ante tractauerant. Eorum mors atque constantia tanti habita est ab ipsis

Ethnicus sacrificulus martyres commendat.

ethnicis, dicere vt non dubitauerit ad frequentem concionem è superiore loco nescio quis sacrificulus. De illorum salute quis dubitet, qui pro sua lege ita certauerunt, vtinam vos ea contentione salutem procuretis.

AQVIZVQVI EODEM IN REGNO MATthias in eadem causa capite plectitur.

CAPVT XV.

AQuizuqui frequens erat neophytorum cœtus, qui auctore Michaele Soyemondono eius quondam loci toparcha coaluerat: sed eo iam vita functo, cum præfectura tota in alterius iura transisset, soli ferè coloni negotiatoresq; remanserant, nobilitate vniuersa, quod in huiusmodi regnorum vicibus in Iaponia fieri solet, hinc inde diffluente. His præerat senex quispiam olim sacrificulus, & quod idem est Christiani nominis hostis acerrimus, qui cũ ex Imperatoris ac dynastæ voluntate Christianis vti se ad patrios Deos referrent edixisset, plus in ijs quam cogitauerat inuenit firmitatis. Euocatos enim cũ singulos exscripsisset, iubebat vt qui Christũ negarent figurã nescio quam nominibus suis subscriberent, qui sibi constarent, supra nomen inscriberent. Et cũ pleriq; velut seipsis superiores hoc extremũ auderent isq; numerus ad septuaginta eósq; potentiores peruenisset, Christianos omnes criminaturus scribit ad dynastam, Aquizuqui neophytos in vnum coactos tumultuari, nec esse qui velit edicto parere. Ad eos igitur in officio cõtinendos trecentorum militum manus sub ducibus quinq; in eos imittitur. Hi tametsi pacata omnia reperissent, faciléque aduerterent ab odio religionis calumniam, non ab amore publicæ quietis, exortam, irruunt nihilominus in neophytorum domos eásq; omni sacra supellectile religionis indice violenter expilant, & secum vinctos atrociter abducunt. Pauci eo in tumultu defecerunt, alij chirographis adulterinis à propinquis frustra reclamantes liberantur. Ceteri nec interrogati, sed nec auditi dimittũtur, sublato militariter clamore quod omnes à Christo defecissent, facile vt ex modo constiterit omnia conniuente dynasta ita fieri vt Imperatori fieret satis, magis quàm

Neophytorũ constantia.

Trecenti milites in Christianos immissi.

vt

vt Christi fides exterminaretur. Quod vt certius fama vulgaret, placuit ex omnibus vnum eligere quem sibi præ ceteris constare senserant. Sors autem cecidit super Matthiam.

Erat Matthias Aquizuqui Neophytos inter veteranus. nam in primis Christi fidem quondam satis cursim in primo illo Euangelij cursu susceperat, sed continua deinde nostrorum cura ita se sensim excoluerat, vt continua Christianæ pietatis exercitatione de virtute in virtutē ascensiones in corde suo disponens vnico martyrij saltu ad videndum Deum in Sion exultarit. Cum igitur inter primos nomini suo figuram religionis suę testem præ ceteris animosius inscripsisset, domum repetijt ea facturus quæ generosus animus post heroicæ cōfessionis facinus præsagiebat. Et quoniam ipse sibi crucem spe votisq; proposuerat, illico vestem sibi parari iussit, cum qua honestè pudenterq; penderet. Sensere propinqui quid Matthias fecisset, quid in posterū facere cogitaret. Prima igitur prælia cum ijs miscuit, de quibus sacrę literæ affirmant, quod inimici hominis domestici eius. Sed hæc erant huic animo præludia. Victor à se repulit vniuersos. Alterum agmen fuit eorū qui deni fere duodeniue à moderatore quondam sacrificulo submittebantur, à quibus ante communem sacræ supellectilis stragem, priuata Matthiæ petulanter expilatur. Matthias militares animos Iaponēsi ex more ad sacra transferens eā iniuriam ita parum moderatè tulit, ac si armis quispiā eum suis exuisset, fleuit, infremuit, excanduit: donec aduertens tandem quid faceret, seipsum incusauit: Itáne Matthia militariter & parum Christianè turbaris? Christi fides habet hęc pro signis solū sine quibus sarta tectaq; consistat; faciā Deo iuuante vti constet his me sine religionis meę detrimento carere potuisse. atq; ita re quam meditabantur infecta, qui submissi fuerant ad moderatorem redierunt.

Matthias se ad crucem parat.

Prima Matthiæ certamina.

Cum deinde militum trecentorum cohors gubernatori Ex-sacrificulo suppetias latura concurrisset. Matthias à Iudicibus euocatur, eoq; ipso tempore quo refici volebat. Sed cū adduci vix ab vxore potuisset, vt paululum sumeret, excusso prandio assurrexit in hæc verba prolocut⁹, Agedū, eamus, cùm eo vocemur, vbi reficiēdi corpusculi legib⁹ exsoluemur. Cū igitur in pręstolantiū iudicū tribunal deuenisset ita interrogatur, Túne es Matthias Xichirobioye? sum ait.

Túne

Liberè iudicibus respondet.

Túne ille qui scripto confirmasti te Christi fidem nunquam deserturum? Ille ipse. Túne in hac sententia tibi constas? Consto, inquit, nec est quod vltra vos fatigetis Deo bene iuuante æternum mihi constabo. Amicè tibi auctores sumus vt aliquid de hac animi contentione remittas, ne ducum qui ad sollicitandos Christianos accurrêre vim experiaris, tum maximè cum tibi subuenire nobis non erit integrum. Quod, ait, respondi semel, vnum erit apud omnes idemque semper responsum. Quo dicto separatim iubetur præstolari, dum ceteri non absimiliter excutiuntur. Nec ita multò pòst dissoluto conuentu Matthias ad gubernatorem ducésque pertrahitur. Occurrit ex itinere sacellulum in quo Iaponius Mars, Fachiman vocant, colebatur: in cuius conspectu (ne dubitari posset in qua causa pateretur) solo afflictus fustibúsque contusus arctissimè vincitur, non manibus solum sed iniecto quoque in collum fune ita propè præfocabatur, vt sacratissima Iesu ac Mariæ nomina, quæ sedulus inuocabat, ad audientes egredi laborarent. Eum funem cũ aliquid elocuturus remitti nonnihil postulasset, hoc ab immiti satellitio responsum accepit, Cùm tu tibi huius mali causa sis, mala tua tibi habe. Bene monetis interclusa voce susurrat Matthias, pro Deo meo pati certum est quicquid occurrerit, nec passus est funem à volentibus deinde laxari, cùm diceret, finite me amabo reliquam vitæ breuitatem suppliciorum meritis cumulare.

Coram idolo pane præfocatur.

Matthias igitur cum in gubernatoris ac militiæ ducum tribunal deuenisset, rogatur edito iam nomine num à Christiana lege salutem illam quæ post fata speratur expectaret? planè, inquit. An etiam in Iaponiæ sectis eam reperiri putas? minimè gentium. si ita sentis, inquiunt, quid est causæ cur imagines ceteraque tuæ religionis arma tradidisti, scriptóque Christiana sacra patrijs dijs redditus eiurasti. Priora, inquit, per vim erepta sensi acriùs, quàm pro Christo patientem oportuit: posterius nec feci, nec faciam, nec si quis meo nomine fecerit sum conscius, aut ratum aliquid habeo, quàm quod præsente ac iubente gubernatore firmaui. Næ tu, inquiunt pertinax es, aptúsque ad omne scelus etiam perduellionis perfrictè patrandum. His alijsque conuicijs affectus Matthias eiectúsque ibat gaudens à conspectu concilij, quoniam dignus habebatur pro nomi-

Coram gubernatore fidem constanter profitetur.


nomine Iesu contumeliam pati. Nec mora in eiectum capitis sententia dicitur, dictáque non differtur, sed abductus in reorum arenam cum iter totum precibus consecrasset, in genua ruit hoc vnum prolocutus. Testes mihi estote quod in Christi fide retinenda vitam pono; quod cum dixisset obtruncatur, eo ipso die quo Ioachimus & Thomas Facatę in eodem regno fortiter occumbunt, Martij nempe quinto ac decimo. Nec abfuit prodigium, constat iuratis testibus ipsóque carnifice, truncum caput tertio Iesum inclamasse: tertiamque vocem non solum non elanguisse, sed ac si seipsam validius intendisset, clarius exauditam. Sacrum caput & reliquas mortalitatis exuuias Diuorum omnium ædes à Societate Iesu asseruandas excepit, & socia ceterorum martyrum sepultura donauit.

Capite truncatur.

Truncum caput tertio Iesum inclamat.

Non vnus Aquizuqui pugnauit Matthias. matrona quædam Anna nomine sine sanguine, sed non sine animo repugnauit. E quinque ducibus vnus ad eam nuncium miserat qui rogaret vt in eiurando Christo dynastæ nec non Imperatoris mandatis obtemperaret, Cui illa, Satis admiror, inquit qua fronte missus ad me fueris lacessendam, cum hero tuo constare debuisset me tametsi fœminam non esse de numero transfugarum. Forte post dies aliquot obequitans ille, qui nuncium miserat, matronæ ædes transierat; quę redeuntem obseruans, nondum decocta memor iniuria domo erumpit, equi frænum corripit, sessorémque in hęc verba compellat, Ego Christianè viuo si nescis & moriar Christianè quibuslibet etiam supplicijs lacessita. Eques rubore suffusus illam in ædes remisit, spondens neminem in posterum illi molestiam creaturum quæ cum se recepisset, cœpit quem conceperat animum toto suo sexu vulgare, apud quem auctoritas illi multa, quod fœminas prope omnes Ecclesiæ matri renascentes consuetis ritibus, si dicere licet obstetrix accepisset. Huius constantiam nonnulli exilio, aliqui etiam grauiter luxati non dubitarunt imitari. Sed quia maiora nos vocant à communibus abstinemus.

Christianæ matronæ constantia.



ADAM ARACAVA NVDVS PENDET ET DEMVM CAPITE TRV̄CATVR

NOBILISSIMO MARTYRIO ADAM ARAcaua in Insula Xiqui coronatur.

CAPVT XVI.

INsula Xiqui pars regni Fingo sub Augustino quondam Christum agnouit, hodie paret Ximadono, qui Figensi in regno arcem incolit cui Caratcu nomen est, Insulásque Xiqui & Conzuram suffectis sibi præfectis moderatur. Ante hunc turbinem serena ibi res Christiana, fauente non Ximadono dynasta minus quàm Insularibus, eius exemplo, præfectis. Sed vbi detonuit ab aula præsentis procellæ fragor, quisque rebus suis consulere, quam fauere maluit alienis. Ergo ad præfectos suos admodum imperiosè ad nostros non inurbanè scripsit, vt extemplo nostri cedant Insulis seq; recipiant cum domesticis quo maximè placuerit. Scriptum, factum, iubetur ex Insula Xiqui sacerdos noster P. Garcesius cum socio alumnisque die postquam moniti fuerant horis matutinis abire. Parendum fuit eo neophytorum sensu, quem extremi luctus extremum sacrificium interrumpentes testati sunt. Ne tamen omni cultore vinea destituta planè siluesceret, relictus est quàm fieri potuit occultissimè apud filium senex quidam annos natus 60. quorum plurimos domi nostræ domesticis obsequijs triuerat lubens ac volens ex eo tempore, quo ab Arimensi rectore præsenti neci, quæ ab hero illi designabatur, ereptum se fatebatur. Is Arimensi ex agro oriundus Aracauæ pagum (Arima duas fere leucas distat) natalem agnoscebat, à quo etiam Aracaua dicebatur. Commendatur Adamo igitur, vt quantum laico licet, Patrum suppleat absentiam, infantes eluat, mortuos sepeliat, ieiunia, dies festos statásq; preces indicat.

Nostri ex Insula Xiqui pelluntur.

Rei Christianæ procuratio seni Adamo commendatur.

Quæ dum curat nemine vel aduertente vel prohibente non indiligenter, Ecce tibi à Ximadono literæ cum regiam peteret adueniunt, quibus & auctoritate & Imperatoris exemplo adductum se scribebat, vt ne vnum in suis terris pateretur Christiano nomine censeri, idque ita seuerè suis edicebat præfectis, vt scirent ex hac vna re dynastæ sui salutem ac totius Insulæ incolumitatem dependere. Hinc factum est vt Xaroiemon supremus Insulæ præfectus subita metamorphosi visus fuerit ex agno in leonē esse conuersus, & qui fauere solebat furere cœperit atq; bacchari, ita tamen vt omnia gesta perfunctoriè furoris potius apparatum, quam furorem

In alios Christianos ficte in Adamum serio inquiritur.

ostentarent, fictis enim chirographis tumultúq; hoc agebat, vt nemo videretur, nó vt nemo esset Christianus. Quia tamen oportebat Neophytos auxilijs suis destituere, vel exemplo terrere, aut etiam aliquid quo serio res acta credi posset ostentare, visus est Adamus vnus ex omnibus aptissimus in quem tota procella sæuiret, quem si pauidum ruina feriret, eadem multos inuolui procliue erat, sin sibi constaret, cetera sibi hostes videbantur consecuti.

Sollicitatus ad defectionem liberè respondet.

Adamus igitur vnus ad supplicia quærebatur, & quoniam gregem suum lustrabat inscius fabæ quæ in eum cudebatur, apud nonnullos etiam neophytos in suspicionem venit adornatæ fugæ furorísque declinati. Inuentus est tandem ab vno è neophytis, totiúsque rei factus certior laureatum nuncium sublatis in cœlum manibus gratulabundus excepit, nec mora, moras omnes abrumpens domum repetijt, in qua neque se periculis obijceret non vocatum, neque se subduceret conquisitum. Ad eum continuo ethnicorum concursus facti, qui hostiliter amici suaderent vt id faceret extemplo, quod tandem esset vrgente præfecto aliquando facturus. Quibus in hæc verba respondit. Ego neque præfectum, neque dynastam, sed nec Imperatorem curo quoties de hoc negotio salutis agitatur, ideo quod Christianus sim & à solo Deo salutem sperem. Quibus verbis ac similibus cum importunos à se repulisset hortatores, ad Duumuiros qui de Christianis inquirebant amandatur, apud quos blanditias, minas, fraudesque ex vna omnes impietatis pharetra sagittas illæsus exhausit. Vinctus igitur in arcem raptatur ad præfectum tertio ante Dominicam Palmarum die, satis lætus quod sui suppliciorum dies cum Christi tormentis conspiraturi nó causa solum sed ipso quoque tempore videbantur.

In arcem venerat Adamus inclinata iam die, dilato igitur in aliam diem examine præfectus eum iubet, vt in crastinum mollior esset, tota nocte aliquo supplicio macerari, ita suspensum, vt extremis prope vnguibus corporis moles vniuersa consistere videretur. Postridie vocatur ad tribunal, præfectus vultu ad humanitatem lenitatemque composito, protestatur se nec sua, sed nec dynastæ voluntate in Christianos debachari, sed hoc vnius Imperatoris voluntate fieri, cui serius aut citius velis nolis sit parendum. Ego, inquit Adamus, mortales negligo in hoc negotio immortalitatis, iubeat qui

qui voluerit, vni Deo pareo, à quo vno quæ ſunt æterna præſtolor. dynaſta ne ſtatu ſuo excidat, quod iniuſtum eſt, facit, ego ne vita excidam immortali à iuſtitia non recedo. à qua ſi excido, neque tu præfecte, nec dynaſta, ſed nec Imperator à morte me liberabitis æterna. Sed eſto liberent, neque diuini Numinis, neque beneficiorum illius in nos magnitudo hanc in generoſo pectore defectionis patitur vilitatem. De me ſtatue præfecte, vt voles, non ſum à Chriſto nec alius vllus me auctore defecturus.

Nudus per Vrbem raptatur.

Excanduit hac reſpondentis libertate præfectus eique qui ſuum pectus aperuerat totum corpus iuſſit ad ignominiam denudari, perque arcis compita inclamante præcone pertinacem rebellemq; raptari. Cum iam celebrioribus vicis luſtratus ignominiam inſignem lætiſſimo ſemper vultu animóque toleraſſet, iubetur in frequentiſſimo triuio in nouum crucis genus agi, in quo ludibrium ſuppliciúmque ita immiti lenitate temperabatur, vt eſſet ſine morte diuturnum. Duo in terram ſtipites alti palmos octo vel nouem, quinque fere palmorum ſpacio alter ab altero defiguntur, ab vtroq; ſtipite tranſuerſus alter ita viſebatur vt eo leuiter inniti non ſedere poſſet colligatus ad palos, ſupra funis ab vtroque item tranſuerſus capiti reclinando leue ſolatium erat præbiturus. In hac Adamus machina nudus vt erat ita colligabatur ad cubitos vt extremis vnguibus inſiſteret, in eóque ſupplicio totos dies nouem ad Sabbathum quod ſanctum vocamus planè otioſè detinetur, ne tamen aut ætas grauior aut recens ægritudo huius ſupplicij moram & nocturnum frigus non ferret nocturnis horis ſoluebatur, inque vicina domo ſeruabatur. Iuuat in hac mora nonnihil immorari & Adamum noſtrum ætate venerabilem, facie ſemper alacrem, ſitúque ad pietatem compoſito viſendum intueri, eiúſque facta dictáque pleraque ab interitu vindicare.

Nouem dierum ſupplicio torquetur.

Adami dicta in tormentis ad ethnicos.

Ethnicus neſcio quis ex aduentu famuli quem Adamus priuſquam caperetur Nangaſaquium amandarat, ſumens occaſionem ita illum interpellauit. Quæ te ſpes alit miſer, cum iam patres tuos tota Iaponia eijci Nangaſaquienſes ædes ſacras intra breue tempus dirui nuncietur. Spes mea reſpondit non in Patribus, non in ædibus ſacris vnquam ſtetit, ſed in ſolo Deo cœli terræque Domino ac ſeruatore noſtro Ieſu Chriſto, à quo in ſupplicijs omnibus vires &

æterna deinde gaudia constanter certóque præstolor. Ad omnia prope quæsita hoc erat solum vnicúmque responsum, quo repetito importunos à se interpellatores amouebat, qui si rogare pergerent, oculos claudebat, quod aures non posset, vel sublatos in cœlum vnà cum vtraque quæ à cubito pendebat manu in attenta oratione ita defigebat vt absorptus in ea suauiter conquiescere videretur, fiebátque tanquam surdus non audiens & tanquam mutus non aperiens os suum. Christianos porro quoties id custodes permittebant amicissimè compellans hortabatur ne à fide deficerent Deóque fiderent, fore vt in tormentis eius gratia fulcirentur, quoties eius nuditatem horrorémque miserti vinum illi more gentis calidum propinarent, causabatur id orandi sibi studium impedire, nec admittebat nisi vrgente necessitate perraro. Martyr compellatus se peccatorem inclamabat, indignúmque hoc nomine profitebatur, quin potius constantiæ sibi ac perseuerantiæ virtutem precibus ad Deum fusis obnixè postulabat exorari. Denique nihil agebat nihil loquebatur, cogitabat nihil quod non sanctimoniam pietatemque redoleret.

Ad Christianos.

Primis diebus pendebat in vico quodam cui ædium vmbra vim ventorum frigorisque nonnihil refringebat. Verum id illi quoque leuamen inuidentes translata in apricum cruce iuxta portum etiam vbi maior esset concurrentium frequentia, supplicium simul cum ignominia duplicatum, additaque sensim alia multa quibus in dies grauius petulantiúsque torqueretur. Sed ille rupis instar non constitit sibi solum, sed alios etiam ad æmulationem fortitudinis inflam̃auit. Initio cum Adamo alij duo pendebant neophyti, sed nec planè nudi nec diu, quod propinqui facultatem Christianæ legis factam illis mentientes, pro eorum defectione spondentes, eos ex gubernatoris voluntate liberarint, nec idem beneficium Adamo præstitisset illibenter si quispiam pro eo fide iussor accessisset. Ad extremum cum per tot dies constantia de pertinacia triumphasset Adamus exsoluitur, & in amici neophyti domo iubetur custodiri, quanquam non ita multo pòst spondente pro eo ædium hero custodes amouentur, vnde factum est, vt Adamus trimestri toto in Christianis liberè confirmandis, seque ad martyrium comparando per otium occuparit, quod spacium, in quo multa posteritatis memoria

Tormento exsolutus trimestri toto leiunetur.

moria dignissimā contigerunt, non videtur cursim mihi transigendum. Siue enim secum ageret, siue cum ethnicis, seu cum ipsis denique neophytis, planè fuit admirabilis, quem si ordinem seruauero nihil mihi videbor omissurus.

In ædium penetralibus cellulam inuenerat à tumultu remotiorē eam dies noctesque incolebat, orationi aut piæ lectioni, quoties ab inuisentium sacris colloquijs se proripiebat incumbens. Libellus illi de Christo imitando carus inprimis & frequens; nec solatia illi cœlestia defuerunt, maximè post heroicum ad gubernatoris minas horribiles responsum, ex eo enim tempore cœlestibus solatijs ita rapiebatur vt iā ea consecutus non sperare videretur. Satis constat ipso narrante Deiparam oranti Virginem quæ crucem manu gestabat adfuisse, quo ex tempore certior de martyrio factus iam non vt prius id nomen respuebat, sed Deo sua beneficia gratulabatur, prædicebátq; fore vt extremo supplicio plecteretur tametsi res, vt mox dicam ad exilium inclinatura videbatur. De hoc cœlesti viso cum ex eo quæsisset neophytus an Dei matrem sanctissimam clarè conspexisset, initio conticuit velut dubius silendúmne potius an respondendum, sed paulò pòst hæc ipsa verba scribitur reddidisse, Crucem in manu sanctissimæ dominæ nostræ clarè conspexi. Nec hoc vno cœlesti viso recreatus creditur, sed quod inter colloquendum cetera subobscurius significasset omittuntur. *Eo trimestri quid egerit. Quid secum.*

Ex eo quod ita secum ageret Adamus, quicquid cum ceteris ageret velut ex fonte nascebatur. Cum Ethnicis primum breuis & neruosus paucis verbis eos à se remouebat, quod vt cū importunis ageret liberius, cellulę ianuam quam opponeret ab hero custode impetrauit. Multa illi cum ijs prælia victoriam quotidie celebriorem frequentioremque comparabant. Sed nihil nobilius quam susceptum cum gubernatoris internuncio minisque certamen. Cùm enim aduerteret eum nullis machinis moueri, misit qui moneret, sibi iam certum esse nisi tandem aliquandò à Christo deficeret, digitos illi pedum ac manuum amputare, sed ita vt ad supplicij tarditatem, nō alium prius amputato quam prioris vulnere persanato, nec se à lentis supplicijs cessaturū donec sententiam permutaret, mortē porro, quā tantopere pro Christo suo exoptabat, se ad pœnā illi negaturū. Magna vis Christianę fortitudinis, cui mors tantopere sit in votis vt *Quid cum ethnicis.*

negata sit pro minis. Huic internuncio athleta noster in hæc ipsa verba respondit, Ad hæc aliaque supplicia grauiora comparatus confido mihi vires à Deo meo minime defuturas. Si mors ex ijs sequatur gaudium erit mihi suis numeris absolutum, sin peccatis meis debita suppliciaDei causa tolerasse mihi ad solatium plus est satis. Vnum peto vt quoniam iam hæc mihi supplicia decreta sunt ac certa, nihil moretur exequi, ne ingrauescens iam ætas parúmque firma valetudo mihi mea gaudia meritáque præripiat. Obstupuit responso gubernator, iussitque vt crudelem carnificinam inchoaret. Sed ille cui fuerat demandata horrore supplicij sanctique senis innocentia deterritus tam diu distulit, donec mollior post dies aliquot præfectus sententiam ipso intercessore reuocaret.

Mirum etiã crudelissima patiendi desiderium.

Cum Neophytis porro non inferiora contigerunt, omitto quotidianas de rebus diuinis collocutiones eaque omnia quæ viri virtus persuadet esse vulgaria. Duo non possunt insigniora prætermitti in quo vtroque prodigium est euidens, & quod negari non possit prophetici muneris argumentum. Neophytus quidam cum animo tractaret attentius quibus supplicijs à Christo posset auocari, restitit in vno satis dubius quid ageret, si contingeret septem quas habebat proles se præsente torqueri, aut coniugem suam populo inspectante nudari. Ea cogitatio dies aliquot hominem suspensum tenuit, satisque mœstum, quod inuenisset in quo, vt tum sibi videbatur, gratiam natura superaret. Hæc illi cogitatio nullis sensuum limitibus egressa intra mentis arcem tenebatur, cum qua visens Adamum forte vt seipsum tanto hortatore solaretur, priusquam verbum daret ita est ab Adamo compellatus, Heus tu quàm altè in animum tuum prolium tuarum tormenta coniugisque ludibrium penetrarunt. nescis heu nescis eum qui tibi ad cetera animum subministrat ad hæc quoq; vires minimè negaturum. Obstupuit ille qui sciret, hoc ex animo suo in Adami notitiam nullo sensuum vehiculo deuenire potuisse, suóque stupore confirmatus didicit spes suas in vno Deo non in se collocare.

Cum neophytis quid egerit.

Secreta cordium diuinitus cognoscit.

Alius importunis vnius è ministris precibus Christum inuitus & simulatè sed tamen eiurauerat. Is deinde facti pœnitens, sed nondum satis efficaciter. Adamum inuisit dum in sua cellula tenebatur,

Futura prædicit.

batur, à quo est in aliquorum præsentia satis asperè increpitus, cúmque discessisset hæc de eo dixit astantibus. Ipse quidem nimis ignauè se gessit, sed non ita multo post, diuinum honorem suúmque abunde resarciet. Prædictionem probauit euentus. Vix bene Adamus martyr obierat, cùm ille ipse ministrum adiens à quo fuerat ad defectionem prouocatus eum coram testibus ethnicis in hæc verba compellat: Meminisse potes quàm importunè nuper à te lacessitus nimis turpiter in fidei causa defecerim, nunc teipso ceterisque testibus profiteor me nunquam ex animo Christi fidem posuisse, sed contra doloris mei testem conscientiam ex eo tempore nunquam conquieuisse, tametsi quotidiana corporis flagellatione assiduáque comprecatione conatus sim immane scelus eluere. Nunc rogo te vt posthac me pro Christiano habeas Christianéque viuendi facias facultatem. Excanduit ille cúmque se ac præfectum quin & ipsum dynastam negasset hanc facere posse facultatem, iniurijs affectum eiecit è consessu. Tum ille magno planè animo facinus aggreditur animo dignum pœnitente. In proximas enim ædes irruens candenti sibi ferro bene conspicuam in fronte crucem inurit. Tum in consessum redit in hæc verba prolocutus, Quis hoc signo inustus dubitabit me iam Christi fidem profiteri, cuius causâ quidquid est vbiq; suppliciorum irrogate, qui ad hoc animum ingessit, ad cetera vires non negabit. quo dicto se à consessu proripuit silentium illis ex stupore relinquens. Non nesciuit hoc gubernator iámque statuerat atrocibus in eum tormentis animaduertere, sed quod intelligeret plerosque Adami exemplo recentíque facto inflammatos in eandem arenam prodituros abstinuit, Christíque seruus suo cauterio conspicuus in totam vitam liberè se pro Christiano gerit, præfecto velit nolit conniuente.

Desertor fidei palinodiam, recantat insigni libertate.

Candenti ferro sibi ipse crucem inurit.

Sed tandem aliquando ad Adamum nostrum redeamus. Interim cum ipse sua cella detinetur diúque spes præfecti suspendit, incidit forte nobilium de eo cum præfecto mentio. Multis videbatur in eo torquendo demandatum sibi munus excessisse, cum enim domesticus esset noster, videbatur ex dynastæ sententia solo exilio non supplicio plectendus, nec vllum mactari oportere, cum dynasta nullum in Christianos ius necis concessisset. Præfectus itaq;

satis dubius quid ageret, renunciari iubet hero cui Adamum commendarat, suaderet Adamo vti se clam Nangasaquium recipiat. Cui Adamus non faciam, inquit, nisi publica iudicis sententia iubear exulare, sed neque id sum facturus nisi publico scripto munitus, quo constet me à Christi fide deficere noluisse. Quod cùm audisset præfectus, statuit cum ceteris regni moderatoribus absente dynasta rem agitare. Ergo cum in arcem se Caratcu dynastæ sedem contulisset, placuit præter omnium expectationem Adamum toties rebellem tamque insigniter peruicacem obtruncari, non dubiam esse in simili casu dynastæ voluntatem. Hanc moderatorum sententiam illi pronunciarent, si ea territus resipisceret, viuere sineretur, sin verò, plecteretur.

Mortis in Adamum sententia.

Hanc mortis sententiam Adamus ita excepit sicut semper optauit, ad quem fama rem vulgante tanti subitò neophytorum concursus facti sunt, vt de publicè plectendo consilium deposuerint ne sacra martyris exuuias ad cultum, quod nuper Arimæ fecerant, per vim sibi raperent Christiani. In arcem igitur ex custodia sua reductus eo prætextu, vt in suam denuo crucem ageretur, post aliquot deinde dies palam obtruncandus. Neophyti tametsi fraudem facile sentirent, nullo tamen modo illius martyrio per custodes interesse potuerunt. Illa igitur ipsa nocte clam magnóque silentio Adamus educitur sub gallicinium eo gaudio delibutus, vt omnes obstupescerent. Iter erat asperum ac præceps è summo monte in quo arx sita est ad littus, & tametsi alij qui eum ducebant sæpius laberentur, quod ad secretum nulla face iter regerent, ipse senex vinctúsque saltitans nusquam offendit, sed potius cum à carnifice de loco periculoso moneretur, exilijt eo animi corporísque impetu, vt eum qui funem trahebat post se raptaret. In supplicij loco breui perorans, cum rogasset carnificem, vt vna cum filio fidem susciperet Christianam, ipséque se facturum recepisset, ceruicem fortiter præbuit amputandam. Verum in tenebris aberrans sica humeros tetigit, ipseque immobilis ac Iesum inclamans, alterum ac tertium ictum, quo demum decussum caput exilijt, expectabat. Ethnici qui soli aderant, affirmarunt, truncum caput postquam in terrā excidisset, bis Iesum ea contentione vocis inclamasse, vt tota vallis insonue-

Capite truncatur.

Truncum caput bis Iesum inclamat.

insonuerit, quo permoti dicebant, hanc mortẽ aptam esse, ad Christi fidem persuadendam, orationem. ideo quod fieri non posse videretur in ea lege in qua tanta viri virtus cęlestibus prodigijs honoratur, salutem minimè reperiri. Sacrum cadauer vna cum capite reti inuolutum, altum scapha conscendentes saxisq; prægrandibus depressum in mare demerserunt, priusquam neophyti qui paulò pòst accurrerunt, concurrissent. Sed recenti cruore tepefactam adhuc humum colligentes, ethnicos qui paulò pòst aqua maris sanguinem venerant diluturi, præuenerunt. Sacrum corpus & caput sedulò cõquisitum reperiri non potuit, tametsi ex luce, quæ supra locum, vbi demersum dicebatur, frequens visebatur, in spem venissent illius educendi. Lux etiam in eo ipso loco in quo fuerat obtruncatus, sæpius illuxit, quod vtrumque iurati testes permulti confirmarunt, & aliquando contigit ad octoginta simul omnes eam lucem eminus conspicari, & quosdam, qui eam videntibus ceteris non videbant, precibus ad Deum fusis vt viderent impetrasse. *Lux in loco supplicij visa.*

QVIS ARIMENSIVM RERVM STATVS *hoc anno fuerit.*

CAPVT XVII.

DIu iam tota Iaponia vagati sensim redigimur in angustum; reique Christianæ maximam cladem cultorum illius vineæ expulsionem persecuturi in extremum Iaponiæ angulum compingimur. Et quoniam à Nangasaquiensi portu proscripti exulare iubebantur, prius loca viciniora circumlustremus quã Nangasaquiũ repetamus. Arimenses primũ nobis reuisendi sunt, tũ Fijensis regnĩ domicilia (in quo Nangasaquiensis portus ipse numeratur) percurremus, ac demum Iaponia soluturi Nangasaquij conscendemus.

Redire velim in memoriam ea quæ libri secundi principia de Safioie fraudibus aperiunt, quæ tandẽ hoc año eos quibus incubabant fœtus excluserunt. Ea vti contigerint & anno sequenti tragœdiam horribilem prepararint, aggredior explicare. Arimensis regulus cũ aduerteret Octobris elapsi victimas ita arsisse, vt in reliquum Arimensem agrum incendia sua vulgarent, & Neophytos omnes intelligeret vehementius votis quàm flammis ardere; satis

intellexit, ex Safioie principijs in quæ iurauerat nimis inconsultè dynastiæ suæ statum ab offensi imperatoris nutu velut à filo pendere, eo maximè telam intercidente, quam non aduertebat sibi texere, quam alteri retexebat. Ergo vt malum præueniendo minueret, aut in melius etiam noua illectus fraude commutaret, ad Imperatorem auctore Safioie rescripsit in hunc modum, Sibi iam diu patrijs dijs post eiurata barbara sacra restituto nihil magis cordi fuisse, quàm vt clientes suos auctoritate, minis, precibus, ac demum supplicijs eò pertraheret, quò ipse iam exemplo præiuerat. Sed cum omnia cum peruicaci hominum genere sibi in vanum recidissent, nec aliud ad sperandam victoriam telū superesset, cupere se etiam atque etiam vt permutata prouincia sibi liceat in eam regni partem commigrare, in qua non sit ei cum ea pertinacia colluctandum. sperans fore vt ampliorem hac via ditionem aulęque propinquam ei darent qua ditiores ac securiores essent; id sibi coniugique, Imperatoris pronepti gratissimum ideo fore, quod esset expectatissimum.

Arimensis dynasta petit prouinciam sibi ab Imperatore permutari.

Interim dum eæ literæ non tam itinerum quam aulicas moras expertæ responsum differunt, auditur, fama vulgante, quid Miaci, quid toto Cami, reliquáque Iaponia Christianę religionis odio turbetur: inde factum est vt & ipse dynasta eodem semper metu palpitans ne iners incuriúsq; videretur intermissum aliquot iam menses in Christianos furorem renouare meditaretur. Re in dubitationem vocata, supplicia, exilia, minæ, ceteráque huiusmodi, quòd parum nerui habuisse constaret, non satis placuere. grauiora quærebantur. Ea ex studio virtutis petita, laborarunt, vt virtus, si fieri posset, secum ipsa pugnaret. Nam statuunt alia nulla re moueri acrius posse neophytos, quam si vxores ac filias nudatis corporibus per compita circumraptarent, petulantíque vulgo ad ludibrium exhiberent. Ea res omnino pudoris ac verecundiæ cultores acriter permouit, non vt fidem pudori posthaberent, sed vt inusitatis modis animosè sanè, sed nimis fortasse militariter fidem pudoremque simul in tuto collocarent. Quibusdam videbatur tuendæ castitatis causa posse vxores ac filias simul omnes potius iniectis ignibus conflagrare, quam se igneis libidinum telis exponere. Quibusdam

Minatur neophytorum vxores ac filias nudas circumraptari debere.

Varia contrà neophytorū consilia.

dam mitius credebatur armis tuendum pudorem, ne de viuis impudentia triumpharet. Placuit tamen ad extremum vt sodalitiorum præfecti ad dynastam pro ceteris legatione fungerentur, supplicesque exorarent vti supplicijs vsitatis contentus ab ijs abstineret quæ barbarum erat non exequi solùm, sed etiam designare, ne fortasse inaudita ludibria læsam patientiam verterent in furorem, cui dedisse causam nemo non prudens iudicaret eum qui barbara in non barbaram gentem supplicia fortasse primus inuexisset. Continuit ea res impetum, ac metus ratióque malesana consilia suspenderunt. Ne nihil tamen fecisse, solóque metu elanguisse, non etiam rationi cessisse videretur, sicca nihilominus ac sine sanguine tela in vniuersam nobilitatem euibrauit. Edixit enim, vt quisquis ab eo censum siue annuos reditus acciperet, extemplo aut religioni cederet, aut fortunis. Nec mora, familiæ omnino quinquaginta à splendore atque opibus ad pœdorem extremámque inopiam libentes deuenerunt, ideo quòd Apostolo doctore didicissent, *omnia vt stercora arbitrari vt Christum lucrifacerent.* Cætera quæ in Christianos moliebatur in Safioie reditum ab regia Imperatorísque super prouincia permutanda responsum differebat.

Christianos nobiles fortunis exuit.

Eam moram Christiani (pudet enim prope inposterum veteranam horum pugilum virtutem neophytorum nomine compellare) eam inquam moram in lucro reponentes toti erant in accurata comparatione ne telis improuisis obruti cederent. Nec pigebit interim dum Safioie præstolamur, ne otiosi simus, hæc animorum incendia propius, vt incalescamus, contemplari. Solenne illis iam erat intra octauum quemque diem vnum ieiunio piæque flagellationi dedicare; alterum addiderunt, statas preces duplicarunt, & eas quæ in horas quadraginta nunquam intermissæ producuntur varijs in locis indixere, sacramentum de non eiurando Christo solenniter innouarunt. Tum Nangasaquio clam Sacerdotem è nostris vnum alium euocant, à quo intra dies paucos octingenti sunt magno eorum solatio à peccatis expiati.

Christiani ad martyrium se comparant.

Ipsi pueri, qui infra quintum ac decimum annum sub auspice D. Iosepho ex nutricia Christi pueri cura, puerorum archipatriarcha cogebantur à sacramento excusari per ætatem ac iura noluerunt.

Pueri è Iosephi sodalitio coniurant ad martyrium.

runt. Illud in hæc fere verba non pueriliter conceperunt. Tametsi nobis vngues euellantur, aut sigillatim dentes eruantur, tametsi aqua torqueamur, aut viui conflagremus, aut quidlibet aliud pati nos oporteat, nunquam à Christi fide, quam hoc profitemur sacramento, discedemus.

Vbi aduenit Arimam Safioie, nihil prius habuit quam vt duodecim ad se sodalitiorum præfectos euocaret, ij quoniam de martyrij palma nihil dubitarent agi, dictu est incredibile quàm læti se stiterint euocanti. Nec ij solum, sed alij quoque permulti ad spes proximas non vocati, dum vocatos comitantur seipsos inuitabant, ijque tanto numero vt propè aulas omnes atriáque oppleuerint. Arimensem dynastam vna cum Safioie reperiunt, à quo sunt in hanc sententiam compellati. Peruicacia vestra in barbara religione retinenda non solum res vestras eò detulit, vt inter supplicia perpetuo timoresque aut moriamini aut viuatis, sed principis vestri, quem per tot iam auorum ætates coluistis, prouincia est in extremum adducta discrimen. Huc igitur à me estis auocati, vt admoneamini, saniora consilia, non vt antehac respuentes, an vitio vestro dynastam vestrum perdere vósque ipsos innumeris in posterum velitis calamitatibus inuoluere? Deliberaturis de tanta re spacium damus, & saniora consilia optamus. Huic orationi quæ prona videbatur ad quidlibet extorquendũ, vnus cæterorũ nomine in hæc ipsa verba respondit. In religionis causa iá dudũ omnia extra deliberationẽ statuendo posuimus. De Arimensis prouinciæ ac principis periculo aut etiam pernicie nihil vitio nostro religionisue aditurum arbitramur, cum illius legibus nostráque omnium propensione fidem illi non secus ac parenti simus seruaturi; quem in finem fortunas nostras omnes ac ipsam vitã, salua duntaxat religione, deuouemus. Si cuiuspiam vitio principi nostro clades accersatur, liberi sumus à culpa, infortunium commune, prout par est, deplorabimus. Nec ideo tamen Arimensi regno cœlorum regnum, nec vitæ breuitati æternitatem postponemus. Cum hoc responso dimissi iubentur nihilominus rem denuo in deliberationem adducere, antea quàm res adhuc integræ eo deueniant, vt nullus consilio locus supersit aut modus.

Sodalitiorũ præfecti à Safioie tentantur.

Respondent.

Tentatis in hunc modum Arimensis opidi incolis ad alios etiam

ex

ex agro transitur. Ouchinotcu principium dedit, sed & finem quod eorum constantia victoriæ spem etiam cum ceteris fecisset desperatam. Ea constantia magnam partem, secundum Deum, accuratæ illorum comparationi debetur, quam ne referam materiæ similitudine deterreor. In renouato tamẽ fidei sacramẽto, noua suppliciorũ genera expresserunt in hunc modum. Tametsi exilia, bonorũ proscriptiones, proliũ coniugumq; nostrarum seruitus ac ludibria proponãtur, tametsi frustatim secari, viuos assari, frigi nos oporteat, tãetsi quolibet alio supplicij genere torqueri nos cõtigerit, nunquã à Christi Dñi ac Seruatoris nostri lege recedem⁹. Id iuramentũ educto sibi ex digito, more gentis sanguine nomẽ ascribentes cõfirmarunt. Ac ne fortasse heroũ sodalitio nota ex cuiusquã defectione inureretur, non nisi selectissimũ quemq; inscribentes vltra centuriã censeri noluerũt. Ex eo igitur pago primores quinq; Arimã euocantur, cũ q̃bus Safioie similibus formulis pugnauit, illi pari responso repugnarũt hoc solũ supra Arimensiũ responsum addentes, ꝙ deliberationẽ etiã post altera iussa admittere noluerint, itáq; responderint, vt Safioie impotenter se ex tribunali proripuerit, & in proximum cubiculum receperit. Cum hac victoria reduces ita ciues suos incenderunt, vt ardere omnia iam proximo persecutionis igne viderentur. Sodalitij sacramentiq; centuriam candidatorum torrens extra suũ alueum in alias quatuor centurias vno hoc impetu exportauit, nec vltrà limites pati voluit numerum indignata. Fuit vnus aliquis quẽ suppliciorum imagines menti oblatæ terrere non poterant, nisi ea quæ lentum incendium minabantur. Statuit experiri, luculento igni nudus assedit, sudauit, propead delirium æstu iam caput corporis arcem inuadente, turbatur inde ac trepidat veritus ne huic supplicio cederet, sed à nostro sacerdote edoctus hæc virtuti supra naturam, quæ suo tempore copiosè confertur, accepta deberi, metum ponens animo conquieuit. His alijsque pluribus Arimenses ad insequentis anni atrocissima prælia nobilesque victorias abundè comparati, nihil enim vltra molitus est Safioie, vel dynasta neque est hoc anno vltrà sæuitum.

In Cuchinotcu Christiani tentantur.

Sodalitium Martyrum sacramentũ renouat.

Mirum Martyrij desiderium.

Safioie interim cum dynasta de permutanda ditione consilia miscens persuasit ne mutaret, noua fraude adolescentem deludens. Eo enim maximè adnitente alia iam illi prouincia erat assignata in regno fiunga, aliquanto Arimensi agro inferior, eaque

Arimensi dynastæ ditio permutatur.

in parte in qua vicinos parum fidos erat habiturus primo in tumultu competitores & fortasse qui per vim inuaderent. Scribitur igitur in regiam, Safioie omnia spondet ne Arimensem agrum alteri eripuisse, sibi rapuisse videretur. Sed fictè omnia, iam enim aleam iecerat, nec vllus conatus aut gratia profuit. Ergo breui ex aula rescribitur, vt Arimensis dynasta in designatam sibi extemplo transeat prouinciam, eique velut proscripto, qui tot insontes proscripserat, dies intra quos abire, suáque cogatur efferre designantur; eiúsq; rei exequendæ negocium Safioie mali totius architecto demandatur. Mirum quanto mœrore confectus abierit, maximè quod ex clientibus neminem permittebatur abducere, qui non prius Christum abdicasset. Ne tamen solus abiret dissimulandum illi fuit, nam apud ipsum eo tempore supra 300. palam Christi fidem profitebantur. Multa illi ex itinere incommoda terra marique contigerunt, demersis nauigijs amissáque supellectile, planè vt constiterit iratum Deum defectionis ab eo pœnas repetere, quibus vtinam saperet, seque, quod nondum facit ad frugem reciperet. Ita miser ijs ipsis artibus, quibus auitas terras conseruare tanto conatu cogitauit, quia non est consilium aduersus dominum inconsultus amisit; quod si in parentis sui funere attendisset expressum, non dedisset ipse filius experimenta recentioris toti Iaponiæ documentum. Hæc omnia post mensem Iunium, quo Safioie ab regia redierat intra hunc eundem annum perfecta contigerunt.

Dies ad abeundum tanquam proscripto designatur.

DE NOSTRORVM DOMICILIIS NANGAsaquiensi Collegio attributis.

CAPVT XVIII.

EXtra emporium Nangasaquiense finitimus ager magnam partem Christum profitebatur intraque regnum Figen in quo est ipsum emporium nostri sedes aliquot numerabant. Earum in communi malo par fuit fortuna, sed de singulis pauca seligamus. Isafay sub vmbra sui dynastæ licet amicissima procellæ vim euitare non potuit, sed tamen minore damno tolerauit. Iussus est sacerdos noster Nangasaquium se recipere, clam quoties ad neophytos vellet

Isafay.

vellet rediturus. Aedes sacra diruta, sed ad eā suo tempore restituendā quę integra ante ruinam fuerunt dynasta iubente seponuntur. Aedes nostræ priuatæ stare permittuntur nec ad eas conseruandas, sed maximè fouendos Christianos duo alumni nostri expelluntur. Cū neophytis pręter edictum vix aliud tentatū nam tametsi singuli ad iudices excutiendi vocarentur, ab ipsis tamen iudicibus moniti hoc Imperatoris gratia fieri, posse Christi fidem liberè sed non palam profiteri, ne dynasta malum pro beneuolentia reportaret. Ex toparchis tamen intra eosdem fines minoribus non defuere qui priuatim in domesticos suos vel religionis odio, vel priuatis ex causis vtcunque sæuirent, quorum pręlia & triumphi tametsi à nobis omittuntur, non sine suo præmio, Deo teste, conseruantur.

Alia nostrorum sedes ex qua Iaponensis Ecclesiæ instituto sacerdos noster vicinos Christianæ fidei limites moderabatur. Fundoyama vocamus. In Omuræ regione sacrificuli dynastam incitarunt, vt Iaponiæ totius exemplo in Christianos sæuiret. verum ille renuens ait se religionis causa nolle suis terris inferre solitudinem, aut quietos clientes supplicijs sollicitare, certarent ipsi qua se valere profitebantur facundia vel causæ bonitate, in quo tametsi sibi non defuerunt, neophyti tamen, qui iam eorum artes norunt, ipsi quoque sibi adfuerunt, pecuniaria tamen mulcta illi qui nostros reciperent imposita, sed nunquam exacta. Ximadono arcis suæ neophytos Caratcu vocant acrius tentauit, nonnullos enim exilio bonorúmque proscriptione damnauit, è quibus insignis Christi confessor Acafoxi Georgius breui martyr spretis omnibus vnam secum fidei margaritam exportauit. A Nabexima, qui maximam Figensis regni partem obtinet, eiecti nostri sua sede quæ in dynastæ eret potestate sacram ædem à ruina tueri non potuerunt. latuit nihilominus diu vnus è nostris, qui deinde subinde ad suos recurrebat postquam se Nangasaquium recepisset, sacellum vicino in pago sibi commendatum Clemens in eoque sacram imaginem asseruabat, vrgentibus vt traderet, ceruicem obtulit, imaginem negauit. Cúmque fugam ab eo post hoc facinus adornari metuerent priusquam dynasta moneretur, protestatus est fugam fore sibi pro defectione si eam adornaret. Monitus dynasta Clementem proscriptio-

Fundoyama.

Caratcu.

ne damnauit; abiuit ille quidem sed victor, imaginem quippe suam controuersiæ principium exportauit, ita lætus, vt nihil amisisse sibi videretur. Inter eosdem neophytos magnus pietatis ardor erat, quem Deus cælestibus prodigijs videtur cohonestasse. Ex ægritudine paralysin contraxerat iuuenis ingrediendi facultate planè destitutus. Vouet se in ædem nostram confessionis causa venturum. Nec mora, cum tentasset ingredi, ad eam facile se contulit vltra tres leucas constitutam. Neophytus alius in fano pernoctabat, quod domo careret, quem cum nocturna spectra terrerent, imaginem B. Virginis eo in angulo suspendit, in quem se recipiebat. Eam spectra spectare cum non ferrent, in perpetuum diffugerunt. In pago Vracami, & Mongui sedes nostras Collegij Nangasaquiensis vicinitas tamdiu defendit, quam diu ipsum stetit.

Paralysis diuinitus curata.

B.V. imago spectra fugat.

Fucafori.

Fucafori pagus est in ore portus Nangasaquiensis, ædem ibi sacram eius dynasta, hortatore Safioie, diruit, ne cum suo, quod ibi erexerat, exiguo fano certaret. Hoc anno superiore. Præsens annus in ipsos sæuijt atrocius Christianos; præfectus enim propositis grauibus pœnis edixit, ne quis esset Christianus. sed surdis cecinit edictum, in vnũ corpus facti de Christo nõ deferendo conspirarunt. Primores præfectus ad se accersitos dementiæ incusauit, quod in religione barbara & insuaui salutem quærerent, quam patriæ sectæ sine fortunarum ac vitæ periculo spondent minus inclementer. Cui vnus ceterorum nomine ita respondit, Atqui hoc est Præfecte, quod controuertitur; neque enim eam legem elegissemus, nisi prius planè apertéque nobis constitisset, in ea vna salutem, non in cæteris reperiri, quæ tota Iaponia mortales sua falsitate dementant; quo ita constituto breuia non debent æternis anteponi. Præfectus in re seria iocatus ita retulit. Quis ab æterna vita cursor aduenit, cuius auctoritati quæ creditis innitantur? Alter verò, rationes quibus adducti nobis in animum induximus hanc legem sequi, pluris nobis sunt, quam quæ à cursoribus noua sparguntur: catechisticas prælectiones excute, si nostræ legis veritatem, si Iaponensium sectarum inanitatem tibi voles sine fraude constare. Iocus in furorem vertitur, serta rosaria, tradi iubet,

Neophytus præfecto libere respondet.

bet, sed iuuenis, Petrus dicebatur, excanduit. Nemo fidem & rosarium sertum nemo tradet, pro quo vitam ponere venimus comparati. Petri socer ethnicus iudicem postea rogauit, ne adolescentis libertatem, pro eo quod merebatur plecteret, spondere se facturum vt positis iuuenilibus animis intra superiorum se iussa recipiat. quod cum Petrus inaudisset, indoluit, extemploque vxorem ac proles ad socerum amandauit. Filiæ tuæ, ait, ac nepotum amor immodicus effecit, vt pro me nolente sponderes, tu tibi illos habe, ego sine illis liberior, si res tulerit, mortem feram. Præfecto autem sicam suam dono misit, se; qui breui pro Christo moriturus esset, sica non indigere. Socer tandem vbi domesticis prælijs generum frustra tentasset, filiam illi remisit ac proles, protestatus, velle se, vt mariti, ac parentis periculum sustinerent. Sed gubernator mentito soceri chirographo, ad speciem defectionis, contentus, Petri spes infortunium suum deplorantis elusit.

Fortunatiores fuere Cosmus & Ludouicus fratres, hic martyrio, alter exilio. Cum enim de varijs interrogati hoc vnum respondissent, esse se Christianos, pro ea causa mori paratos, domum se receperunt, donec per internuncium præfecto iterum vrgenti, maximè à cognominum similitudine, & aliqua propinquitate, hoc ipsum, nec aliud responderunt. Domus igitur vtrique in custodiam designatur, dum statuat dynasta, quid hac pertinacia fieri iuberet. Interim dum responsum expectatur, ipsa nocte Nangasaquium excurrunt, peccata expiant, preces aliorum postulant, ipsaque nocte domum reuertuntur, vbi ad martyrium vestes, ac cereos etiam, quos gestent manu, parant, tantóque desiderio ad dynastæ responsum anhelant, vt aliud à visitatoribus nihil prius exquirerent.

Interim præfectus accepto iam responso, Ludouicum secum ad piscationem, quam animi gratia meditabatur, inuitat. In eum diem forte inciderat, quem à Christi corpore solennem appellamus. Parum abfuit, quin Ludouicus celebritatem causaretur. Sed cum incidisset, esse posse quod tantopere cupiebat, scapham cum præfecto conscendit. Vix aberant à littore leucā vnam cum præfectus ita

Ludouicum compellat. Constas tibi Ludouice in eo quod circa religionem tuam nuper es professus. Planè ait ille, & hilaris & ad moriendum comparatus. Responsum qui aderant sannis & dicteriis spernente Ludouico exceperunt. Itaque præfectus ceruicem illi iubet amputari. Ruit extemplo Ludouicus in genua & suauissimè Iesum ter inclamans altero ictu obtruncatur. Cadauer & caput alligatis saxis demersum piscationem fictam quæ in hoc solum adornabatur absoluit. Reuersus præfectus fratris vtriusque domum diripit, & familiam vtramque perpetua damnat seruitute. Solus Cosmas extra fines iubetur exulare, satis tristis quod ipse senior fuisset à iuniore præuentus. Neophyti porro Nangasaquenses non fictam piscationem adornant, sacrum sicubi reperiri posset cadauer extracturi. Dies quinque iam frustra lapsi erant, cum nocturna lux locum notat, vt iurati testes confirmauere: eáque duce perfacile sacrum pignus eduxerunt, & Nangasaquii societati nostræ commendatum ad ceteros martyres est adiunctum, donec pace reddita in patriam remittatur.

Ludouico caput amputatur.

Cadauer in mare demersum nocturna lux prodit.

NANGASAQVII ANTE EXILIVM gesta.

CAPVT XIX.

QVàm inuiti se ad exitum è Iaponia comparant exulaturi, antiquam stationem breui deserturi, tam inuitus ad eius narrationum accingor, malique nuncij baiulus non possum non claudicare. Gloriosum est quidem in Christi causa mori, gloriosum est pro retinenda fide proscribi, sed quia apostolicum est pro fratribus anathema fieri, non potest etiam pastoribus oues deserentibus exilium non esse luctuosum, ijs inquam qui salutem alienam propriæ gloriæ quantum licet libenter anteponunt. Sed tamen vt in partem laboris si non patiendo, compatiendo saltem veniamus ad id quod inuiti facimus, vt vt fuerit accingamur.

Vix vnquam mala sola irruunt, catenati labores alterum ex altero cudunt, filóque continuo se mutuo intertexunt. Primus Nangasaqui naufragantis ecclesiæ fluctus nauarchum excussit, viduúmque

que gubernaculum arte sua destituit. Ineuntis quippe anni, qui Iaponensi ecclesiæ criticus fuit, initio Februarij mensis die sexto ac decimo Iaponensis præsul diem suum obijt. Is erat è Societate nostra Ludouicus de Cerqueira Lusitanus, vir ijs dotibus præditus, quas ea dignitas exigit, etiam in ecclesiæ nascentis incunabulis difficilius occupata. Trimestris illum sustulit ægritudo, cui causam continuus ex sponsæ suæ malis conceptus dolor dedisse creditur, secundum hunc inter humeros à dextro nonnihil latere dolor internus accesserat qui dies ante obitum quindecim in apostema duplex erupit, quod malum cum omnia medicæ artis præsidia pertinaciter elusisset, Iaponensis ecclesię lumē extinxit eo maximè tempore quo tenebris ingruentibus optabatur.

Ludouicus de Cerqueira Iaponensis episcopus moritur.

Quo sensu iacturam communem omnes exceperint, satis testatum videri potest ex incredibili ad funus prosequendum concursu, ex publica comploratione, iustisque funebribus omnium ordinum consensu qua fieri potuit pompa celebratis, quæ omnia persequerer nisi me alia vocarent, hoc vnum sit satis, Ecclesiastico splendori nihil defuisse, neque apud Nangasaquienses in hoc etiam rei Christianæ tirocinio, Europam desiderari potuisse. Non me teneo tamen quin elogij loco viri virtutes per summa capita percurram, hoc ipso luctum fortasse communem solaturus. Quam ex religiosæ disciplinæ diuturna exercitatione virtutem hauserat, ad Episcopale munus cum attulisset, mirum quantum supremo illi apud Iaponenses neophytos muneri contulerit dignitatem. Vnica illum sui officij cura distinebat in pauperes, proscriptos maximè, quod effunderet, de non opimi beneficij tenuitate subtrahebat. Clericis suis licet adhuc in hac ecclesiæ nascentis infantia paucis, ipse non raro de conscientiæ casibus quæ nuper ediderat, ad tempus accommodata prælegebat, charus erat prope ex æquo omnibus, ijs etiam, quos ex officio suauiter fortiterque corrigebat, ipsi ethnici magnates etiam, per omnes honorum gradus ad Cæsarem vsque beneuolentiam suam quoties inciderat venerationi mixtam testabantur. Qui in cæteros talis fuit, qualis erat in seipsum? qualem planè religio finxerat, honor, morum non rarus immutator, nihil innouauit erga Societatis Præpositos & maxime Generalem,

Mortuo parentatur.

Episcopi Iaponensis elogium.

pro ea, quam exhibere non poterat obedientiæ religiosæ demissione, promptam & voluntariam obseruantiam perpetuo substituit. Domus Societatis ordinem æmulata, orationum tempora datis signis partiebatur. Denique non religiosam vitam deseruisse, sed ad eam pastoralis officij munia addidisse videbatur. In ea ægritudine quæ illi suprema fuit, socio sæpe affirmauit, terrena iam sibi omnia diu viluisse, cuperéque cum apostolo dissolui; sed vnam superesse curam, vt quam in infantia rudiorem acceperat ecclesiam, nouis præceptis, prout adolescendo capax fiebat, erudiret, quam ad rem summi Pontificis, quem de multis consuluerat, responsum præstolabatur, circa quæ multa mihi dicenda essent omnium conscio, nisi hoc remotius esset ab instituto; in ijs saltem toti Romanæ curiæ constitit, quam exactum haberet Ecclesia in extremi orbis angulo, sacrorum Canonum obseruatorem. De quibus tametsi responsum non est assecutus, quod laborum mensuram præmia compleuerint, non defuit ecclesiæ tamen ex Christi vicarij liberalibus indultis, vnde sui laboris absentiam desideriúmque leniret, interim dum ille nouus è Lusitania præsul aduenerit, è Societate nostra nuper nominatus Dominus Didacus Valens, in cuius consortio hoc ipso anno, quo hæc scribimus, ad Iaponas Sinasq; nostros cum selecta sociorum manu bene ominatum, vt speramus, iter repetimus & per immensa maria Deo duce renauigamus.

Prouincialis Iaponiæ sede vacante vicarius generalis eligitur. Præsulis obitum crudelissima huius anni tempestas excepit, cuius pondus ex Clericorum electione canonica in P. Valentinũ Carualium præpositum Prouincialem est reclinatum, in quo clerus ille cum summi pontificis voluntate nihil aduertens planè conspirauit. Cum enim auditum est Romæ, Iaponiæ præsulem ecclesiæ suæ decessisse, ne quid ex longa successoris mora in ea locorum distantia caperet detrimenti, suprema Pontifex auctoritate sanciuit, vt quoties illam Ecclesiam suo viduari pastore contingeret, vicarium munus, nulla noua electione, in eum recideret, quem tota Iaponia supremum Superiorem Societas Iesu agnosceret, quocunque illum tandem nomine appellaret. Is igitur ex officij sui ratione procellam ingruentem auersurus, in regiam misit è nostris P. Iacobum Mesquitam, qui diu Collegium Nangasaquiense moderatus præfe-

cto Safioie notus & charus esse (si quis illi rei Christianæ administer vnquam charus fuit)in paucis credebatur. Degebat tum in aula Safioie,à quo neglecta propter odium in Christi religionem amicitia,qui missus fuerat,ne ad Cæsarē adiret planè est impeditus; quod diceret,principi certum ac statutum, omnes ad vnum ecclesiæ administros Iaponia pelli,nec vnū Iaponia tota neophytum superesse.

Aditus nostro ad Imperatorem à Safioie præcluditur.

Ex hac extrema rerum desperatione humana remedia damnari cœperunt,diuina euocari;in quo sanè tanto à neophytis ardore certatum est, vt nemini molestam arbitrer fore narrationem,si solito enucleatior inseratur. Ea quæ à neophytis in hoc genere patrata sunt,si priuata partim fuisse dicam,partim publica, nihil prætermittam. Priuatis facem præluxere nostri,dum intra domesticos parietes id occeperunt,quod ab alijs erant exacturi. Ex præpositi prouincialis voluntate sacrificia complurima,corporis afflictationes,oratio continua potius,quam in horas quadraginta de more sæpius distributa,ad quam intra secretius sacellum augustissimi sacramenti præsentia intuentium oculis exposita, precantium feruorem incitabat. Hinc profecta sunt & ex aliorum ordinum familijs,quę deinde ad neophytos eruperunt. Omnes in sua sodalitia distributi domi primùm suæ solita pietatis exercitia insolito ardore sunt prosecuti, ea deinde in ædes sacras penetrarunt, quæ tetigisse satis est ijs,qui ex re nata facilè sunt cetera collecturi.

Extrema omnia Christianis intentantur.

Neophyti ad martyrium se comparāt. Priuatim.

Publica vero ita inusitata fuerunt,vt facilè testentur priuatum, vnde nata sunt, incendium. Teneri quippe nullo modo potuerunt, quin inconsultis suis rectoribus in publicum erumperent, ardore fortasse magis pio, quàm prudente consilio, quod ex hac ipsa causa,vt deinde constabat, ethnici obtrectatores calumniæ ansam arripuerint. Sed culpari non possunt plerunque,quod spiritus impetus abripit vltra quàm humana consilia detulissent. Ergo neophyti,ad impetrandam diuinam opem,supplicantium pompas explicant, totáque vrbe sua vota, frementibus licet,qui præerant ethnicis,euulgant. Maio mense duplex huiusmodi pompa præcessit, in qua, præter reliquum apparatum, in seipsos supra mille flagellis sæuiebant ijs, quibus cruor copiosus exprimitur. Alij multi suppliciorum in se nouorum inuentores sponte imitabantur, quæ alibi

Publicè.

Varia in supplicatione corporu afflictationes.

alibi Tyrannis in Christi martyres intentarat. Quidam intra storeas compacti neophytos Miacenses, totiúsque Cami referebant, alij tibias intra præduras arundines prensabant, alij crucem imitabantur: nonnulli nuda pubetenus corpora spinis inuoluebant; nec pauci ingentia saxa humeris gestabant: quidam manicis compedibúsque manus pedésque induebant; multi pectora silicibus tundebant: quidam aliorum humeris ad transuersa ligna pedes manúsque extensas colligati gestabantur. Nullus erit finis si omnia pœnarum comprendere nomina tentem. Hos pueri sequebantur Christi tormentis quæ capite manúque gestabant insigniti, à quibus Diui omnes ex ordine in auxilium vocabantur, idque voce ita lamentabili vt multis lacrymas excitarint, etiam ethnicis, qui communem vrbis luctum siccis non poterant oculis intueri. Nec vna fuit huiusmodi supplicantium turma, exinde plures ac plures ita increuerunt, vt die quadam sex septémue in hoc apparatu prodierint, nec temerè affirmari posse putetur nullum tota vrbe fuisse cuiuslibet ætatis aut sexus, qui non aliquoties supplicaturus prodierit, ac sese palam peculiari corporis afflictatione, quam cuique pietas suggerebat castigarit.

Nangasaquiensibus neophytis coniuratio impingitur.

Ex his vrbis moderatoris ethnici Safioie famuli & familiares veriti ne quis tumultus oriretur, cuius ipsi culpam sustinerent, maluerunt calumnia imminens à se malum remouere, quàm veritati patrocinari. Ergo ad eum scribunt iam ab regia reuertentem, Christianos publica totius vrbis coniuratione ad Imperatori repugnandum conspirasse, neque passuros videri, vt sui pastores laponia tota exulaturi nauem conscenderent. Has literas si ex itinere præfectus accepisset leuius malum futurum erat, quippe quod longa cum Christianis tractatione, quid agerent non quid molirentur assecuturus. Sed cum nuncius obuiam minimè reperissent, Surungam vsque peruenit, literásque illius sorori tradidit, quam alibi charam inprimis Imperatori familiaremque esse monui. Illa fratris amore ac muliebri furore amens Imperatorem adit, fratris periculum explicat, eóque credulum redigit, vt senex iuuenili furens impetu sicam corripiens exclamauerit, se ipsum Nangasaquium deleturum, nisi remotius abesset, Satis enim vereor, ait, ne Safioie rei

bellicæ

bellicæ non satis peritus minus apposité hunc tumultum sedet. Et mox ad consilium refert, vti dispiciant, nequid respublica capiat detrimenti. Cuius auctoritate militum præfecto nobili qui Fuximi in arce præsidio erat, mandatur, vti Nangasaquium cum copijs extemplo aduolet, & præfecto suppetias ferat, communique consilio atque opera decretum in Christianos exilium executioni mandetur; quod vti perfectum fuerit denarrabo.

Militum præsidium Nangasaquium mittitur.

REI CHRISTIANÆ ADMINISTRI NANGAsaquio soluentes totâ Iaponiâ exulare coguntur.

CAPVT XX.

VEnerat interim die supra 23. Iunio mense Nangasaquium ex aula Safioye, qui ciuitatis statu accuratius expenso facile animaduertit Christianorum ardorem plus in seipsos sæuijsse, quam in rempublicam quicquam machinatos, vimque cœlo potius ab ijs factam, quàm terræ intentatam; vnde factum est, vt conniuere maluerit, quã, vt sibi videbatur, de nouo crabrones irritare. Iam enim diu didicerat ex Arimensium firmitate, quam obfirmatè Christiani sua sacra retinerent. Biduo nihilominus posteaquam in vrbem aduenerat, præposito nostro prouinciali, ceterísque religiosorum ordinum moderatoribus renunciari iubet, vti sibi quisq; suo sumptu nauigia paret, quibus in exilium exportetur: statutũ esse iam dudum Imperatori, ac ratum, ad vnum omnes vel indigenas vel aduenas rei Christianæ administros tota Iaponia exterminari.

Ingens rei Christianæ malum quò propius omnium capitibus impẽdebat, eò vehementius in animos influebat, pari apud omnes doloris sensu in causa non apud omnes dispari. Pastores angebat gregem suum deseri, gregem pungebat impendentium potius malorum metus, quàm præsentium sensus, non facilè dicas, vtri vtris in suo quisque ordine cesserint. Omitto solitas totiesque cantatas, in simili casu, neophytorum ad diuina præsidia confugientium comparationes; quibus interim dũ vacant, in negotio salutis otiosè, non otiosi, Satanæ ministri cum suo hero minimè dormitarunt.

Aduenit enim id temporis missus ab Imperatore cum selecta militum manu præfectus Fuximensis, Surungadonus dicebatur, qui satis molestè tulit, se muliebri metu, quem soror Safioye concitarat, coactũ ad inermes venisse, ad tumultum quem minimè repererat sedandum. Primis igitur diebus satis querulas ad Imperatorem literas scribit, quibus pacata omnia se Nangasaquij reperisse fatebatur. Referebat tamen magnopere ad existimationem Safioye non vanos metus tumultúmque nunciasse, seuerius igitur in neophytos posthac animaduertens quærebat in scirpo nodum, & quod vero falsóue causaretur. Nec defuit illi ex quorundam inconsulta comparatione quod carperet. Conueniebant, vt alibi plerunque aliquot inter se neophyti, deque retinenda religione sanctè inter se conspirabant, sed quia difficile est etiam in bonis modum tenere, quorundam hortatu nonnulli in quædam, quæ mordicus retinerent capita, scripto & sanguine coniurarunt. Inter quæ duo sæpius à nostris impedita, nunquam tolli omnino potuerunt. Coniurabant enim se Imperatori in rebus fidei minimè parituros, quod tametsi in retinenda religione sanctum erat, quia tamen sæpius eiusmodi sententiam scripto inuicem tradebant, calumniabantur aliqui maius ibi latere, quod seditionis speciem præberet. Alterum etiam minus poterat excusari, astringebant enim se, ne morte quidem proposita permissuros, vt religiosi quidam ex Imperatoris voluntate Iaponia pellerentur. Quod sic ipsi intelligebant, vt quos vi retinere nullatenus poterant, absconditos sibi reseruarent.

Vnde orta coniurationis suspicio.

Hinc arripuit Safioie, quo auxiliarium copiarum præfecto persuaderet, non inaniter à suis in præsenti re trepidatum, tum constaret apertè in Imperatoris edicta eius emporij ciues prope ad vnum Christianos pæne publice conspirare, quibus si accederent Arimenses eodem æstro perciti, quis non videt ab exigua scintilla potuisse pertinax incendium excitari. Communibus igitur literis Imperatorem monent Christianorum conspirationem non nullam fuisse, & detegi iam occepisse: excanduisse ferunt acrius vbi se negligi sensit, quàm cum priore nuncio muliebribus furijs ageretur, Nangasaquium deleri, Christianos perdi omnes oportere. Neq; his

Imperator ab Safioie in Christianos inflammatur.

his contenti, ad augendam rem militem parant monito per præfe-ctum Sazumę regulo,alijsq; conterminis vt in armis militem haberent, si fortè illum ad Nangasaquienses tumultus sedandos oportuerit euocari. Et ne quid ab Arima moueretur, quieta ibi omnia placuit hoc rerum motu conseruari, ac per fraudem moneri factam illis in posterum liberam Christianè viuendi facultatem. Sed hæc omnia quàm ficta fuerint, quæ mox à nostrorum discessu Arimę gesta sunt, satis supérque testabuntur.

Res igitur eo deuenerant, vt ab ingruente procella nullum sidus serenius affulgeret, cum ecce tibi præter omnium opinionem ex Amacaensi portu in Nangasaquiensem Sinensis commercij vectrix oneraria deuenit. Nullus fuit cui non ex hoc euentu si non meliora, minus atrociora saltem sperari posse videretur. Cum enim mortales fere suis lucris omnia metiantur, nihil dubitabant in præfecti onerariæ gratiam aliquid de concepto in Christianos rigore remittendum. Non defuit omnium expectationi præfectus qui in rei Christianæ gratiam nulli sumptui parcere parabat, adornata Imperatorem legatione placaturus, in qua sine dubio momenti erat plurimum, nisi ab eo qui hæc omnia cudebat, fuisset impedita. Cum enim de hac ipsa legatione cum eo ageretur, sine cuius auctoritate institui non poterat, per summam dissimulationem Safioie auctor fuit, ne periculosam rem inconsultè præfectus aggrederetur, satius sibi videri si ex Lusitanis negotiatoribus aliquot in aulam cum suis muneribus ablegarentur, qui literis à se ad amicos conscriptis Imperatoris fauorem, si quis reliquus esse poterat, parua quidem spe, sed sine periculo venarentur. Non latuit Lusitanos ea fraus, sed ne quid intentatum relinquerent, rei Christianæ, quód solent, deesse noluerunt. Electus igitur ad eam rem alter à Præfecto onerariæ amanuensis, Amacaensis vrbis in eo commercio procurator. Additi sunt comites, nec munera ad inungendas negotij rotas defuerunt. Sed eum finem habuit ea legatio, quem Safioie procurante habuerat paucos ante menses nostri Sacerdotis excursio: cum primoribus acta res est, aditus ad Imperatorem patuit, sed quæ ad negotia tractanda pertinent, non nisi scripto potuerunt impetrari, libellus supplex red- *Legatio sine fructu peragitur.*

ditus, in ijs omnibus, quæ ad religionem ſpectabant, reiectus eſt, nec impetrari potuit, vt Nangaſaquij ſaltem ſacerdos aliquis cum negotiatoribus rem ſacram procuraturus remaneret; quin Imperatorem denuo dicunt in Christi ſacra debacchatum, quas initio huius libri cauſas attulimus in memoriam reuocaſſe, elapſaque Taicoſamæ preceſſoris tempora repetentem aduertiſſe, ex vna, quæ Nangaſaquij remanſerat noſtrorum ſede, cetera per vniuerſam Iaponiam domicilia ędésque ſacras renouatas, idemque fore, ſi huius mali ſemen denuo intra Iaponenſem agrum, extremo licet in angulo, remaneret.

Triſtis ex aula nuncius, extremique mali narrator aduenit, qui ſpes omnes intercidens præter ſolita diuinæ opis præſidia nihil reliquit, quod ſperaretur; quibus ab Octobri ineunte, cum deſperari cœptum eſt, inuocandis, tanto ardore certatum, vt noſtris etiam in ea multitudine nocturnæ diurnæque comparationis labor ſolidus ac ſine quiete fuerit ſubeũdus. Quo tempore aduenit ex Imperatoris familiaribus quidã, Gozaimon dictus, cui proſcriptorũ expulſio demandata præter alios duos credebatur, ne forte mitius agerẽt, aut ſegnius, ſi qua vis foret, repugnarent, quẽ in finẽ miles iam monitus è regnis cõterminis in Nangaſaquienſes fines cœpit immitti. Octobris igitur quinto ſupra vigeſimum edicit Safioye, vt intra biduum proſcriptorum claſſis vniuerſa conſcenderet, neque cauſarentur imparata nauigia, niſi ea vellent in Facundæ portu Nangaſaquio pulſi præſtolari. Erant tunc in vniuerſa Iaponia ex ſacris religioſorum ordinum familijs Diuorum Dominici, Auguſtini, Franciſci, Sacerdotes omnino duo ſupra viginti, & laici quinque, Indigenæ ſacerdotes ſeptem, inferioribus ordinibus initiati quinq;. E Societate noſtra ſacerdotes ac laici omnino ſeptendecim ſupra centum, in ſeminario alumni plerunque centum & alij iam rei Chriſtianæ adiutores prope totidem, è quibus tamen pleroſque huius procellæ initia diſſipauerant. Ad hos omnes euehendos nauigia Sinenſia non maxima, iuncos Luſitani vocant, in portu tria numerabantur, eáque malè materiata naufragium in ea multitudine ſatis certum minabantur. Ex toto numero latere permiſſi ſunt quotquot occultari potuerunt, è Societate noſtra 18. ſacerdotes, Laici 9. alijque plu-

Iubentur proſcripti intra biduum ſoluere.

Proſcriptorũ numerus.

Aliquot occulti manent.

plurimi ex alumnis nostris, rei Christianæ, Iaponensis ecclesiæ more, administri; vltra quos plures alij ex nostris erant designati, & ipsemet Prouinciæ præpositus omnino manere decreuerat; sed quia omnibus noti erant, profectionis tempore ostentare se iudicibus cogebantur; Eaque fuit custodum solertia, vt è naui in scaphas ad id in medio maris præparatas elabi non possent, & ideo cum ingenti dolore excedere coacti sunt. Ex alijs quoque religiosis ordinibus nonnulli intra tela pro sua paucitate remanserunt; nec plures delitescere poterant, tametsi sancta lite felicem sortem ambiebant; sed parendum fuit, ne maius malum ecclesiæ Iaponensi crearetur, donec adspiraret dies, & inclinarentur vmbræ.

Extremus huius tragœdiæ actus nos vocat. Sacra ne in ethnicorum manus venirent, quantum licuit occultata: sacra martyrum pignora nō vno in loco, pro reditus pignore, relicta sunt, nec efferri placuit, ne cum viuis mortui discedentes tota possessione cedere viderentur. Idem factum est cum plerisque sociorum corporibus, qui hanc ecclesiam suis sudoribus excoluerant: nudata sacris imaginibus templa solitudinem luctúmque inuehebant; extremum missæ sacrificium lacrymæ singultúsque interruperunt: augustissimi sacramenti species, distributa per neophytos synaxi, cōsumpta, ad eosdem extrema oratione peroratum, eo omnia sensu perfecta, quem res exigebat, faciliúsque is animo concipi quàm oratione potest explicari. Octobris igitur septimo ac vigesimo, salutis nostræ anno 1614. Nangasaquio, præter eos qui latebant, omnes extruduntur. *Anno Christi 1614. proscripti Nangasaquio extruduntur.* Eorum maxima pars Tueundam delati piscatoria mapalia, dum nauigia concinnarentur, incoluerunt; pauci cum præposito nostro prouinciali propius vrbem dies aliquot substiterunt. In his mapalibus vnus è nostris moriens ab exilio solutus, in cœlestem patriam euolauit. Is fuit P. Didacus de Mesquita Lusitanus, ille ipse *P. Didacus Mesquita moritur.* quem iam annos supra triginta vidit Europa ab Iaponia reducem, cum primam inde legationem ad pontificis pedes ac regis Hispaniæ manus adduxisset, qui cum ijsdem redux ad hunc vsque annum suam retinuerat in excolenda Iaponia stationem, quem corripiens extrema, in communi hoc luctu, ægritudo lætum alacremque consumpsit, & quidem haud sine aliqua specie martyrij, quod hic mor-

bus ex persecutionis laboribus itinerisque in aulam huius causa suscepti contractus creditur, pædoreque casæ piscatoriæ, in quam negato hospitio, à Safioie delatus à medicis ac debitis remedijs prohibitus animam emisisset.

Templa diruuntur.

Vix bene ex oculis Nangasaquiensibus abierant pastores, cum in caulas, ædes inquam sacras, lupi sæuierunt. Nam conferta manu templa diruunt, & ea quæ ignium sunt pabula flammis absumunt, quo ipso die ferunt inusitatam multorum annorum in Iaponia pacem, exortis bellis ciuilibus, vt suo loco videbitur, interruptam in posterum in apertam defectionem erupisse, vti constaret, eum, qui bellum cœlo infert, bella è cœlo euocare. Sed nostros exules conscendentes nauigantesque comitemur.

Ipso die ciuile bellum exoritur.

PROSCRIPTI È IAPONIA SOLVENTES PARtim Philippinas Insulas, partim Amacaum petunt.

CAPVT XXI.

NOuembris itaque septimo nonnulli, ceteri octauo die Iaponiam à tergo relicturi conscendunt, & quidem in vnum nauigium religiosi ceteri omnes, è Societate nostra sacerdotes octo, Laici quindecim, alumni totidem ingressi comites habuerunt nobilissima illa Iaponiæ lumina Iustum ac Ioannem cum sua quemque familia. Iuliam item nobilesq; alias matronas, & aliquot eodem tempore Miaco proscriptos, hi omnes in Insulas Philippinas proram suáque vota direxerunt. Alijs duobus nauigijs Amacaum Sinensem portum petebant è Societate omnino sexaginta, alumni supra quinquaginta, quos relicta tantisper Iaponia, in portum quemque suum deducamus, ad Iapones deinde reuisendos nullo edictorum metu reuersuri.

Ibant igitur oculis Iaponiam, quam, diu licuit legentes animo nunquam dimissuri, ac tametsi multa erant, quæ in tantis malis leuamen adferre poterant ijs, qui diuina iudicia, potentiam, prouidentiamque solerent intueri, non potuit tamen parentum in filios amor minus afficere eorum animos, quam solet in humanis par iactura parentes filiósque perturbare. Nauigia quæ Sinas petebant, ali-

aliquanto meliora breuioris itineris moram ventorum felicitate fefellerunt, & intra dies paucos ſpiam exulum ſarcinam in ſiccum exportarunt. Verum tertium quod in Philippinas ferebatur malemateriatum, annoſum & oneri impar, pæne fatiſcebat, cui formidini accreſcebat in commodum ex ergaſtuli potius quam nauigij anguſtijs, in quo vix crederes ſtare potuiſſe tot, quot oportebat nauigare. Ex ijs incommodis è Societate paulo poſt quatuor exilij ſui breuitatem cum æternitate commutarunt. Et ne quod hoſtium incommodorúmque genus ad meriti cumulum deeſſet, hæretici quoque Batauí cum ethnicis libenter conſpiraſſent, niſi illi ipſi hæreticis mitiores impedirent. Nauigia Batauorum duo id temporis Firandenſi in portu prope oculis hæc ipſa ſpectabant, ac fortaſſe prædam aliquam ſubodorati ad eam rapiendam, à qua ethnici abſtinuerant, ſeipſos comparábant. Senſit hoc Firandenſis toparcha, ſuáque auctoritate ne per eos dies portu abſcederent impediuit, ita in extremo terrarum orbe in ethnicis catholici contra hæreticos patrocinium repererunt. Tandem igitur menſem totum cum procellis incommodiſq; conflictati, in Inſulis illis Maniliæ portum tenuerunt, in quo vt excepti fuerint dicturus curſim aduerto, vti æquus iudex diſcrimen inter hæreticos catholicóſque Chriſtianæ humanitatis aduertat.

Duo nauigia breui ac feliciter Amacaum appelluNt.

Tertium poſt incommoda & pericula multa Maniliam tenet.

Notiorem eſſe arbitror Iuſtum Vcondonum Iaponenſium Annalium non imperitis, quam vt opus ſit eius merita commemorare, quibus exhibitum illi ab Hiſpanis honorem in ſe prouocauit, de quo nihilominus elogij loco capite inſequenti quin aliquid è multis ſeligamus, ſatis vereor vt non poſſimus contineri.

E quatuor noſtræ Societatis viris quos breui exilium cum æternitate diximus commutaſſe, vnus P. Antonius Critana in ipſa nauigatione extinctus eſt, prouecta ætate vir, quique triginta annos in Iaponia egerat, magna ſanctitatis laude Zelóque animarum, nulla alia corpus infeſtante ægritudine, ſed ſolis laboribus, ſqualore, anguſtijſque nauigij conſumptus, magna animi lætitia animam exhalauit. Nota erat omnibus eius virtus & ſanctimonia, exilijque cauſa vnde tanquam illuſtris Chriſti

Christi confessor colebatur, eiúsque corpus, quod longè à portu abessent, ventúsque esset aduersus, in scapha exceptum ab ipso nauarcho, & viris religiosis in littore sepelitur, vt postea maiori cum veneratione in collegium Societatis asportetur. Hac igitur occasione priusquam exscenderet inuicta fidei pugilum cohors auditum est Maniliæ de omnibus, ac de Iusto maximè, appellere Iaponensium athletarum classem, cum integro quod inde deportabant uictricis fidei vexillo. Placuítque prætori Ioanni à Silua (quem sæpe strenuum audientes nunc pium legemus) placuit inquam inusitatis officijs insolens facinus persequi, Christique exules cum suo duce Iusto publica pompa cohonestare. Triremis igitur instructa omnium obsequiorum genere in portum expeditur, in quam Iustus cum sua turma laborum immemor, beneficióque gratus exscendit, & cum littus legens festo tormenti principis sonitu obuias prætoris ędes salutasset, tota velut signo dato, quę pro muris stabant, tormentorum furia reboauit. Effuderat se ad spectaculum ciuitas vniuersa, totúmq; late littus occuparat, prætoria etiam in littore cohors exscensuros præstolabatur, eos in prætorias ædes abductura. Diceres patriarcham illum post exsiccatas eluuionis aquas ex arca sua in aridam exilire. Iustus enim cum vxore, filia, nepotibus quinque, animæ omnes octo exscendebant. Sequebatur eum cum familia Ioannes ac deinde Thomas, cum ceteris neophytis quanquam horum vxores & filiæ, simul cum Iulia, & quas Miaco pulsas pari exilio multatas fuisse comemoraui, fœminæque omnes, pro innata decentia, ac verecundia, vitata prætoris domo, alia scapha recta sese ad Societatis ædes receperunt. Solenne enim nobilibus matronis apud Iapones & Sinas vultum studiose velare ne à quopiam facile conspiciantur. Hos omnes omnium ordinum religiosi sequebantur, qui cum exscendissent, nobilem supplicantium pompam ex composito instituisse videbantur, quæ dubium vtris plus alacritatis pareret aut gaudij. Sub vrbis muros cetera præsidij militaris multitudo exulibus festo sclopetorum sono applaudentes Christi milites militariter salutabant, & Iapones natura pugnaces suis ludis recrearunt. In palatio Prætor cum vniuerso regiorum iudicum senatu venientes præstolabatur: qui vbi in conspectum venêre

Exules à Pra. tore Philippinarum publica pompa excipiuntur.

Prætoris in Iustum Vcondonú officia.

nere passis vlnis alter alteri occurrentes in mutuos amplexus corruerunt, nec vtrinque lacrymæ defuerunt testes gaudij, cui solent etiam non rarò famulari. Prætor Iusto ac socijs sua prælia, triumphósque in fidei causa gratulatus, catholici regis nomine omnia detulit, quæ de catholico rege vbique possunt à catholicis expectari. Non defuit Iustus tantæ humanitatis obsequijs eáque fecit ac dixit, quæ aulicorum rituum peritus per vniuersam vitam exercendo didicerat. Expletis vtrinque officijs, Iustus cum nepotibus in prætoriam rhedam conscendere iussus, præeunte vniuerso prætoris satellitio, in oculis clarissimæ ciuitatis non sine faustis multorum acclamationibus in Societatis collegium, vbi cibum sumpturus erat abducitur. Iter illi fuit per ædem principem, in cuius vestibulo clerus eum vniuersus cum omni musici concentus genere præstolabatur, ad quam salutandam, rheda sua exiliens Deo sua beneficia breuiter est cum socijs gratulatus. Idem ex itinere præstitit in Diui Augustini & postridie in Diuorum Dominici & Francisci cœnobijs. In Societatis vero collegio præter cætera omnia canticum Te Deum laudamus musici suis numeris decurrerunt. Domestico deinde exceptus epulo in vicinas collegio ædes demigrauit.

Officiosa vrbis humanitas diei vnius angustijs claudi non potuit, postridie prætor illum non sine digno vtrinque munere voluit visitari, quod ille deinde ipse subsecutus officiosæ beneuolentiæ numeros omnes explere contendit. Exinde orta inter vtrumque familiaritas vix quotidianis in collegio nostro colloquijs poterat saturari. Nec absimili officiorum genere omnes cum eo socijs primorum vrbis ordines decerta[illegible]nt. Sed non in nudis officiorum verbis constitit humanitas. Satis constabat Prætori Iustum sociósq; apud suos nobilissimam gentem in hoc infortunio quod Christi causa patiebantur, fortunis omnibus excidisse. Prætor igitur è regis catholici voluntate futurum ratus, si tantorum virorum inopiam subleuaret, censum annuum designauit. Sensit hoc Iustus, serióque adhibito è nostris sacerdote laborauit, ne inopia sua, quam copiæ praeferebat, excideret, cupere se vbi vitam non potuerat, cætera in fidei causa prodigere, nec ad ea redire, quæ Christi causa reliquisset, neque iustum videri id ætatis senem, quæ non meruerat, *Prætor ex ærario regis catholici censum annuum Iusto assignat.*

nec mereri poterat, ab rege catholico stipendia acceptare. Quibus rationibus, tametsi prætoris voluntatem ad dies aliquot distulit, non sustulit tamen, cum enim Iusto mors intra dies paucos obtigisset, perfecit tandem, vt ceteri in catholici regis munificentia sine cura conquiescerent. quam rem cum rex catholicus tandem literis prætoris accepisset, non confirmauit solum, sed humanissimis literis prætoris factum collaudauit.

IVSTVS VCONDONVS INTRA DIES QVAdraginta moritur.

CAPVT XXII.

Nihil est in humanis rebus diuturnum, vix bene nostri exules præteritos labores in præsenti humanitate sepeliuerant, cum Iustus noster communis huius lætitiæ caput lætitiam communem sua morte intercidens, sua gaudia, quæ intercidi vltra non poterunt, inchoauit. Nam siue cœli permutatio, siue ciborum insolentia, siue nauigationis reliquiæ, aut denique simul omnia coniurato impetu eum inuaserint, continua febre corripitur, qua paulatim contabescens intra dies quadraginta, ex quo appulerat extinguitur. Aegritudinem omnes, quam leuare non poterant, frequenti visitatione Prætor, Archiepiscopus religiosorum ac magnatum gradus omnis cohonestauit. Ex quo non minus existimatio Iusti crescebat, quam in eo solitudinis desiderio sensus augebatur, non ideo solum quod extremas fugientis vitæ horas vni Deo sacras esse cuperet, sed, [illegible] quam meriti sibi partem honor exhibitaque officia detraherent. Vbi se ægritudo prodidit cum vicina morte conspirasse, quod per vniuersam vitam fecerat, mori studuit, priusquam moreretur. Et quidem Patrem Petrum Moreion, cui se regendum expiandúmque commiserat, in hæc ipsa verba dicitur allocutus. Facile aduerto me mori, tametsi meorum causa dissimulem. Abeo magno gaudio delibutus, quod diuinam esse videam voluntatem, maxime, quod tot religiosis stipatus, & apud eam gentem quæ Christum colit, ex me Prætori, Archiepiscopo, iudicum senatui, Religiosorum ordinum familijs,

Iustum inuadit febris continua.

Iusti verba extrema ad sacerdotem nostrum.

lijs, ceterísque gratias ages, pro ea qua nos beneuolentia excepe-runt. Ad vxorem, filiam nepotésque quod attinet, omni cura liber emorior. exules Christi sunt, hoc vnum est satis. Quod me in exilium abeuntem persequi voluerint, amori multum debeo, sed is qui eos in externas regiones aduexit, vt parentis officio fungetur, ita magno eorum lucro, hac me cura liberabit. Crescente postmodum ægritudine, frequenti cohortatione Tobiã testatorem imitatus, suam suis supremam expressit voluntatem: ea fuit, vt in fide persisterent & Societatis nostræ sacerdotes perpetuos vitæ suæ rectores adhiberent. Si quis aliquid peccaret, ceteri monerent, monendum ad Patres deferrent, quos si non audiret, hæreditate ac gentilitio nomine priuaretur. His expletis sacramentis omnibus ad extremam luctam muniri eo tempore voluit, quo nondum ægritudinis vi pietatis sensu priuaretur, inter quæ cùm prope continuo hæc verba proferret: iam tandem cupio frui Domino meo, suauissimè in Domino obdormiuit, sub noctem immediam quæ Februarij quintam inchoat. Anno salutis insequenti. Sed in hunc annum illius mortem materiæ series necessario reiecit.

Ad familiam suam.

Moritur Iustus. *1615.*

Quantus viuentem amor acceperat, tantus morientem luctus excepit: Prætor funus eius eo est honore prosecutus, cui nihil addi potuisse videbatur. Vbi ad efferendum feretrum conuenere, pia lis orta piæ sarcinæ humeros supponere gestientium, ea tandem dirempta est in hunc modum. Prætor cum consiliarijs regijs ex ædibus in mediam vrbem sarcophagum extulit, ibi excipitur ab ijs sodalibus, qui à misericordia nomen inuenerunt, vna cum magistratibus ciuitatis. Cuius sodalitij institutum iam diu apud Iapones inductum ipse Miaci, Nangasaquijque susceperat. Pro foribus ædis sacræ, quæ nostra fuit, religiosorum ordinum superiores ad aram vsque principem cadauer, omnium æstimatione sacrum extulerunt. Ibi dum ecclesiastico ritu parentatur, vix auelli multitudo potuit, quæ ad deosculandos pedes manúsque, postquam id officij maximus quisque præstiterat, concurrebat. Denique cum in tumulum inferretur, profanas secularium manus à sacro corpore placuit amoueri.

Effertur perquam honorificè.

Religiosi confertim circumfusi extremum hoc obsequium impenderunt.

Iusto Vcondono parentatur.

Nec dum satis honoratus Iusti exitus visus fuit. Indicta iustis funebribus de more dies, regio nihil minus habuit apparatu. Pulla vestis totam ædem serico panno circumuestiuit. Sed eam candidâ papyro conscripti versus, emblemata, aliáque id generis illustrarunt, quæ cum in sacello principe minime caperentur, in ceteram sese ædem diffuderunt. Quatuor linguis descripta pleraque videbantur, latina videlicet, hispanica Iaponensi, ac Sinensi, quibus omnibus vnica viri virtus celebrabatur. In æde quoque primaria & apud ceteros religiosorum cætus, suo apud quemque die Iusto est sanè iustè magnificéque parentatum. D porro Augustini Patres in æde nostra idem pietatis officium exegerunt. Stupuisse feruntur Iapones, qui supra mille ea in vrbe numerabantur, quod ciuem suum tot officijs coli viderent apud exteros, cui apud suos ne viuere quidem licuisset. Orationem funebrem habuit Collegij nostri Rector, cuius orationis desiderium commemoratis quam breuissimè Iusti per vniuersam vitam facinoribus prout potero, temperabo.

Iusti Vcondoni tres de tribus Iaponiæ Imperatoribus victoriæ. Prima de Nobunanga.

Non id ago nunc vt Iusti mortem vitæ anteactæ commemoratione cohonestem, aut virtutum eius seriem texere aggrediar, ne instituta breuitate rei magnitudini detraham, aut extra limites vagus anteacta tempora pererrem. Appello Iaponensem historiam, quam ab initio nascentis ibidem ecclesiæ cudi audio, fortasse breui excudendam. hoc vnum, in quo Iustus tota Iaponia neminem parem habuit, de eo dici potest, quod de tribus Imperatoribus, ijsque apud Iapones potentissimis in fidei causa triumpharit. De Nobunanga videlicet, de Taicosama, deque Cubosama. Prima victoria sequenti prælio comparatur. Araqui potens in paucis dynasta, idemque Iusti amicus & beneficiorum vinculis illigatus Nobunangæ bellum indicebat, eum Iustus ab eo bello cùm frustra remouere contendisset, ne minus fidus haberetur, nouo sacramento fidem amicitiámque suam obligarat & vtriusque obsidem filium vnicum ac sororem adhuc pueros ei tradiderat, quare iam securus Iustum pacis sequestrem in regiam ipse mox secuturus amandauit. Vix bene abierat cum Iusti hostis Xefioye dictus Araqui persuasit Iu-

stum

stum in hac causa non dubium esse proditorem. Ergo ne à Nobunanga præueniretur Araqui bellum prior occupauit, in quo bello Iustus licet inuitus amicum sequitur, ne quod Araqui crediderat, proderet se fidem prodidisse. Ad eos expugnandos Nobunanga cum ingenti exercitu superuenit. Et quia Iustum nouerat strenuum iam tunc belli ducem, selectissima militum manu instructum victoriam dubiam effecturum, nihil prius habuit, quam vt eum metu, promissis, largitionibúsque si fieri posset, eriperet, maximè quod in munitissimam arcem refugerat, quam auro potius quam armis posse crederet expugnari. Verum cum omnia frustra tentasset, arietem vltimum adhibuit, quo vno Iustus poterat expugnari. Renunciari illi iubet, nisi Araqui partes deserat, se sacras omnes Christianorum ædes solo æquaturum, neophytos extincturum, P. Organtinum reliquósque Societatis nostræ sacerdotes (qui soli ijs temporibus eam vineam excolebant) in crucem acturum in conspectu arcis, quam pertinaciter tuebatur. Ingens fuit vtrinque bellum, illinc fides Araqui data, perfidiæ horror, obsides traditi detinebant: hinc religio & innocentia nostrorum in eius pectore decertabat. & quidem in eo bello Nobunangæ pars iustior esse putabatur. In his angustijs Iustus ad orationem totius rei vnus conscius refugit, ibique coram Christi è cruce pendentis effigie nixus genibus religionis bonum, filijs, honori, fortunísque antepofuit, & crinem sibi radens Iaponensi ex more huius vitæ spes decurtauit, dum breuibus literis Darium parentem suum cæterosque intra arcem duces monuit, se cùm exitum nullum reperiret Iaponensi ex more mori debuisse, quod cum proprijs manibus Christiano sit nefas, eo se modo mori quo fas est voluisse, ideóque pergere in Nobunangæ castra, vt vna cum patribus in crucem ageretur, ipsi fidem Araqui seruarent, arcemque pro viribus tuerentur. Nec minus fecit quàm dixit. Ipso Nobunanga Iusti non solertiam minus quam virtutem admirante. Darius parens citatis equis Araqui se stitit professus Iusti factum sibi non nisi post factum constitisse, venire se vt filij culpam propria multa lueret, insontesque obsides morte liberaret. Verum Araqui, Iusti etiam in retinenda religione studium potius admiratus, quam perfidiam detestatus, ab innocentium sibi sangui-

 ne

ne temperauit, & à Nobunanga breui victus hanc litem diremit. Iustus porro rebus omnibus, quas reliquerat, cumulatè restitutis obsides recepit, Iaponiámque vniuersam admiratione virtutis in se conuertit, effecitque vt Christiana religio ab Imperatore commendaretur, perque omnium ora volitaret.

Secunda Iusti victoria de Taicosama.

Altera Iusti victoria de Taicosama siue Quabacondono triumphauit. Cum enim Nobunanga vnius è ducibus Aquechi manu perijsset, Iustúsque in primis eius mortem vlturus Quabacondoni partes ita promouisset, vt eius opera fere potissimum totius Iaponiæ Imperium occupasset, magnis honoribus ab eo auctus inter primarios Imperij Principes habebatur. Et quoniam in eius fortuna Christianæ religionis incrementa fere voluebantur, tantum authoritate sua perfecit, vt nobilissimus quisque fidei nostræ prælectiones admitteret, eóque hortatore multi legis nostræ sanctitate caperentur, ita per annos aliquot christiana religio secundo euangelici torrentis impetu omnia rapiebat, donec humani generis hostis videns & inuidens Iusto infortunium, & inde religioni detrimentum procurauit. Acaxi enim Sacrificuli omnes, cum Iustus eam prouinciam ex Imperatoris munificentia esset aditurus, suis dijs malè metuentes eorum simulacra sacratiora ad Imperatoris parentem anum deportarunt, illius authoritatem contra Iusti insolentiam obtestati, gauisus est maximè oblata Iustus occasione, vt Boncios è ditionis suæ finibus arcere posset, questus eos nulla à se iniuria læsos reipublicæ suæ statum perturbasse. Quod illi iniquissimis tulere animis & præcipuè Yacuin ex Boncio Imperatoris medicus, qui eorum causam tuendam susceperat, móxque persecutionis huius præcipuus extitit author. Cum enim hic ex medico leno, Christianas ex Arimensi agro virgines Imperatori pellices futuras abducere pararet, effecit apud Arimensem dynastam Pater vnus, vt Christiana pudicitia ethnicæ libidini minimè subiaceret. Leno ad Imperatorem reuersus, de audacia queritur, amissam prædam exaggerat, indignumque exclamat, vt externi Sacerdotes inductos in fraudem Imperij principes ita fascinent, vt suam voluntatem imperatoris opponant voluptati. Ea res, (vt impotens est accensæ libidinis furor, si ad sui contemptum adiungatur)

gatur) Imperatorem in furias egit, iratum grauitérque Christianis infensum cum primum eum sensit, conceptum iam pridem in eos & in Iustum animo virus euomuit Yacuin: tolerare nefas esse dictitans ignotos aduenas tanta audatia templa Deósque suos, tanti à maioribus habita demoliri, Boncios, quos vt magistros & semideos antiquitas venerabatur, malè multatos templis bonisque spoliatos cogere è natiuo solo exulare, tum in regno Bungi Arimæ alijsque locis, tum præcipue Tocazaqui & Acaxi Iusti opera. Grauibus id verbis exaggerabat, neque suspicione carere Iusti sagacitatem dicebat, qua optimatum corda, vt Christi fidem amplecterentur, solicitabat. Aestuanti Imperatoris animo circumstantium corona faces subijciebant, factúmque repente est vt edictis crudelissimis Christianam religionem nobilitati interdixerit, euangelij ministros Iaponia tota proscripserit, & Iustum velut ab ijs dementatum ad saniora reuocare, omni ope atque opera laborarit; cuius id fuit vnicum responsum ab internuncio Imperatori reddendum, se in Taicosamæ gratiam fortunas, prouincias, vitámque non grauatè proiecturum, sed prius idipsum se regi regum supremóque Imperatori Christo debere. Nemo fuit cui satis esset animi ad id Imperatori referendum, quod Iustus animosè renunciabat. Ait igitur, responsum ego ipse & simul sicam, qua me obtruncet, ferre nihil dubitabo. Verum Imperator cum alia tentasset omnia, quæ longum esset commemorare, fortunis omnibus exutum, toties merita dignitate ingratus exturbauit. Nec id infortunium ad eum solum attinebat, sed ad eos omnes qui ex Iaponensi consuetudine clientelæ nomine illi obsequijs astringebantur. Verum vt erat selecta, habebatúrque militarium animorum cohors, à reliquis principibus certatim in familiares adsciti, quam à Iusto didicerant Christi fidem, per multorum principum familias magno rei Christianæ bono Deoque in bonum mala vertente diuulgarunt. Annum integrum Iustus priuatam vitam duxit, & apud Societatis nostræ sacerdotes in Amacusa Insula, quo se receperant, eam vitam vixit, quæ religioso non indigna videretur. Tandem Imperator mitigato nonnihil furore, cum de Iusto sibi adiungendo desperaret, in extrema Iaponia regulo

regulo illum cuidam pro dignitate alendum commendauit, vbi annos sex supra viginti prope priuatus ita vixit, vt vicina loca omnia eo fidei ardore, quo incensus erat, inflammarit, perpetuósque quoad potuit comites è nostris habuerit, vt eorum operam authoritate sua roboraret.

Tertia Iusti victoria de Cubo.

In his occupatum tertia cum Imperatore Cubo pugna, victoriáque quam hoc ipso libro descripsimus deprehendit, quæ tanta admiratione Iaponiam affecit vniuersam, vt affirmarent plerique ethnici dynastæ, Iustum hoc extremo facinore totius vitæ decora velut sigillo munijsse. Sed hæc de Iusto sint satis, cui Dominus pro merito gloriam æternitate dimensurus in extremis abeuntis vitæ diebus videtur inchoasse.

APVD MOSCOVITAS NICOLAVS IAPON martyrij palmam inuenit.

CAPVT XXIII.

PRiusquam nos in Iaponiam recipiamus, longius excurrendi facultatem accepturi nonnihil digredimur. nam tametsi Iaponenses triumphos intra Iaponiam partos scribimus, materiæ tamen similitudo allicit, vt Iaponensem apud Moscouitas triumphum ab obliuione vindicemus. Quicquid in hac re commemorabimus ex religiosorum Patrum D. Augustini authoritate constabit, nec non cuiusdam patris Ioannis Tadæi à S. Eliseo ex Carmelitarum discalceatorum familia, & maximè postquam excussa hæc omnia ab Illustrissimo Alexio Menesio ex eadem D. Augustini familia Archiepiscopo primum Goano deinde in Lusitania Braccarensi (qui nuper Madriti Lusitani senatus præses obijt) nobísque tradita sunt, quæ conscripta sine suspicionis nota possunt edi.

Nicolaus Iapō è Philippis Europam petit.

Ex eodem D. Augustini ordine P. F. Nicolaus de Mello Lusitanus in Philippinas insulas nauigarat, vbi post annos sedecim in Procuratorem electus Europam reuisebat, adiuncto illi comite F. Nicolao Laico, qui cum parentibus è Iaponia Maniliam puer venerat, ibíque Christi fide suscepta in baptismo Nicolaus à P. Nicolao est appellatus, educatúsque in ipso cœnobio tandem habitum illum susce-

suscepit, illiúsque professus est institutum. Illo igitur comite cum per Orientis Indiam iter ideo instituisset, vt Archiepiscopi Goani, quem dixi, authoritate ad sua negocia vteretur, eóque anno ex India nulla nauis Lusitaniam peteret, ne deesset negotijs, si annum insequentem præstolaretur, terrestre per mediam Persiam iter Armuziam delatus arripuit, quo tempore, cum in Europam ad summum Pontificem cæterósque principes Christianos Persa legationem adornaret, legato comitem se adiunxit, qui per Moscouiam iter instituit, vt à Polonia legationem inchoaret. Cum in regiam quæ Moscua dicitur deuenissent, vterque hospitio excipitur à Paulo doctore medico Mediolanensi, quem eo nescio quæ fortuna detulerat. Is vt erat catholicus, domi suæ missæ sacrificium, ceteráque Sacramenta ministrari latino ritu permittebat, & filiolam, quę id temporis medico nata fuerat, sacris aquis Romano ritu tradiderat eluendam. Ea res Moscouiæ legibus interdicta Anglorum quorundam Caluinistarum indicio ad Ducem erupit, cuius sententia vterque vinctus in Insulam Solocci relegatur, ibique monachis è D. Basilij instituto schismaticis commendatur. Sex annos in ergastulum retrusi indigna multa pertulerunt. Cibus illis erat ille ipse quo cœnobij seruitia vtebantur, cetera ex odio Romanæ religionis apud Moscouitas licet conijcere. Sæpe ad defectionem sollicitati non constanter minus quàm apposité repugnarunt. *Captiuus in Moscouia detinetur.*

Interim moritur Moscouiæ Dux sine hærede, cui Demetrius ille Europa tota notus, Poloniæ regis auxilio, post bella multa successit. Is vt erat catholicus, facilè Nicolaum vtrumque liberasset, siquidem illorum captiuitas ad eũ deueniret: id factum Clementis VIII. authoritate, cum per Moscouiam Carmelitas discalceatos in Persidem destinaret. Liberantur igitur insulari ergastulo, sed mox in atrociora vincula retrudendi, nam cum Moscuam deuenissent, alia omnia quam sperauerant, inuenerunt, quod eam in ciuilium bellorum tumultu Basilius Demetrio suffectus occupasset, qui vt erat schismaticus, in custodiam eos publicam vnà cum ceteris reis ablegauit: Sed ea lege, vt, si eiurata Pontificis Romani authoritate ritu Ruteno baptismum iterarent, liberi mitterentur, Ducis deinde munificentia honorandi. Verùm cùm vterque repugnasset, post atro-

cem flagellationem, in obscurissimum totius carceris ergastulum retruduntur, ibique annos quatuor detenti, sæpiúsque flagellati, nec raró per vicos publicos detractis vestibus raptati & ad ingentem pyram quæ in foro ardebat, adducti, semper tamen sibi in catholica religione retinenda constiterunt, quod cum facerent, publicè flagellati in vincula non sine contumelijs verberibúsque ac pugnis reducebantur.

E' Moscua postea educti ad vrbem Nisna supra flumen volgam cum ijsdem vinculis abducuntur, nec ibi mitius habiti, tandem à Basilio Duce iubentur denuo ad incensam pyram adduci, in eáque nisi resipiscant, concremari. Ducebantur ad supplicium eo die quem ecclesia D. Andreæ memoriæ consecrauit, inspectante multitudine, & vtriusque vel maximè Iaponis animum admirante, quem minuendum rati, si à socio separaretur, in alium locum publicum denuo sollicitandum abducunt, vbi ad eum territandum variam suppliciorum supellectilem ostentantes acerrimè vrgent, vt à Romana fide deficiat. Sed ille: absit, inquit, vt veritati errores anteponam, vt ab ea fide discedam, quam à Socio puer accepi. Vbi minæ nihil poterant fraudem adhibent, accurrit è composito, qui P. Nicolaum ad se defecisse mentiatur. Sed ille Iaponensi correptus animo, summa libertate, mentiri omnes affirmauit, non eum esse socium suum, qui post tot supplicia extremum exhorruerit, quod etsi fecisset, cuique salutis suæ curam peculiare munus esse, cuperéque pro fide Romana centies, si licuerit, emori. Recurritur igitur ad Ducem, qui admiratione constantiæ mollior factus supplicium mitigauit, iubet enim vt denuo ad socium reductus incendij præsentia terreatur, si repugnarit capite plectatur, sibíque spectandum caput offeratur.

Nudus etiam tum stabat ad pyram P. Nicolaus, totoque corpore frigidissimo cœlo ad ignem palpitabat, ingens vtrique solatium fuit mutuus hoc rerum statu conspectus. Carnifex igitur vbi optanti frustra ignes intentasset, prout erat iussus, inspectante socio Iaponem obtruncauit, eo ipso die anno salutis supra millesimum sexcentesimum vndecimum. truncum caput Duci delatum ludibrio materiam dedit, quo expleto sacrum cadauer canibus laceran-

Nicolaus Iapon in Moscónia capite truncatur. 1611.

dum

dum more gentis exponitur, à quo tamen canes schismaticis mitiores, ita pertinaciter sibi temperarunt, vt ea res pro miraculo habita negotiatores quosdam Polonos, qui fortè catholici aderant, inuitarit, vt humandum etiam contra leges impetrarint. Non defuere tamen ex schismaticis, qui rem admirandam in peius trahentes dictitarent, Romanam hæresin vsque adeo pestilentem esse, vt lue in corpus vulgata canes ipsos à laceratione deterreat. Adeo nullus etiam prodigijs & miraculis schismaticorum & hæreticorum pertinax error corrigi potest.

A cadauere lacerando canes pertinaciter abstinent.

P. interim Nicolaus sanctæ inuidiæ lacrymis perfusus suam sortem expectabat, verum Polonorum eorundem intercessione, dilata in custodiam reducitur, in qua annum totum denuo latuit martyrij spe, ex qua toties exciderat prope exturbatus. Degebat ibidem Marina Gurgia Demetrij nuper Ducis vxor, quę vt erat catholica, summopere catholici sacerdotis, cuius opera vteretur libertatem exoptabat, quam tametsi alias frustra tentauerat, sublato interim Basilio ab altero Demetrio, qui successerat posse sperabat impetrari. Nec eam sua spes fefellit. Adhibito enim ad eam rem mariti quondam sui duce primario, quod tantopere cupierat, tandem est aliquando consequuta. Ex ergastulo igitur suo post tot annorum vincula Nicolaus educitur, & in familiam suæ liberatricis adsciscitur, in qua catholico ritu sacra procurans familiæ totius parens habebatur. Ex eadem numerabatur nobilissima matrona Barbara nomine, quæ Marinam ab ipsa Polonia cum Duci Demetrio tradenda venerat, comes fuerat prosecuta. Non minus fuit illius gaudium, quod ex catholico eoque insigniter religioso nacta fuerat sacerdotem. Demum cum ciuilibus omnia bellis arderent, Marináque plurimum ab hostibus mariti sui vexaretur, in extremam Moscouitarum vrbem, quæ Persidem tangit Astarcam nomine secessit, in Persidem deinde siqua se commoditas offerret, abitura. Quod priusquam perficeret ab hostibus suis oppressa eadem in vrbe mactatis prius, qui eam tuebantur, famulis domi suæ.

Barbara verò cum P. Nicolao vinculis onerantur, & religionis Romanæ nomine rituúmque latinorum exercitio contra leges vsurpato deferuntur, ac deinde post redintegrata prælia

nec mereri poterat, ab rege catholico stipendia acceptare. Quibus rationibus, tametsi prætoris voluntatem ad dies aliquot distulit, non sustulit tamen, cum enim Iusto mors intra dies paucos obtigisset, perfecit tandem, vt ceteri in catholici regis munificentia sine cura conquiescerent. quam rem cum rex catholicus tandem literis prætoris accepisset, non confirmauit solum, sed humanissimis literis prætoris factum collaudauit.

IVSTVS VCONDONVS INTRA DIES QVADRAGINTA MORITUR.

CAPVT XXII.

Iustum inuadit febris continua.

Nihil est in humanis rebus diuturnum, vix bene nostri exules præteritos labores in præsenti humanitate sepeliuerant, cum Iustus noster communis huius lætitiæ caput lætitiam communem sua morte intercidens, sua gaudia, quæ intercidi vltra non poterunt, inchoauit. Nam siue cœli permutatio, siue ciborum insolentia, siue nauigationis reliquiæ, aut denique simul omnia coniurato impetu eum inuaserint, continua febre corripitur, qua paulatim contabescens intra dies quadraginta, ex quo appulerat extinguitur. Aegritudinem omnes, quam leuare non poterant, frequenti visitatione Prætor, Archiepiscopus religiosorum ac magnatum gradus omnis cohonestauit. Ex quo non minus existimatio Iusti crescebat, quam in eo solitudinis desiderio sensus augebatur, non ideo solum quod extremas fugientis vitæ horas vni Deo sacras esse cuperet, sed ne quam meriti sibi partem honor exhibitaque officia detraherent. Vbi se ægritudo prodidit cum vicina morte conspirasse, quod per vniuersam vitam fecerat, mori studuit, priusquam moreretur. Et quidem Patrem Petrum Moreion, cui se regendum expiandúmque commiserat, in hæc ipsa verba dicitur allocutus. Facile aduerto me mori, tametsi meorum causa dissimulem. Abeo magno gaudio delibutus, quod diuinam esse videam voluntatem, maxime, quod tot religiosis stipatus, & apud eam gentem quæ Christum colit, ex me Prætori, Archiepiscopo, iudicum senatui, Religiosorum ordinum familijs,

Iusti verba extrema ad sacerdotem nostrum.

lijs, ceterísque gratias ages, pro ea qua nos beneuolentia exceperunt. Ad vxorem, filiam nepotésque quod attinet, omni cura liber emorior. exules Christi sunt, hoc vnum est satis. Quod me in exilium abeuntem persequi voluerint, amori multum debeo, sed is qui eos in externas regiones aduexit, vt parentis officio fungetur, ita magno eorum lucro, hac me cura liberabit. Crescente postmodum ægritudine, frequenti cohortatione Tobiã testatorem imitatus, suam suis supremam expressit voluntatem: ea fuit, vt in fide persisterent & Societatis nostræ sacerdotes perpetuos vitæ suæ rectores adhiberent. Si quis aliquid peccaret, ceteri monerent, monendum ad Patres deferrent, quos si non audiret, hæreditate ac gentilitio nomine priuaretur. His expletis sacramentis omnibus ad extremam luctam muniri eo tempore voluit, quo nondum ægritudinis vi pietatis sensu priuaretur, inter quæ cùm prope continuo hæc verba proferret: iam tandem cupio frui Domino meo, suauissimè in Domino obdormiuit, sub noctem mediam quæ Februarij quintam inchoat. Anno salutis insequenti. Sed in hunc annum illius mortem materiæ series necessario reiecit.

Ad familiam suam.

Moritur Instus. 1615.

Quantus viuentem amor acceperat, tantus morientem luctus excepit. Prætor funus eius eo est honore prosecutus, cui nihil addi potuisse videbatur. Vbi ad efferendum feretrum conuenere, pia lis orta piæ sarcinæ humeros supponere gestientium, ea tandem dirempta est in hunc modum. Prætor cum consiliarijs regijs ex ædibus in mediam vrbem sarcophagum extulit, ibi excipitur ab ijs sodalibus, qui à misericordia nomen inuenerunt, vna cum magistratibus ciuitatis. Cuius sodalitij institutum iam diu apud Iapones inductum ipse Miaci, Nangasaquijque susceperat. Pro foribus ædis sacræ, quæ nostra fuit, religiosorum ordinum superiores ad aram vsque principem cadauer, omnium æstimatione sacrum extulerunt. Ibi dum ecclesiastico ritu parentatur, vix auelli multitudo potuit, quæ ad deosculandos pedes manúsque, postquam id officij maximus quisque præstiterat, concurrebat. Denique cum in tumulum inferretur, profanas secularium manus à sacro corpore placuit amoueri.

Effertur perquam honorificè.

Religiosi confertim circumfusi extremum hoc obsequium impenderunt.

Iusto Vcondono parentatur.

Nec dum satis honoratus Iusti exitus visus fuit. Indicta iustis funebribus de more dies, regio nihil minus habuit apparatu. Pulla vestis totam ædem serico panno circumuestiuit. Sed eam candida papyro conscripti versus, emblemata, aliáque id generis illustrarunt, quæ cum in sacello principe minime caperentur, in ceteram sese ædem diffuderunt. Quatuor linguis descripta pleraque videbantur, latina videlicet, hispanica Iaponensi, ac Sinensi, quibus omnibus vnica viri virtus celebrabatur. In æde quoque primaria & apud ceteros religiosorum cœtus, suo apud quemque die Iusto est sanè iustè magnificéque parentatum. D. porro Augustini Patres in æde nostra idem pietatis officium exegerunt. Stupuisse feruntur Iapones, qui supra mille ea in vrbe numerabantur, quod ciuem suum tot officijs coli viderent apud exteros, cui apud suos ne viuere quidem licuisset. Orationem funebrem habuit Collegij nostri Rector, cuius orationis desiderium commemoratis quam breuissimè Iusti per vniuersam vitam facinoribus prout potero, temperabo.

Non id ago nunc vt Iusti mortem vitæ anteactæ commemoratione cohonestem, aut virtutum eius seriem texere aggrediar, ne instituta breuitate rei magnitudini detraham, aut extra limites vagus anteacta tempora pererrem. Appello Iaponensem historiam, quam ab initio nascentis ibidem ecclesiæ cudi audio, fortasse breui excudendam. hoc vnum, in quo Iustus tota Iaponia neminem parem habuit, de eo dici potest, quod de tribus Imperatoribus, ijsque apud Iapones potentissimis in fidei causa triumpharit. De Nobunanga videlicet, de Taicosama, deque Cubosama. Prima victoria sequenti prælio comparatur. Araqui potens in paucis dynasta, idemque Iusti amicus & beneficiorum vinculis illigatus Nobunangæ bellum indicebat, eum Iustus ab eo bello cùm frustra remouere contendisset, ne minus fidus haberetur, nouo sacramentò fidem amicitiámque suam obligarat & vtriusque obsidem filium vnicum ac sororem adhuc pueros ei tradiderat, quare iam securus Iustum pacis sequestrem in regiam ipse mox secuturus amandauit. Vix bene abierat cum Iusti hostis Xefioye dictus Araqui persuasit Iustum

Iusti Vcondoni tres de tribus Iaponiæ Imperatoribus victoria. Prima de Nobunanga.

stum

stum in hac causa non dubium esse proditorem. Ergo ne à Nobunanga præueniretur Araqui bellum prior occupauit, in quo bello Iustus licet inuitus amicum sequitur, ne quod Araqui crediderat, proderet se fidem prodidisse. Ad eos expugnandos Nobunanga cum ingenti exercitu superuenit. Et quia Iustum nouerat strenuum iam tunc belli ducem, selectissima militum manu instructum victoriam dubiam effecturum, nihil prius habuit, quam vt eum metu, promissis, largitionibúsque si fieri posset, eriperet, maximè quod in munitissimam arcem refugerat, quam auro potius quam armis posse crederet expugnari. Verum cum omnia frustra tentasset, arietem vltimum adhibuit, quo vno Iustus poterat expugnari. Renunciari illi iubet, nisi Araqui partes deserat, se sacras omnes Christianorum ædes solo æquaturum, neophytos extincturum, P. Organtinum reliquósque Societatis nostræ sacerdotes (qui soli ijs temporibus eam vineam excolebant) in crucem acturum in conspectu arcis, quam pertinaciter tuebatur. Ingens fuit vtrinque bellum, illinc fides Araqui data, perfidiæ horror, obsides traditi detinebant: hinc religio & innocentia nostrorum in eius pectore decertabat. & quidem in eo bello Nobunangæ pars iustior esse putabatur. In his angustijs Iustus ad orationem totius rei vnus conscius refugit, ibique coram Christi è cruce pendentis effigie nixus genibus religionis bonum, filijs, honori, fortunisque antepoſuit, & crinem sibi radens Iaponensi ex more huius vitæ spes decurtauit, dum breuibus literis Darium parentem suum cæterosque intra arcem duces monuit, se cùm exitum nullum reperiret Iaponensi ex more mori debuisse, quod cum proprijs manibus Christiano sit nefas, eo se modo mori quo fas est voluisse, ideóque pergere in Nobunangæ castra, vt vna cum patribus in crucem ageretur, ipsi fidem Araqui seruarent, arcemque pro viribus tuerentur. Nec minus fecit quàm dixit. Ipso Nobunanga Iusti non solertiam minus quam virtutem admirante. Darius parens citatis equis Araqui se stitit professus Iusti factum sibi non nisi post factum constitisse, venire se vt filij culpam propria multa lueret, insontesque obsides morte liberaret. Verum Araqui, Iusti etiam in retinenda religione studium potius admiratus, quam perfidiam detestatus, ab innocentium sibi sangui-

ne temperauit, & à Nobunanga breui victus hanc litem diremit. Iustus porro rebus omnibus, quas reliquerat, cumulatè restitutis obsides recepit, Iaponiámque vniuersam admiratione virtutis in se conuertit, effecitque vt Christiana religio ab Imperatore commendaretur, perque omnium ora volitaret.

Secunda Iusti victoria de Taicosama.

Altera Iusti victoria de Taicosama siue Quabacondono triumphauit. Cum enim Nobunanga vnius è ducibus Aquechi manu perijsset, Iustúsque in primis eius mortem vlturus Quabacondoni partes ita promouisset, vt eius opera fere potissimum totius Iaponiæ Imperium occupasset, magnis honoribus ab eo auctus inter primarios Imperij Principes habebatur. Et quoniam in eius fortuna Christianæ religionis incrementa fere voluebantur, tantum authoritate sua perfecit, vt nobilissimus quisque fidei nostræ prælectiones admitteret, eóque hortatore multi legis nostræ sanctitate caperentur, ita per annos aliquot christiana religio secundo euangelici torrentis impetu omnia rapiebat, donec humani generis hostis videns & inuidens Iusto infortunium, & inde religioni detrimentum procurauit. Acaxi enim Sacrificuli omnes, cum Iustus eam prouinciam ex Imperatoris munificentia esset aditurus, suis dijs malè metuentes eorum simulacra sacratiora ad Imperatoris parentem anum deportarunt, illius authoritatem contra Iusti insolentiam obtestati, gauisus est maximè oblata Iustus occasione, vt Boncios è ditionis suæ finibus arcere posset, questus eos nulla à se iniuria læsos reipublicæ suæ statum perturbasse. Quod illi iniquissimis tulere animis & præcipuè Yacuin ex Boncio Imperatoris medicus, qui eorum causam tuendam susceperat, móxque persecutionis huius præcipuus extitit author. Cum enim hic ex medico leno, Christianas ex Arimensi agro virgines Imperatori pellices futuras abducere pararet, effecit apud Arimensem dynastam Pater vnus, vt Christiana pudicitia ethnicæ libidini minimè subiaceret. Leno ad Imperatorem reuersus, de audacia queritur, amissam prædam exaggerat, indignumque exclamat, vt externi Sacerdotes inductos in fraudem Imperij principes ita fascinent, vt suam voluntatem imperatoris opponant voluptati. Ea res, (vt impotens est accensæ libidinis furor, si ad sui contemptum adiungatur)

gatur) Imperatorem in furias egit, iratum grauitérque Christianis infensum cum primum eum sensit, conceptum iam pridem in eos & in Iustum animo virus euomuit Yacuin: tolerare nefas esse dictitans ignotos aduenas tanta audacia templa Deósque suos, tanti à maioribus habita demoliri, Boncios, quos vt magistros & semideos antiquitas venerabatur, malè multatos templis bonísque spoliatos cogere è natiuo solo exulare, tum in regno Bungi Arimæ alijsque locis, tum præcipue Tocazaqui & Acaxi Iusti opera. Grauibus id verbis exaggerabat, neque suspicione carere Iusti sagacitatem dicebat, qua optimatum corda, vt Christi fidem amplecterentur, solicitabat. Aestuanti Imperatoris animo circumstantium corona faces subijciebant, factúmque repente est vt edictis crudelissimis Christianam religionem nobilitati interdixerit, euangelij ministros Iaponia tota proscripserit, & Iustum velut ab ijs dementatum ad saniora reuocare, omni ope atque opera laborarit; cuius id fuit vnicum responsum ab internuncio Imperatori reddendum, se in Taicosamæ gratiam fortunas, prouincias, vitámque non grauatè proiecturum, sed prius idipsum se regi regum supremóque Imperatori Christo debere. Nemo fuit cui satis esset animi ad id Imperatori referendum, quod Iustus animosè renunciabat. Ait igitur, responsum ego ipse & simul sicam, qua me obtruncet, ferre nihil dubitabo. Verum Imperator cum alia tentasset omnia, quæ longum esset commemorare, fortunis omnibus exutum, toties merita dignitate ingratus exturbauit. Nec id infortunium ad eum solum attinebat, sed ad eos omnes qui ex Iaponensi consuetudine clientelæ nomine illi obsequijs astringebantur. Verum vt erat selecta, habebatúrque militarium animorum cohors, à reliquis principibus certatim in familiares adsciti, quam à Iusto didicerant Christi fidem, per multorum principum familias magno rei Christianæ bono Deoque in bonum mala vertente diuulgarunt. Annum integrum Iustus priuatam vitam duxit, & apud Societatis nostræ sacerdotes in Amacusa Insula, quo se receperant, eam vitam vixit, quæ religioso non indigna videretur. Tandem Imperator mitigato nonnihil furore, cum de Iusto sibi adiungendo desperaret, in extrema Iaponia regulo

regulo illum cuidam pro dignitate alendum commendauit, vbi annos sex supra viginti prope priuatus ita vixit, vt vicina loca omnia eo fidei ardore, quo incensus erat, inflammarit, perpetuósque quoad potuit comites è nostris habuerit, vt eorum operam authoritate sua roboraret.

Tertia Iusti victoria de Cubo.

In his occupatum tertia cum Imperatore Cubo pugna, victoriáque quam hoc ipso libro descripsimus deprehendit, quæ tanta admiratione Iaponiam affecit vniuersam, vt affirmarent plerique ethnici dynastæ, Iustum hoc extremo facinore totius vitæ decora velut sigillo muniisse. Sed hæc de Iusto sint satis, cui Dominus pro merito gloriam æternitate dimensurus in extremis abeuntis vitæ diebus videtur inchoasse.

APVD MOSCOVITAS NICOLAVS IAPON martyrij palmam inuenit.

CAPVT XXIII.

PRiusquam nos in Iaponiam recipiamus, longius excurrendi facultatem accepturi nonnihil digredimur. nam tametsi Iaponenses triumphos intra Iaponiam partos scribimus, materiæ tamen similitudo allicit, vt Iaponensem apud Moscouitas triumphum ab obliuione vindicemus. Quicquid in hac re commemorabimus ex religiosorum Patrum D. Augustini authoritate constabit, nec non cuiusdam patris Ioannis Tadæi à S. Eliseo ex Carmelitarum discalceatorum familia, & maximè postquam excussa hæc omnia ab Illustrissimo Alexio Menesio ex eadem D. Augustini familia Archiepiscopo primum Goano deinde in Lusitania Braccarensi (qui nuper Madriti Lusitani senatus præses obijt) nobísque tradita sunt, quæ conscripta sine suspicionis nota possunt edi.

Nicolaus Iapō è Philippis Europam petit.

Ex eodem D. Augustini ordine P. F. Nicolaus de Mello Lusitanus in Philippinas insulas nauigarat, vbi post annos sedecim in Procuratorem electus Europam reuisebat, adiuncto illi comite F. Nicolao Laico, qui cum parentibus è Iaponia Maniliam puer venerat, ibique Christi fide suscepta in baptismo Nicolaus à P. Nicolao est appellatus, educatúsque in ipso cœnobio tandem habitum illum susce-

suscepit, illiúsque professus est institutum. Illo igitur comite cum per Orientis Indiam iter ideo instituisset, vt Archiepiscopi Goani, quem dixi, authoritate ad sua negocia vteretur, eóque anno ex India nulla nauis Lusitaniam peteret, ne deesset negotijs, si annum insequentem præstolaretur, terrestre per mediam Persiam iter Armuziam delatus arripuit, quo tempore, cum in Europam ad summum Pontificem ceterósque principes Christianos Persa legationem adornaret, legato comitem se adiunxit, qui per Moscouiam iter instituit, vt à Polonia legationem inchoaret. Cum in regiam quæ Moscua dicitur deuenissent, vterque hospitio excipitur à Paulo doctore medico Mediolanensi, quem eo nescio quæ fortuna detulerat. Is vt erat catholicus, domi suæ missæ sacrificium, ceteráque Sacramenta ministrari latino ritu permittebat, & filiolam, quę id temporis medico nata fuerat, sacris aquis Romano ritu tradiderat eluendam. Ea res Moscouiæ legibus interdicta Anglorum quorundam Caluinistarum indicio ad Ducem erupit, cuius sententia vterque vinctus in Insulam Solocci relegatur, ibique monachis è D. Basilij instituto schismaticis commendatur. Sex annos in ergastulum retrusi indigna multa pertulerunt. Cibus illis erat ille ipse quo cœnobij seruitia vtebantur, cetera ex odio Romanæ religionis apud Moscouitas licet conijcere. Sæpe ad defectionem sollicitati non constanter minus quàm appositè repugnarunt.

Captiuus in Moscouia detinetur.

Interim moritur Moscouiæ Dux sine hærede, cui Demetrius ille Europa tota notus, Poloniæ regis auxilio, post bella multa successit. Is vt erat catholicus, facilè Nicolaum vtrumque liberasset, siquidem illorum captiuitas ad eũ deueniret: id factum Clementis VIII. authoritate, cum per Moscouiam Carmelitas discalceatos in Persidem destinaret. Liberantur igitur insulari ergastulo, sed mox in atrociora vincula retrudendi, nam cum Moscuam deuenissent, alia omnia quam sperauerant, inuenerunt, quod eam in ciuilium bellorum tumultu Basilius Demetrio suffectus occupasset, qui vt erat schismaticus, in custodiam eos publicam vnà cum ceteris reis ablegauit: Sed ea lege, vt, si eiurata Pontificis Romani authoritate ritu Ruteno baptismum iterarent, liberi mitterentur, Ducis deinde munificentia honorandi. Verùm cùm vterque repugnasset, post atro-

cem flagellationem, in obscurissimum totius carceris ergastulum retruduntur, ibique annos quatuor detenti, sæpiúsque flagellati, nec rarò per vicos publicos detractis vestibus raptati & ad ingentem pyram quæ in foro ardebat, adducti, semper tamen sibi in catholica religione retinenda constiterunt, quod cum facerent, publicè flagellati in vincula non sine contumelijs verberibúsque ac pugnis reducebantur.

È Moscua postea educti ad vrbem Nisna supra flumen volgam cum iisdem vinculis abducuntur, nec ibi mitius habiti, tandem à Basilio Duce iubentur denuo ad incensam pyram adduci, in eáque nisi resipiscant, concremari. Ducebantur ad supplicium eo die quem ecclesia D. Andreæ memoriæ consecrauit, inspectante multitudine, & vtriusque vel maximè Iaponis animum admirante, quem minuendum rati, si à socio separaretur, in alium locum publicum denuo sollicitandum abducunt, vbi ad eum territandum variam suppliciorum supellectilem ostentantes acerrimè vrgent, vt à Romana fide deficiat. Sed ille: absit, inquit, vt veritati errores anteponam, vt ab ea fide discedam, quam à Socio puer accepi. Vbi minæ nihil poterant fraudem adhibent, accurrit è composito, qui P. Nicolaum ad se defecisse mentiatur. Sed ille Iaponensi correptus animo, summa libertate, mentiri omnes affirmauit, non eum esse socium suum, qui post tot supplicia extremum exhorruerit, quod etsi fecisset, cuique salutis suæ curam peculiare munus esse, cupereque pro fide Romana centies, si licuerit, emori. Recurritur igitur ad Ducem, qui admiratione constantiæ mollior factus supplicium mitigauit, iubet enim vt denuo ad socium reductus incendij præsentia terreatur, si repugnarit capite plectatur, sibíque spectandum caput offeratur.

Nudus etiam tum stabat ad pyram P. Nicolaus, totoque corpore frigidissimo cœlo ad ignem palpitabat, ingens vtrique solatium fuit mutuus hoc rerum statu conspectus. Carnifex igitur vbi optanti frustra ignes intentasset, prout erat iussus, inspectante socio Iaponem obtruncauit, eo ipso die anno salutis supra millesimum sexcentesimum vndecimum, truncum caput Duci delatum ludibrio materiam dedit, quo expleto sacrum cadauer canibus laceran-

Nicolaus Iapon in Moscouia capite truncatur. 1611.

dum

dum more gentis exponitur, à quo tamen canes schismaticis mitiores, ita pertinaciter sibi temperarunt, vt ea res pro miraculo habita negotiatores quosdam Polonos, qui fortè catholici aderant, inuitarit, vt humandum etiam contra leges impetrarint. Non defuere tamen ex schismaticis, qui rem admirandam in peius trahentes dictitarent, Romanam hæresin vsque adeo pestilentem esse, vt lue in corpus vulgata canes ipsos à laceratione deterreat. Adeo nullus etiam prodigijs & miraculis schismaticorum & hæreticorum pertinax error corrigi potest. *A cadauere lacerando canes pertinaciter abstinent.*

P. interim Nicolaus sanctæ inuidiæ lacrymis perfusus suam sortem expectabat, verum Polonorum eorundem intercessione, dilata in custodiam reducitur, in qua annum totum denuo latuit martyrij spe, ex qua toties exciderat prope exturbatus. Degebat ibidem Marina Gurgia Demetrij nuper Ducis vxor, quę vt erat catholica, summopere catholici sacerdotis, cuius opera vteretur libertatem exoptabat, quam tametsi alias frustra tentauerat, sublato interim Basilio ab altero Demetrio, qui successerat posse sperabat impetrari. Nec eam sua spes fefellit. Adhibito enim ad eam rem mariti quondam sui duce primario, quod tantopere cupierat, tandem est aliquando consequuta. Ex ergastulo igitur suo post tot annorum vincula Nicolaus educitur, & in familiam suæ liberatricis adsciscitur, in qua catholico ritu sacra procurans familiæ totius parens habebatur. Ex eadem numerabatur nobilissima matrona Barbara nomine, quæ Marinam ab ipsa Polonia cum Duci Demetrio tradenda venerat, comes fuerat prosecuta. Non minus fuit illius gaudium, quod ex catholico eoque insigniter religioso nacta fuerat sacerdotem. Demum cum ciuilibus omnia bellis arderent, Marináque plurimum ab hostibus mariti sui vexaretur, in extremam Moscouitarum vrbem, quæ Persidem tangit Astarcam nomine secessit, in Persidem deinde siqua se commoditas offerret, abitura. Quod priusquam perficeret ab hostibus suis oppressa eadem in vrbe mactatis prius, qui eam tuebantur, famulis domi suæ.

Barbara verò cum P. Nicolao vinculis onerantur, & religionis Romanæ nomine rituúmque latinorum exercitio contra leges vsurpato deferuntur, ac deinde post redintegrata prælia

nisi Rutenos ritus iteratúmque baptisma susceperint, incendio viui damnantur, abductíque in publicum supplicij locum ad suam singuli pyram, propositis denuo legis mutandæ conditionibus, repudiatísque, in medios ignes vterque conijcitur & expirantem animam, recto ignium itinere sursum exutis mortalitatis exuuijs, exhalat.

Ea res in hunc ipsum annum 1614. quod inciderit huic loco studio est à me reseruata. Nicolaus igitur, postquam socium Iaponem in cœlum præmisisset, anno ætatis suæ sexto supra sexagesimum, à religiosa professione quadragesimo, seruitutis suæ decimo quinto, quam amissurus non est inuenit libertatem, qui securus dicere poterat moriens, post aditas fidei causa Philippinas Insulas, Malacam, Goam, Armusiam, Persidem, atque Moscouiam, Cursum consummaui, fidémque seruaui. Qui nunc repositam à iusto iudice coronam est consecutus. Verum tempus est vt Iapones nostros prælia Domini præliantes denuo reuisamus.

Libri Tertij Finis.

DE

DE CHRISTIANIS APVD IAPONIOS TRIVMPHIS

Anno Domini CIↃ IↃC XV.

LIBER QVARTVS.

ATROCISSIMÆ CONTRA neophytos Arimenses persecutionis initia.

CAPVT I.



Ræsentis anni triumphos aggressurus in memoriam reuoco, quod aliàs dixi, me minus religiosè annorum periodos metiri, quàm Astronomi solent. Cùm enim Ecclesiæ administrorum proscriptio furori ethnico habenas laxauerit, placuit ab eius furoris initijs, quæ mox ab eorum discessu sese exeruerunt, inchoare potius quàm inchoatam materiam religiosa mensium obseruatione intersecare. Scribimus igitur hoc libro ea, quæ ab Euangelij præconum exilio, ad exeuntem vsque annum quintum decimum, post secularem contigere. Et quoniam disturbatis vbique sacris ædibus, nostrorúmque domicilijs, qui latebant tota Iaponia vagi, certis in sedibus nusquam constitere, non est quod eorum vestigia vagi persequamur, aut loca omnia in quibus olim degebant percurramus, quod tamen nō inutiliter faceremus, *Quid hoc libro scribendum.*

 si

ſi certis auctoribus ea quæ vbique contigerunt, conſtarent, ſed in eorum abſentia non fuit, qui minutiora cum fide colligeret. Narrabimus igitur ea ſolùm quæ ſua magnitudine ac ſplendore in omnium oculos incurrerunt, quæ quoniam tanta ſunt, támque admirabilia, vt apud nonnullos fortaſſe fide laborare poſſint, priuſquam ea aggrediar, fontes ipſos ex quibus hauſta ſunt deſignabo.

Vnde deſumpta quæ hoc libro ſcribuntur.

Ex ijs, qui è Societate noſtra latebant, à Præpoſito Prouinciali noſtro P. Valentino Carualho quem Iaponenſis Epiſcopatus Adminiſtratorem in interregno canonicè electum dixi, nominatus eſt vnus P. Hieronymus Rodericus, qui & Viceprouincialis officio & Vicarij Generalis auctoritate eam Eccleſiam regeret, aliúmque pręfecit in Vicarium Nangaſaquienſium, & ideo, quod ipſemet occultari non poſſet. Hic officij ſui eſſe putauit, vt profectò erat, legitimè de Martyrum certaminibus cauſáque inquirere, éque iuratis teſtibus puriſſimam elicere veritatem, cuius inquiſitionis exemplar authenticum, penes me habeo cum hæc ſcribo, ipſius etiam vicarij Generalis ſigillo munitum, ſanctéque teſtor, me ab ea ne latum quidem vnguem diſceſſurum, ac niſi tœdio futura eſſet iuridica teſtium interrogatio, ſolemneſque legum formulæ, maluiſſem eam ipſam totidem verbis reddere, quam ex ea medullam elicere: non omittam tamen, quin huius ipſius exemplaris proëmium hoc loco inſeram ad poſteritatis fidem ſine nota exigendam.

Pater Carolus Spinola è Societate Ieſu Vicarius Generalis in partibus Ximo (ita vocantur regiones illæ quæ Cami partibus ad eam Iaponię partem opponuntur in quam Luſitana nauigatione deuenitur) pro P. Valentino Carualho eiuſdem Societatis Prouinciali & Epiſcopatus Iaponenſis adminiſtratore, ſede vacante, cùm intellexiſſet publica voce & fama, quod in Arimenſi terra regni Figen multi Chriſtiani, iuſſu Iaponiæ Regis martyrio affecti fuiſſent, quod Chriſti Fidem, ſuadentibus licet miniſtris regijs negare noluerint, ipſemet in eas partes ſe contulit, inquiſiturus de his rebus & veritatem indagaturus. Mandauit igitur inter neophytos edici, vt ij qui ſimilibus martyrum certaminibus interfuiſſent

fuissent ad se venirent, vt legitimè interrogarentur &c. In posterum enim sequuntur ea quæ iurati testes affirmarunt, quæ ego in historiæ ordinem redacta cum fide, vt promisi, iam sum narraturus.

Safioye Nangasaquiensis Præfectus exacto tandem malis artibus Arimensi Dynasta, vt superiore libro vidimus, ei ab Imperatore suffectus Nangasaquiensi Præfecturæ Arimensem aggregarat, ac tametsi eam rem annos iam plures designatam summis votis expetiuerat, ne tamen adolescentem fefellisse, & in rerum suarum perniciem dolo malo (quod fecerat) coniecisse videretur, artes suas repetens versipellis finxit, eam rem sibi nouam nec optatam accidisse, viderique voluit inuitus id onus subire ad quod per totiam annos aspirarat, præferebátque se vicariam alterius operam interim subiturum, dum Imperator legitimum Arimensis agri dominum nominaret. *Safioie versipellis.*

Conuenerat igitur illi cum Imperatore, vt eiecto Arimensi Toparcha, quem natura molliorem, & suis nimis addictum in extinguenda barbara religione fecerat, non ante Christianos ad defectionem vrgeret, quam eiectis Pastoribus liberior in gregem pateret incursus; ita enim sibi persuadebant, eorum præsentia multos in officio vel cohortatione vel verecundia contineri. ac tametsi paucis antequam eijcerentur diebus, cum timeret ne Arimenses Nangasaquiensibus coniuncti tumultu excitato Pastores suos abire prohiberent, missa ad eos legatione pacata omnia in posterum apud eos fore nunciarat, ex eo quod iam in Cæsarei iuris ditionem transijssent, cum quibus mitius quàm cum cæteris priuatorum dynastarum clientibus ageretur; nihilominus, postquam sine tumultu pastores abierunt, quam induerat lenitatis personam posuit, exutoque vellere lupum aperuit.

Habebat in armis vt superiùs dixi, è vicinis regnis ad compescendos, si nascerentur tumultus, exercitum iustum potius quàm selectam paucarum cohortium manum. conuocatis enim vndequaque copijs ad decemmillia dicuntur conuenisse, quorum capita Safioie, Præfectus Surungandonus & Gonzaimondonus, quorū vterque ideo missus fuerat, vt eiectis sacerdotibus externis Christianos *Safioie exercitus contra Christianos.*

stianos ad vnum omnes, eiurato Christo, cogeret ad patria sacra redire, qui renuerent, acerrimis tormentis, longam mortem viuerent, vitámque morerentur, ne breuitate gloriosæ mortis allecti, martyrij palmam adepturos se rati, Christiani maiore impetu repugnarent. In Arimensis igitur agri neophytos primus tempestatis furor detonuit. Sed superioris anni (nondum enim decimum quartum excessimus) fortissimi athletæ, qui excussam ignibus animam, vltra ignium sphæram in cœlos immiserant, suis illis ignibus ita neophytos, qui spectaculo frequentissimi interfuerant, in eum retinendæ religionis ardorem induxerant, vt sua prælia præsagire viderentur, aut etiam prouocare.

PRIMVS HVIVS PROCELLÆ FVROR IN Portum Cuchinotzu defertur.

CAPVT II.

CVchinotzu Arimensis Oceani portus, primos huius procellæ fluctus ita excepit, vt sua stabilitate deterritos aliò auerterit, donec ad se maiore impetu referrentur. Vix bene decem duodecimue dies abierant, ex quo proscriptorum classis è Iaponię conspectu discesserat, cùm Safioie ratus nullum planè huius gregis Pastorem superesse (tametsi supra triginta è suis latebris rem Christianam procuraturi, remanserant) toto impetu rem aggrediendam ratus, in portum Cochinotzu cum exercitu toto defertur, quo cum peruenisset lenitatem simulans, qui venerat sæuiturus, è familiaribus suis primarium ad plebis capita (Otonas vocant) cum hac oratione amandat; significarent plebi, cum hoc exercitu se in agrum Arimensem ab Imperatore destinatos, hoc vnū spectare, vt omnes eiurata quam susceperant barbara religione, Dijs Patrijs redderentur, sibi gratum futurum, si qui totius populi capita censebantur, cęteris præirent, sibique subditos ad obedientiam, quæ Cæsari debebatur, non authoritate minus, quàm exemplo prouocarent, pristinæque obstinationis obliti, demum intelligerent hoc insultu pertinaciæ arcem expugnandam; non esse sibi nunc negocium cum dynasta suo, quem sua remissio parentum suorum hæreditate auitisq; honori-

Safioie cum exercitu venit Cuchinotzu.

Plebis capita sollicitat.

honoribus exturbarat; rem sibi nunc fore cum Safioie, Surungandono, & Gonzaimondono Imperij primoribus, quos Imperatoris immediatus fauor authoritásque munierunt, rem sibi fore cum ceteris, qui aderant belli præfectis, qui hunc in fidem è diuersis regnis euocati Arimensi agro non essent pedem, nisi cum euulsis stirpitus barbaris sacris elaturi; quamobrem varia sine morte supplicia in eam erant moram protracturi, donec illorum atrocitas inglorios ad defectionem volentes nolentésue pertraheret, pedum manuúmque digitos singillatim detruncandos, corporis molem subneruatis cruribus alienis auxilijs fulciendam, candenti ferro cauteria frontibus inurenda; néue solatium superesset bonorum proscriptione exuendos: quæ si nondum essent satis; coniuges, filiósque ac filias in seruitutem redigendas, & quibus esset in corporis venustate ætatis ac pudicitiæ decus, lenonibus prostibulísque tradendas, postquam ad ignominiam nudæ, petulanti se vulgo spectandas præbuissent: voluisse se de his omnibus ante præmonere, ne quis superesset ignorationi vel querelæ locus. Ex aduerso verò si à pertinacia deficerent, séque ipsos intra obseruantiæ, quæ supremo Imperatori debetur, castra reciperent; effecturum se vt tributis oneribúsque, quibus obruti gemebant sub pondere, magnam partem leuarentur, permissurúmque vt in suum portum Sinensia nauigia suas opes inueherent, quibus in antiquum splendorem oppidi facies reuocaretur. Denique nihil futurum in quo non eius fauor cum Imperatoris munificentia conspiraret.

Auditus est à Præfectis parum secundo suæ concionis applausu Safioie internuncius, à quibus responsum in hæc ipsa verba remittitur: Annos se iam aliquot communi consilio statuisse constantiæ, non obstinationis arce; patientia non armis ad extremum tuituros; non habere se quod actum agerent, aut certa in dubium reuocarent, sibique nefas esse id à neophytis exigere, quod ipsi nefas esse statuissent; quod enim facere non licet, quis non videat nefas esse suadere? effecturos se pro viribus vti ex tota multitudine reperiretur nemo, qui à iuratæ retinendæ religionis firmitate resiliret, oppidúmque suum turpi defectione fœdaret. Hanc esse postremam suam de hac materia irreuocabilemque sententiam. Cum hoc

Constanter præfecti respondent.

Plebs ipsa similiter sollicitatur.

responso parum lætus ad Præfectum legatus reuertitur. Sed nondum spe sua excidens Safioie eundem remittit cum mandatis, vti omnino totidem verbis coacta multitudine res illi tota constaret; ne ignorasse quispiam ante tormenta in tormentis ipsis causaretur, maximè quod non id nunc agebat, vt Christi fidem abdicarent, sed satis sibi factum fore, si se quod iuberentur facturos esse reciperent. id si qui tametsi ita facilè renuerent, sua ei seorsim nomina descripta mandarent. Fecere minorum Præfecti quod iubebantur, conuocatæque multitudini Safioye mandata euulgarunt: à quibus vna voce responsum fidem sibi Christúmque vt vt esset retinendum. descriptis illorum nominibus qui duntaxat familiarum capita censebantur, cùm iam numerus ad duodecim supra centenarium excreuisset, Safioye familiaris exclamauit animi sibi non esse satis, vt seriem ita numerosam hero suo velut munere suo malè functus obtruderet, viderent etiam atque etiam quid agerent, déque hac multitudine quam plurimos detraherent; ideo quòd traditis semel nominibus facile non erat futurum, à negotio resilire. Sed vicorum Præfecti augendi se non tamen minuendi modum facile reperturos, ideo quod ad felicem pro Christo multa patiendi fortunam æque omnes aspirarent.

Similiter respondet.

Describuntur Christiani.

Redit igitur ad herum nuncius, qui decursis descriptorum nominibus excanduit non sola multitudine irritatus, sed multò magis quod primarium quemque cuius industria oppidum regebatur descriptum inueniret, quibus sublatis fœdam toti oppido solitudinem inuehebat, qua ex re ad ipsum insignis ignominia non sine periculo fortasse redibat, quod Arimensem agrum primis diebus ita tractasset, vt nobilem vicum portúque ipso percommodum immanitate sua destruxisset. re igitur in deliberationem vocata, placuit primum furorem aliò auertere, ne primo impetu victi, victoriæ apud cæteros desperationem primo ex oppido exportarent: multum enim ad rem facere videbatur cæteris neophytis quod imitarentur, vel firmitatis vel remissionis exemplum quod deinde sequerentur, exhibere. Suppliciorum tarditatem grauitate compensandi, maximè quod cæterorum vel exemplo vel metu reddi poterant ipso tempore molliores.

Safioie multitudine deterritus alia init consilia.

Inte-

Interim auditur ab regia Ozacam, Fydeiori Principis & Taicosamæ filij arcem ab Imperatore deficere, séque ad bellum vel inferendum vel ferendum acriter comparare. quæ res cum satis solicitos haberet huius expeditionis duces, in noua consilia coniecit, nolentes neque ab incepto resilire, neque Imperatori deesse cum ad bellum vocarentur. Placuit igitur Arimensem agrum totum in tres omnino portiones partiri, in quas immissa exercitus parte, dum singuli singula occupant, vno eodemque tempore aggrederentur vniuersa. quod consilium non id habere solum videbatur, vt temporis compendium sine rei dispendio fieret, sed etiam vt multiplicatus vbique tormentorum fragor horribilius detonaret, neque solum suppliciorum atrocitas velut fulmine, sed eorumdem multitudo velut grandine baccharetur. Firandensibus igitur turmis Arimensis agri occasus Chinijua & Obama cum suis limitibus commendatur: Sazumani ad ortum Ximambaram, Ariye, Miye, cæterósque pagos inuaserunt; Fyensibus Arima ipsa cum proximis vicis committitur. Hanc partem velut præcipuam Safioye & Surungandonus velut primariam sibi reseruarunt expugnandam, quorum communi consilio Gonzaimondonus suppliciorum præses est appellatus. hunc ordinem persequar etiam ab Arimensium, quæ atrociora fuerunt, prælijs inchoando.

Exercitum in tres Arimensis agri portiones diuidit.



ARIMÆ IN CHRISTIANOS ATROCITER SEVITVR.

ARIMÆ IN CHRISTIANOS ATROciter sæuiri cœptum.

CAPVT III.

PRæses igitur vicorum Præfectos oppidique moderatores misso apparitore ad se in tribunal euocauit, aduentus sui confessusque causa indicata mandauit, vti quamprimum à sibi subditis exigerent, quam Imperatori debebant obedientiam, cuius exequendæ causa, ingens ille in agrum Arimensem exercitus immittebatur. Verum illi Christiana libertate fidenter responderunt, se quod nefas esset, neque posse neque velle præstare, cumque super ea re multa vltro citroque fuissent agitata, in eo tandem præses acquieuit vti postridie familiarum capita eum in locum, vbi nuper Societatis Collegium steterat, cogerentur. Incidit ea dies in Nouembris vigesimum, Anni 1614. qua eum in locum adducentos ex ardentioribus neophytis sua sponte conuenere, ceteri vel domi præstolabantur euocandi, vel imbecillitatis suæ conscij nonnulli se in latebras abdiderant. Vbi eum in locum deuenissent, sacras statásque Christianorum preces elata simul omnes voce recitarunt, quibus exhaustis varios Psalmos piè flebiliterque decantarunt: quod dum facerent, Satanæ ministri singulorum nomina in tabulas referebant, exscriptos, qui aderant milites in vicinum locum cogebant, vbi nuper sacra ædes nostra paucos ante annos ab Arimensi dynasta Ioanne religiose constructa, & ab eius hærede nuperrime sacrilegè solo æquata visebatur.

Chonzaimõdonus Arimenses vicorum præfectos sollicitat.

Familiarum capita vnum in locum conueniunt. 1614.

Liberè preces recitant & canunt.

Eo in loco defixis altè sudibus repagula cinxerant, quibus orbum pastoribus gregem lupi continerent, cingebant militari corona satellites supra mille, omni ad terrorem armorum genere instructi, vel solo conspectu minaces, & ad inferenda supplicia comparati, quæ res ita terribilis nonnullis visa est, vt ex omni numero pauci aliquot primo intuitu titubarint.

In media repagulorum corona, carnifices omnino viginti restibus armati, in quos furorem suum exercerent ingressuros præstolabantur. In ianua enim erat, qui ab illis exigeret, vti Christi fidem eiurarent, qui si repugnassent, intra claustra immittebantur à carnificibus.

Fidem professi septo includuntur.

ficibus torquendi, à quibus vncinis ferreis capillitium & aures etiam vellebantur, & solo afflicti, calcibus, pugnis, fustibúsque ita salutabantur atrociter, vt ex ijs nonnulli semianimes stupidique vix spirarent. Quibus erat animus integer nihil erat antiquius, quàm vt elata voce cæleste auxilium recitatis precibus inuocarent, nec ab ijs impetrari potuit fustium pugnorumque grandine vt à diuinis laudibus abstinerent. Et quoniam etiam iudicum cura in eo versabatur, vt cum paucissimis certamen ad extrema deueniret, ex militibus nonnulli hospites suos, apud quos diuertebát, inuitos reclamantésque à supplicio exemerunt, & atrocitatem mentiti fustibus pugnisque misericordes extra repagula dimiserunt, succlamantes eos iam Christi sui fidem abdicasse, qui si pararent reclamare, obdurato ore loqui prohibebantur, tantúsque erat inconditæ multitudinis tumultus, vt audiri nemo potuerit, tametsi totis viribus reclamaret.

Durè & contumeliosè tractantur.

Qui intra repagula remanserant, post primam fustium pugnorumque salutationem, vestibus omnibus exuti, funibus crudeliter astringuntur, iterúmq; solo afflicti calceis luto infectis faciē ipsam proterebantur, quæ res apud Iaponios ignominiam habet præ ceteris singularem. His iungebant sales & scommata, id maximè exprobrantes, quod impudenter suam minus sentirent nuditatem. In angulum deinde retrusi ita raptabantur, vt alij super alios lapsi triginta mutuo grauiter offenderint. E' toto numero septuaginta supererant, è quibus quinque supra quinquaginta fortiter nuditatis ignominiam pertulerunt, nec intra eū locum solum sed per oppidi vicos, eos in primum vbi conuenerant locū conduxerunt, concurrente ad spectaculum multitudine, cuius petulantia ignominiā duplicaret. tum in tres diuisi turmas in vicinas ædes retruduntur, in quibus totam eam noctem, alij alios exhortati, supplicia quibus vitam clauderent animis votisq; prouocabant, quo in genere Petrus Quiuan, natura eloquens gratiáq; feruidus excelluit, totámq; eam noctem concionabundus exegit, ac deinde Diuos omnes ex ordine cantu euocans, sacras litanias psalmósque percurrit: nec fortasse alienum erit credere, illius ardore vsam gratiam, pluribus ex ea turma martyrij palmam concessisse. Die insequenti in eas ædes in quas

In carcere se mutuo adhortantur & canunt.

sese

sese receperant, turmatim milites ingressi, non paucos nullo alio excussos examine liberos ideo dimiserunt, quod vel largitionibus amicorum corrupti noctu aliquam humanitaté induissent, vel paucorum morte & supplicio reliquum vulgus terrere cupientes, in reliquos furorem congerunt, & acriter vt à Christo deficiant vrgentes, nihil tamen impetrarunt, tametsi ea sæpe ingererent, quæ à suppliciorum grauitate, atque tarditate, à coniugum proliúmque supplicijs & ignominia defectionis argumenta sumebantur. Et cum minis nihil cederent, qui iam supplicia pertulerant, atrocissimum quæstionis genus inuenerunt. Tibiarum quippe ossa intra octogona ligna duo arctissimè constringentes, ingentem doloris sensum prouocabant, quem vt augerent, supra ligna ipsa, extensósque solo milites salcitabant. Quo in dolore pauci aliquot animo lapsi circa fidem titubarunt, & Satanæ vinculis induti, corporis emerunt libertatem. Hoc supplicio duo supra triginta torti feruntur; & nonnulli iterum ac tertio, tanta carnificum rabie, si quem constantem reperissent, vt aliquoties ligna illa tametsi crassiora in frusta dissilierint. Hoc suppliciq perfuncti, in easdem ædes, in pomeridianas horas retruduntur, quibus ad eos reuersi, intermissa certamina integrarunt, minisque suis tantum potuerunt, vt aliqui amicorum preces admixtas admiserint, tametsi ex ijs aliquot etiam nulla sua culpa, propinquorum intercessione libertatem impetrarint. Nec admodum ęgrè quod, vt monui, id vnum ministri agerent, vt extrema certamina ad paucos contraherentur.

Quidam liberi dimittuntur.

SEPTENDECIM ARIMÆ NEOPHYTI MARtyrij palmam fortissimè consequuntur.

CAPVT IV.

QVi ad finem vsque perstiterunt, simul extremo supplicio plectendi, artibus ijs quas partim ministri comenti sunt, partim mortalis quorundam fragilitas palmæ subtraxit, ad septendecim contrahuntur; quibus alij deinde duo, & demum vnus ad explendum vicesimum numerum, postero die tertióq; sunt aggregati, quorum nomina hic adscribi oportebit, ex libro vitæ descripta.

1. Michael

1. Michael Nixi Xichiroyemón.
2. Ludouicus Matzuxíma Ienyemón.
3. Thomas Ocumúra Domi.
4. Adrianus Ocumúra Iuyemón.
5. Ioannes Nacamúra Sosuqué.
6. Dominicus Yaquichi.
7. Michael Acasóxi.
8. Andreas Yocónzu Iinxiró.
9. Dominicus Yafángui Xóijro.
10. Dominicus Matzudáque Fióngo.
11. Adrianus Sunga Yaquichi.
12. Martinus Tacayá Mango Yemón.
13. Petrus Quiuan.
14. Dominicus Ocumúra Xósuque.
15. Ioannes Tacaya Quiusayemón.
16. Cosmas Tacaya Xóbióye.
17. Michael Conganemáru Quiú Yemón.

Septendecim capite truncantur. Hi septendecim (ceteros enim alio capite commemorabimus) eo ipso die Nouembris 21. sub noctem id obtinuerunt, quod iustis scriptura promisit: quasi meridianus fulgor consurget illis ad vesperam. Nam post varia certamina, quæ minæ, preces, promissa, propinquorum amor intulerunt, cum sibi semper æque constitissent, alius post alium amputatis ceruicibus obtruncantur. Quo in supplicio id omnes obseruarunt, vt sibi Deoque beneficium ingens gratulati immensam eius clementiam extollerent, quod è toto numero liberi iam à Dœmonis eiúsque ministrorum artibus, ad eam palmam electi fuissent, è qua tot alij sua vel culpa vel infortunio excidissent. Ergo inuocato suauissimè Iesu, à quo salutem præstolabantur, salutem inuenerunt.

Sed ij tametsi à nobis celeri morte sublati abierunt, nos eorum desiderio moram trahentes tantisper in singulis, eo quo scripti sunt ordine, immoremur, sicubi maximè erit, quod non inutili mora dignum iudicetur.

Primus



CRVRA MARTYRVM INTRA TRABES COMPRIMVNTVR.

Primus, Michael Nixi Xichiroyemón Fingensi regno oriundus, annum agebat quartum supra quadragesimum, is cum præsidi se oblaturus ex ædibus abiuisset, coniugem suam ita dimisit, vt nunquam alias rediturus, idque vnum ab ea postulauit, vt continuis interim precibus, quam non merebatur, martyrij palmam à cœlestibus impetraret, quod ipsum ex itinere, misso ad eam rem vnam internuncio, inculcandum iudicauit, quod nollet mittens manum suam ad aratrum, retro respicere. Cùm vincula indueret, vestitum carnifex induebat, quod ille passus non est, ne ceteris minus aliquid pateretur, quos videret alacres ignominiam non refugisse nuditatis, ergo excussis vestibus seipsum nudauit, ne in extrema lucta vestitus cum nudo dæmone, vt ait Gregorius, inæquali sorte luctaretur.

Patiendi desiderium.

Secundus, Ludouicus Matzuxima annos octo supra triginta in hac mortalitatis infirmitate numerans, emit morte immortalitatem. Arima ciuem suum sibi vendicat, Is in arenam descensurus cum aduertisset coniugem suam in colligenda supellectile, quam latebris fideret occupatam, ne faceret admonuit. Quid agis mulier? ait, vbi nos in sacrificium ipsi Deo destinamus, nec supellectilem illi subtrahas, qui rapinam odit in holocausto, nullo loco eam tutius collocatam putes, quàm si eam ipsi Deo tradideris asseruandam. Peculiaris illi fuit per vniuersam vitam, de alienis culpis indicta non linguæ solum, sed auribus abstinentia. Nec enim auditus est vnquam vel aliena tangere, vel aliena tangentes audire. Solenne enim illi erat talibus se colloquijs, etiam cum violatæ vrbanitatis nota subtrahere. Cui cùm vxor quadam die obiecisset, eum morem alienum esse ab eo, quem inter homines viuere oporteret, ita respondit, Cæteri, hominum leges, ego diuinas, quibus id mihi nefas est obseruabo. Idem cum in vinculis, prensatis iam cruribus constantem se præbuisset, extremo die ad suorum, quæ obijciebantur oculis supplicia, breui futura defecit, iam iamque liber domum abibat, nisi eum diuina electio martyrem factura reuocasset, vbi enim aduertit sociorum iam truncari capita, denuo ita exarsit, vt ad supplicij locum recurrens, recantata palinodia, quod amiserat recuperarit.

Fuga detractionis.

Tertius,

Tertius, Thomas Ocumúra Ximambaræ natus in Arimensi agro, annum agebat septimum supra sexagesimum, is cum in extremo, quod vxori dicebat, vale, veniam illa erratorum à marito postulasset, ita respondit: mutuum sit, quod petis vtrinque munus extremum. mihi certum est in hac tandem causa mori, nec minus, vt reor, certum, vltimum fore hunc vxoris maritique conspectum, in quo tibi maximè sum auctor, vt constans in fide persistas, si mutuum affectas in altera vita conspectum. ac licet multi sint, qui non quam bene, sed quam diu victuri sint attendant, tu de multis esse ne labora, pauci sunt enim ij qui ad vitam ingrediuntur æternam. Præterea si te Christiano nomine quicquam pati oportuerit, eius causa patere, qui te patiendo præuenit. Ac tametsi difficile sit iustum iniustè pati, iustius tamen erat, vt tuorum peccatorum vltor Deus à te pœnam exigeret, quàm tu te illi subduceres patiendo. Hoc senis est consilium ad martyrium properantis. An fortasse immemor es eius, quod toties à magistris nostris audiuimus, Christianum oportere mori dum viueret, si viuere vellet, dum moreretur. Neque nos ethnici arbitrentur vitam viuere iniucundam, aut minus esse fortunatos, ideo quod asperam pœnitentiæ viam ingredimur, se autem beatiores, quod in sua vagentur libertate. Vtrum, amabo te, videtur eligendum, an ipsi Deo victimam offerri, cum animi quiete, conscientiæ securitate, salutisque certitudine, an Dœmoni, tigribus, leonibúsq; lacerandum cum indubitata pernicie? Quæ cum dixisset, quinque quos habebat, famulos euocans veniam ab ijs postulare non dubitauit, si quod verebatur, minori, quam par erat, eos amore tractasset. *Vxorem ad constantiam excitat.*

Quartus, Adrianus Ocumúra Ciuis Arimensis Thomæ, quem nominaui, adoptionis beneficio filius, ac deinde gener, annum agebat vnum supra trigesimum. Is cum filium in communi vapulatione cruentum conspexisset, exclamauit: Euge fili fortunate, præbe te virum, quam nobiliter cruorem fundis illius causa, qui tua suum ante profudit. Vxorē ille quoq; suam abiens martyrij spe plenus reliquit, & precatorijs globulis donatam scriptis ex itinere literis in eandem sententiam salutauit.

Quintus, Ioannes Nacumúra Amacusę triginta septem annos na-

tus ac Thomę propinquus, in communi prensatarum tibiarum supplicio socios fortiter exhortatus exclamabat, vt inuocato Iesu ac Maria præsentem sibi Deum exhiberent. Quod cum faceret frequentius, atrociter à carnifice, vt sileret verberatus, vultu hilari grates illi pro beneficio retulit. Cum ad ceruices amputandas traheretur, tertium locum occupans carnifices exorauit, vt in vltimum differretur, in eum finem vnum, vti ceteros spectator postremus ad constantiam hortaretur.

Socios ad cõstantiam hortatur.

Sextus, Dominicus Adachi, ciuis Arimensis, secundum ac vigesimum numerabat annum. Is cum prensatis tibijs à socijs hortatoribus audisset, vt ætatis suæ florem maioribus, quæ ventura credebanrur, supplicijs consecraret, exclamauit, Veniant tormenta quælibet etiam hoc, quod patimur, atrociora, omnia libens, aspirante cœlesti fauore tolerabo.

Septimus, Michael Acafóxi, è regno Fingensi, minus etiam ætatis annos natus nouendecim numerabat, is è nobili familia, bellorũ fortuna, libertatem amiserat Arimensique neophyto seruiebat, in quo nihil erat quod herus culpare posset, nisi quod domesticis officijs horas quotidie minimum duas orando subtraheret. Solẽne illi erat, quartæ, sextæ feriæ, sabbathique ieiunium; & sexta quidem feria ad orizam pro condimento præter salem nihil adhibebat. Frequens illi erat corpusculi flagellatio, quæ omnia Christianæ pietatis exercitia Christianæ modestiæ pallio occultabat. Herilibus obsequijs nuncius de Christianorum verberatione occupatum inuenit, itaq; succendit, vt nulla mora seminudus, vt erat, ac puluere cõspersus accurrerit, obuij currentem interrogant, quo vadis, aut quid acturus es? docebit me Deus, ait, ac iuuabit. Vrgebant vti vestem componeret, seque ipsum cibo reficeret. Non est, inquit, Deo difficile suorum vires alio cibo sustinere. Cum eo deuenisset neque illum milites intra repagula reciperent, conscenso pariete, ceteris se adiunxit, tametsi quod seruus esset in serie ceterorum non fuisset adscriptus. Eiectus est igitur à militibus, sed denuo seipsum insinuans ad ceterorum supplicia non minore ambitione admittitur, quam ab alijs solent euitari. Fuit è militibus heri sui hospes, qui cognitum liberaret, verum ille ita reclamauit, vt voti compos per vim

Seminudus ad martyrium currit.

Per vim martyribus se adiungit.

vim fieri obtinuerit. Cúmque prensatis tibijs ad eiurandum Christum vrgeretur, protestatus est in hæc verba, Nihil doloris sentio, tibias pali tangere non videnter, stringite amabo, vt doloris aliquid experiar; iterúmque liberari potuerat, nisi eodem animo restitisset. Capite iam iamq; truncandus, cùm denuo ad defectionem solicitaretur, ita respondit, Neque volo, sed nec possum quod vultis præstare, ita me interna vis adigit ad fidem retinendam.

Feruor in tormentis admirabilis.

Octauus, Andreas Yocónzu, è Bungensi regno annos natus quadraginta, cum instante exercitu quorsum mitteretur inaudisset, gratias Deo egit, quod se in hæc tempora reseruasset, sociósque compellans ait: globulos hactenus precatorios in eum finem virgini decurrimus, vt ea auspice victoriam imminentis prælij consequeremur, agite modo, facite ne vana fuerit nostra postulatio. Ita de se sentiebat demissè & modestè, vt martyrium sibi ad salutem necessarium profiteretur, vnde factum est vt sortem suam vix caperet, cùm atrocius tibiæ prensarentur, osque ipsum frangeretur, qua ex causa stare prohibitus, flexis genibus ad Martyrij locum capite truncandus adreptauit.

Nonus, Dominicus Yasángui Arimensis agri pago Oye oriundus annum trigesimum decurrebat, biduo ante quàm moreretur, domi suæ multis explicuit, dudum se pro Christo mortem exoptare, ad quam subeundam ne filiolæ, quam habebat vnicam, amore prohiberetur, se illam Virgini Matri filiam consecrasse, illámque ipsam noctem quæ vincula præcessit Pascha suum appellabat, & vxori valefaciens, præter multa monuit, vt carnifices suos odio ne prosequeretur sed pro eorum salute Deum exoraret.

Decimus, Dominicus Natzudáque annos natus quinquaginta, alterius Dominici ciuis, neophytum apostatam auctorem habuit, vt hanc procellam in latebris falleret. Verum ille, Triennium est, inquit, ex quo in hanc occasionem intentus, ad martyrium aspiro, certum mihi est eam minime negligere; cùm incertum sit, an similis aliàs offeratur.

Vndecimus, Adrianus Sunga Aracauæ, Arimensis Agri pago exierat; annos numerans vnũ supra triginta, qui quod in ciuibus suis, nescio quam in fide retinenda remissionẽ aduertisset, expungi voluit

Martyrij desiderium.

ex eorum tabulis, & in Arimenses, quod atrocius ibi sæuituros hostes crederet, procurauit adscribi. & abiens Arimam parentes his extremis verbis salutauit, Abeo vitam pro legis nostræ sanctitate positurus, extremum à vobis peto, vt eam fortiter teneatis.

Duodecimus, Martinus Tacayá Ciuis Arimensis, annorum quadraginta, cùm ante huius tempestatis initia Nangasaquium, ibi victurus abijsset, ad primas martyrij spes Arimam reuolauit, ceterísque adiunctus, cum vinculorum sensu nonnihil ingemuisset, noluit tamen laxare volenti, vt dolorem minueret, assentiri. Aiebat enim se in pœnis suis solatium aliud nullum, quam à cœlo prestolari.

Decimus tertius, Petrus Quiuan octo annos & quadraginta decurrerat, natus Vncemoti. Adolescens eam sectam professus fuerat quæ dæmonem veneratur, eorúmque fuerat sacrificulus. Verum Fingensi in regno cum Augustino famularetur, Christum agnouit, ita feliciter, vt sacerdos noster absentiam suam illius ardore innatáque facundia suppleret. Anno superiore Arima proscriptus, Nangasaquium refugerat. Ad eum expugnandum plus industriæ ministri posuere, sperantes ex eius lapsu ruinam cæterorum. Neque enim adduci potuerat, vt spem martyrij Nangasaquiensi vita dimitteret, qua in re cum illi vxor aduersaretur, visa est nocturno prodigio Arimam inuitari. Matronam enim admirabili auctoritate conspicuam hortatricem audiuit, vna cum comitibus quos habebat angelis, vt iter quod ostendebat Arimense arriperet, in hæc verba prolocuta, Iter hoc vobis erit fortunatum. Quod visum cum illa marito enunciasset, nulla mora vocantem secuti sunt. Ille præsidi se sistens ita iudices dicitur allocutus, Fortunas omnes in causa religionis amisi, vxorem ac filios à me remouens Deo redonaui, nihil præter me ipsum mihi superest, hic sum mortem præstolaturus, nec ædes meas vltra reuisurus tametsi differatur. Cum torqueretur, & supplicia maiora intentarentur, exclamauit, Quantum volueritis ac potueritis torquete, ad omnia venio comparatus. Cumque ligna prensatis tibijs intorta prensantium vires extremis in partibus coniunxissent, interrogatus an Christum eiuraret, nihil simile cogito, inquit, nedum eloquor, & ad præsidem conuersus ita eum compellauit, In regno Quinocuni natus, cùm Christianos

Nocturno viso ad martyrium inuitatur.

Seipsum sistit Indicibus.

In tormentis constantia.

ſtianos hic torquendos audiſſem accurri, præſentem Deum eundemque adiutorem quis negabit? obtruncandus porro elata voce ſucclamauit, Deo, quem tametſi videre non liceat, præſenti gratias ago immenſas, quod me eam in horam, qua pro eo morerer, reſeruauit, & ſubito implorato Ieſu obtruncatur. Prodigio carere non potuit quod ſequitur, Filioli duo, octennis alter, alter bimus, quo momento truncum parentis cadauer occubuit, abſentes videntur conſpexiſſe, Octennis lacrymis obortis dolorem teſtari, bimus in gremio ſuæ parentis exclamauit, Pater meus in cœlum penetrat, collatiſque temporibus ipſa momenta conſpirarunt. Eo iam è viuis ſublato, ſchedula reperta eſt, in qua narrabat ſe Martij vigeſimo ſeptimo, anni 1614. cum matutinis horis de more crucem adoraturus ſe ad locum, in quo illa ſteterat, nuperrimè contuliſſet, primum ſtellam vnam, deinde duas, poſtea tres, ac denique aliam circularis figuræ maiorem, quę alias plures ex ſe ipſa videbatur iaculari conſpicatum, vt inde portendi videretur quamplurimos regia crucis via id impetraturos, vt ſicut ſtellæ, fulgerent in perpetuas æternitates. *In cœlum euolans à filio conſpicitur.*

Decimusquartus, Dominicus Ocumúra annos natus erat triginta.

Decimusquintus, Ioannes Tacayá priorem annis octo ſuperabat.

Decimusſextus, Coſmas Tacaya prioris frater, vterque Yamato oriundus.

Decimus ſeptimus, Michael Conganemáru Miacenſis, annorum quinquaginta, quem cum transfuga hortaretur, vt exemplo ſuo vitam ſeruaret, his ipſis verbis excepit, Itane tu viuere te putas? vel audes in hoc miſero ſtatu conſtitutus, neque formidas, vt terra hiet, ac tartarus abſorbeat, cum tu Deum ipſum tibi hoſtem effeceris? auctor tibi ſum ego, vt ad fidem redeas, turpémque defectionem eluas pœnitendo.

Hæc de ſingulis breuiter, ac ſpero ſine tædio. quis enim non eo in ſtatu conſtitutos libenter audiat, ac minutim extrema omnia de more proſequatur?

ALII TRES IBIDEM SVPERIORIBVS adiunguntur.

CAPVT V.

Petrus & Ludouicus Gotó fratres.

AD hos decem & septem fratres duo, non pietate minus quam nascendi sorte germani, mox accesserunt, alter Petrus, Ludouicus alter, vterque Gotó dicebatur. Petrus annos duos & quinquaginta natus, decennio toto fratrem superabat. Hi vicum incolebant Arimæ conterminum, eumque vicaria heri præfectura moderabantur: vterque cum superioribus, intra repagula vinculis, fustibus, ceterisque supplicijs pugnæ suæ principia nobilitarant; sed quoniam è primoribus nescio quis, vicum illum sublatis fratribus minus commodè administrari posse credebat, inuitos ac renitentes vinculis exuit, suæque libertati redonauit, sparso mentientis famæ rumore, vtrumque in sui gratiam, Christi gratiam abiecisse: vnde factum est, vt in dubium constantissimorum pugilum constantia vocaretur: sed breui fuit suus veritati locus, non sua tantum professione, in qua suspicionis esse nota poterat, sed multò magis iterata Christianæ religionis confessione; dimissi quippe se à Christo nunquam defecisse proclamabant, socios in arena relictos ad constantiam hortabantur, & immitem ethnici clementiam hostiliter sibi procuratam interpretabantur, cuius rei veritas breui erat, vt sperabant, è suis tenebris egressura. tum deinde Ludouicus ad circumfusam militum coronam conuersus, iterum ac sæpius hæc ipsa verba proclamauit: notum sit omnibus nunquam nos à Christo defecisse. quod ipsum cum se domum recepissent, ciuibus inculcarunt, satis mœsti quod paratam è manibus coronam, sua, vtaiebant, sibi peccata excussissent; neque ex eo tempore à confirmandis in fide neophytis, nondum excusso martyrij ardore, destiterunt.

Defectionis suspicionem à se liberè amoliuntur.

Toties repetita fidei professio, non potuit fautorem ethnicum ac ceteros iudices latere. ergo fraudem detectam, iniuriam suam sunt arbitrati. Præfecto cuidam militiæ vltio demandatur. Euocatur Ludouicus prior, ꝙ ardentius ea in re, iuueniliúsq; se gessisse deferretur. Ibat alacer, nihil dubius ad iterata prælia palmamq; euocari.

Ob fidei professionem iterum capti.

Obuium

Obuium habet ex itinere fratrem, qui se adiungens ita coniectauit, Dubio procul ad defectionem solicitandus euocaris, quippe fauor hesternus, visus est mihi semper aliena commoda potius quam amicitiam redolere: adiungo me comitem quod ominer hoc euentu nobis certissimam martyrij coronam à domino præparari. Vbi in præfecti ædes deuenêre, vinculis vterque constringitur, ideo quòd toties Christum recuperata libertate profiteri, præfectus iniuriam suam ex mendacij nota interpretaretur, quæ vinculorum causa ab alio militaris ordinis amico suo, coram multis testibus, denuo est apertè confirmata.

Nec plura, eum in locum abductis, vbi pridie trunca cæterorum cadauera temerè iacebant, denuó ex iudicum voluntate significatur, ideo illos plecti, quod se nunquam à Christo defecisse sæpius, non sine iudicum iniuria proclamassent, ea res enim accuratius à iuratis testibus excussa ita constitit, ne qua suspicionis nebula rumorum vaporibus excitata, martyrum splendorem obscuraret. Ad eam iudicum denunciationem fratres de mortis causa securi, confirmatis quæ obijciebantur omnibus, denuo Christum professi carnificem rogant, vt in ea causa volentes obtruncet, quod inuocato de more in auxilium Iesu feliciter impetrarunt. *Capite plectuntur.*

Deerat ad destinatum numerum vigesimus, quem die insequenti Thomas Matzuxima, annos natus sex supra triginta, postremus expleuit. Is Arimensis agri vicum propè suburbanum natalem habuit, in quo potiora, iudicij potius bonitate, quam natalium splendore obtinuerat. De eo sparserat miles quidam amicum liberaturus, Thomam suis cohortationibus adductum, barbaris eiuratis, ad patria sacra redijsse. vnde factum fuerat, vt de Thoma tardius ageretur. Patuit tandem militis dolus, ac Thomas à præside totam rem excussuro in tribunal euocatur. Nondum sciebat ille quid sparsisset miles, minus quid præses in milite detexisset. Cùm igitur ad eum vinciendum carnifices accederent, scire prius voluit, qua ex causa vinciretur: si quidem aiebat in fidei causa; manus porrigo; si qualibet ex alia, militariter ex Iaponensi consuetudine me tuebor. Strenuum virum carnifices veriti rem totam aperiunt, ipseque extemplo abiecta sica, pugione, *Thomæ Matzuximæ martyrium.*

 bal-

baltheóque militari, agnum diceres, vincula non refugit. Coram præside re discussa, cum defectionem negaret, Christúmque profiteretur, capitis sententiam lætus excepit, ipséque ad præsidem conuersus ait; vera sunt quæ pronunciasti præses, nunquam à Christo defeci, nec simile quippiam etiam animo solo tractaui: quisquis alius dixit amicè magis quàm verè faciens, nullo fundamento commenta sua stabiliuit, plus tibi debeo quod me hac in causa iubes obtruncari. Ergo agnus in macellum abductus, ceterorum cadauerum carnificinæ adiunctus, post neophytorum preces postulatam Iesúmque inuocatum, iugulatur.

Omnium



SEPTVAGINTA NEOPHYTI SAFIOYE SE VLTRO AD MARTYRIVM OFFERVNT.

Omnes post mortē membratim concisi capita altiore loco defixa.

Omnium cadauera, vt hoc de omnibus semel dicam, immanitate sicarum Iaponensium barbara, capitibus iam euulsis membratim concisa, ita permixta sunt, vt cuius singula membra fuerint à neophytis dignosci deinde nunquam potuerit. Iacebunt interim cōfusa omnia, donec in vitam reuocata, diuina vi, cui subtrahi nihil potest, singula in suum locum reuocentur. Capita verò ad spectaculum altiore loco defixa, ne à neophytis raperentur, diurnos ac nocturnos diu custodes habuere. Horum incredibilis in supplicijs constantia, & in obeunda morte alacritas, ita ethnicos spectatores affecit, vt stupentium esset vna vox, Fieri nullo modo potest vt ab his vera ad salutem via ignoretur, qui tanta hilaritate supplicia, mortemque ipsam tolerarunt. Plusquam enim humanum est, coniugum, filiorū, propinquorum, quibus ita rapimur, obliuisci. Et sanè tametsi cæcutirent, aliquam tamen in hoc veritatis splendore lucis partem admiserunt. Ad amorem enim suorum quod attinet, vix alias clarius constitit pronunciatæ à Veritate sententiæ Veritas raro nota, Inimici hominis domestici eius. Non pauci enim postquam atrocia supplicia propè sine sensu tolerassent, vbi de suorum supplicijs, seruitute, nuditate agi cœptum, leones vidimus in lepores animo deficiente mutatos. Clarius hoc vnius exemplo patuit, quod ad posteritatis institutionem non debet prætermitti. Propria vnius ex ijs qui defecere, neophyti confessione cōstitit, eum pedes manúsque ita constrictum, vt funes intra carnis latebras se propè totos occultarent, fauces porro more patrio propè præfocatas vix spiritum admitterent, eo in supplicio diu sine vllo doloris sensu superante gratia iacuisse, donec admissa de filiolo, quem tenerrime diligebat cogitatione, alteri compatiendo naturam sibi reddidit, quæ gratiam extrudens tanto doloris sensu patientē inuasit, vt impatiens extemplo à Christo deficeret, & ab inchoato prælio turpiter resiliret, hoc ille deinde de se prædicans, pœnitentię beneficio in gratiam cū gratia rediens cæteros docuit, quam exiguū sit illud quod naturę viribus sine peculiari Dei concurrentis auxilio, humana possit infirmitas, vt nemo sibi fidat qui viderit eū, qui præsentis gratiæ viribus in seipso atrocia tormenta sine sentu tolerabat, absentis auxilio destitutum, alienorum suppliciorum minas, suorum, sensu reddito non potuisse superare.

Ethnicorum de Christianis iudicium.

IN



VIGINTI MARTYRVM CAPITE SVSPENSA.

INTERMISSAM CVCHINOTZV PERSECVtionem Safioye redintegrat.


Capvt VI.

PRima neophytorum in Cuchinotzu Arimensi portu repugnatio alta mente reposta manserat Safioye. Ratus igitur Arimensium supplicijs & nonnullorum lapsu reddi posse molliores, ad eos redit magnam iram habens, maximè sciens, quia breue tempus habet. Rumores enim bellici nouis quotidie nuncijs ab regia recrudescebant. Ab ipso igitur portu priusquam discederet, missa legatione superiori satis simili, multitudinis animos nulla non arte tentauit. Responsum superiori par fuit, sed responso superior animus seipsum superauit. Postridie quippe cum iam exscenderet, neophyti ad septuaginta, sua sponte nondum vocati in arenam descenderunt. Arena fuit ædis sacræ & domus Societatis solo æquatæ area, in quam fama sparserat pugiles ad certamen euocandos. Quo in studio patiendique desiderio tanto à neophytis ardore certatum est, vt nonnulli sua secum vincula, si carnificibus fortasse deficerent, domo exportarint. Hæc neophytorum animositas ethnicos rabie incendit, ac rubore perfudit, præueniri se ad supplicia ferenda potius quam inferenda, suam ignominiam arbitratos. In eum igitur vbi conuenerant locum, militari tumultu delati, tres trium cohortium ordines sclopeta, sagittas & pila, triplici corona explicuerunt, medium gregem precibus occupatum suauique psalmorum cantu personantem vndequaque cingentes: & quoniam id agebant potius vt terrerent, quam torquerent, vnusquisque vultum seueritate ac minis armabat. Vicinum erat eidem loco cœmiterium, illud eodem trium cohortium ordine ac præsidio munientes, in mediam aream omnem suppliciorum supellectilem territuri vel torturi congesserant.

Neophyti 70. Safioye se nō vocati offerunt.

Precibus & canticis occupati à tribus militum cohortibus cinguntur.

Præsi



SEPTVAGINTA NEOPHYTI SAFIOYE SE VLTRO AD MARTYRIVM OFFERVNT.

Præses item in lapideo tumulo editiore sibi tribunal elegerat. In ingressu apparitor è publicis tabulis neophytorum nomina pronuncians, singulos euocabat. Dicam prius quid ab omnibus toleratum, ne longa singulorum commemoratione, nimia lectorem mora suspendam. Ne tamen ignoti remaneant singuli, & præclara eorum dicta factáque, vel in hac ipsa pugna, vel in anteacta vita, indigna obliuione sepeliam; quæ digna iudicauero sequentibus capitibus, ne cum tyranno conspirem, ab interitu vindicabo. Euocati ergo neophyti, cum è priore corona bis inter militares cohortium ordines facto transitu, in alteram admissi, præsidi se stitissent, in genua lapsi quini consistere iubebantur, & interim fusis ad Deum precibus cæleste auxilium euocabant, tum singulos, milites duo brachijs vtrinque raptantes, acriter vt Christum eiurarent lacessebant, qui si renuerent, octodecémue carnifices, solo afflictos pugnis, verberibus, calcibus ita impetebant, vt ex ijs alij malè saucij cruoremque naribus, auribus oculísque mittentes, & semianimes multi iam iamque expiraturi viderentur. Huic primæ salutationi succedebat nuditas, nuditati varia ludibria, sed maximè calceorum luto infectorum, quod Iapones horrent, fœda in vultu verberatio. In aliorum deinde carnificum, nihilo mitiorum iura transmissi, manibus pedibúsque arctissime vinciuntur, & funibus in collum immissis prope præfocantur.

Variè lacessuntur.

Hæc



CHRISTIANI CORONA MILITVM CINCTI ET POSTEA INTERFECTI

Hæc omnia inauditi patiebantur, euocati deinde à præside singuli, verbis adlenitatem compositis, iterum iterumque monebantur, atque rogabantur, vt à pertinaciæ proposito desisterent: renuentes extemplo in aliam areæ partem raptati, machinam reperiebant in patibuli modum erectam, in quam pedibus educti, capite in terrã demisso pendebant, & ne corporis pondus leuiter pedes sustinerent, saxũ duorũ triúmue virorũ iustũ pondus addebãt, manus enim ad pedes à tergo retortę, ijsdéq; vinculis cõstrictę, vacuũ in tergo saxo locũ relinquebant; alijs tibias prensabãt vti modò diximus,

Crudeliter & variè torquentur.

transuer-



CHRISTIANI MANIBVS PEDIBVSQ IN TERGVM REVINCTIS
DORSOQ GRANDI SAXO IMPOSITO SVSPENDVNTVR.

transuersaque toto corpore ligna stringentes, ipso saltu carnifices extrema ligna supremum cum infimo ad contactum cogebant, & admirabile multis visum est, nullum in ea prensatione fuisse, cui iam libero, stare atque incedere non licuerit; vix vt credi possit natura fieri potuisse, vt non ipsa ossa comminuta dissilirent. Nonnullis pedum ac manuum digiti ita truncabantur, vt pollex primum, deinde reliqui simul digiti amputarentur, atque ita octo vulneribus viceni digiti dissiliebant.

Plerisque



TIBIA INTRA TRABES PERSTRICTA MANVS PEDESQ TRVCATVR

Plerisque etiam candenti cauterio crucem non paruam in frontibus præses inuri iussit, quo supplicio nullum gratius neophytis fuit, quod iam sibi viderentur hoc signo in Christi seruitutem indelebiliter ascripti. Ad singula supplicia, vt Christum eiurarent vrgebantur, quem si profiterentur, obtuso saxis ore carnifices labia lacerabant. Denique ad gradus infimos, quibus in eum locum conscendebatur, in auersis genibus subneruati corruebant. Quo ex supplicio mox exspirarunt. Viui reliqui omnes, vno die octodecim, truncis ceruicibus in hoc certamine victoriam reportarunt. Aliqui tamen post tot supplicia viui ad exemplum, meritique cumulum superstites remansere. Qui glorioso fine trunci vitam finierunt, Nouembris secundo ac vigesimo nouam in æternitate, quæ non finietur, vitam inchoarunt.

Admirabilis porro neophytorum constantia tepidúsque martyrum sanguis vim extemplo suam exeruit, omnium enim ore lex ea prædicabatur, quæ tantis animis sectatores suos contra omnia supplicia muniret, mirabanturque omnes, fieri potuisse, vt externorum sacerdotum industria (vim enim gratiæ non agnoscebant) ea mortalibus acrius persuaderet, quæ à sensibus remota sperantur solum, esse persequenda, quam ea quæ videmus ac sentimus, esse retinenda. Præses porro, cum nimiæ crudelitatis à quibusdam insimularetur, causatus est id à se lenitatis potius amore factum, quàm immanitatis furore. Neophytos enim oportuisset truncare singulos, nisi atrocibus supplicijs deterritos ad minorem numerum contraxisset, tanto omnes ardore martyrij palmam, suppliciorum breuitate affectabant.

Sed ad singulos, quorum hic nomina subijciam ex ordine veniamus.

[S]ingulorum [n]omina.

1. Petrus Faximóto.
2. Paulus Rióyéy.
3. Ioannes Narayá.
4. Ludouicus Fisazúmi.
5. Michael Yxinda.
6. Michael Coráy.

7. Soter

7. Soter Cundó.
8. Matthæus Xinyemón.
9. Thomas Niyemon.
10. Dominicus Yoichi.
11. Petrus Coráy.
12. Petrus Ixinda.
13. Michael Yaxichiró.
14. Thomas Vsúi.
15. Thomas Cáyxe.
16. Matthæus Aráqui.
17. Dominicus Yenámi.
18. Matthias Aráqui Xinzamburó.

DE SINGVLORVM MARTYRVM DICTIS ac factis.

CAPVT VII.

PRimas obtinuit Petrus Faximóto, annos natus duos & quinquaginta, quem Cuchinotzu ciuem suum agnoscebat, is per vniuersam vitam Christi fidem eximio ardore coluerat, sodalitij sui magnam partem moderabatur, & in id incumbebat maximè vt in fide persisterent, nec frustra fortasse, cum ex eo aliquot martyrij palmam in hoc certamine fuerint assecuti. Nosocomij quod ibi erectum nuper fuerat, curam suscepit, illique stipem corrogans abiectissima seruitia seruiebat; à biennio trienniòue, ex quo minari vel sæuire tempestas cœperat in Christianos, ingens martyrij votum accurata comparatione incendebat. Ante hoc extremum certamen & vincula, militum præfectus eum tentaturus per iocum monuit, se læti nuncij baiulum, significare nihil in Christianos hoc tempore sæuiendum, nulla res illi tristior accidit; quam cùm dissimulare non posset, subridens præfectus, alia omnia serio nunciauit; quæ subito ad sodales excurrens & vnà lætitiæ suæ partem effudit. Ergo vbi optatus dies illuxit, magna festinatione, tametsi pedibus infirmior claudicaret, scipioni innixus animo vitium *Martyrij desiderium.*

naturæ

naturæ ſupplebat, cui cum obuia mulier ipſi nota occurriſſet, intelligerétque qua ex cauſa properaret, Vade age, inquit, Petre, perſiſte, & fortiter in hac cauſa decerta. Cui Petrus, curam pone, ait, ſpero me cum bono Deo, tametſi pedibus claudicem, animo minimè titubaturum, Sed & pedibus ipſis perfectam hodie ſpondeo ſanitatem. Prius verò quam torqueretur, è belli ducibus vnus viri virtutem miſeratus eripere illi amicè ſtudebat, quod tot votis ambierat. Ergo ſuadebat, vt ab externa fidei demonſtratione tantiſper abſtineret, cui Petrus in hæc ipſa verba reſpondit: Chriſtiana lex fraudē dolúmque reſpuit ex eo, quod Deum vnum cœli terræque conditorem agnoſcat, cuius poteſtati & ſapientiæ nihil ſubtrahitur, vt occultum eſſe credatur: atque ita cum vnicum ſit ſine conſorte numen, vnicum eſt etiam ad ſalutem æternam iter, quod ille proſcripſit, vnde fit vt Chriſtianis nefas ſit, aliud ore quam corde præfiteri. Quod verò idem Deus ſuos ab ethnicis torqueri ſinat, magna id facit in electos ſuos clementia, quorum fidem amorémque hac ratione experitur, & illis ſecuram & cum meritorum fœnore ſalutem parat, maximè quod Dei filius in noſtram veniens mortalitatem, pœnis, quas pro nobis tulit, atrociſſimis ad ſui nos imitationem, gratúmque beneficijs animum hac ſuppliciorum ſimilitudine prouocauit. Ad hæc præfectus ſubridens inſtitit, Tota hæc conſtantia veſtra vſque ad ſuppliciorum conſpectum ſenſúmque protrahetur. Vbi ad rem ventum fuerit, alius erit rerum color è proximo, quàm is quem fingitis è longinquo. Cui Petrus: qui altas in hac lege radices egerunt, hæc omnia ſine metu vident, ac prope ſine ſenſu tractant, tantique boni participes ſuos omnes eſſe geſtiunt. Quibus alijſque dictis præfectus reſiſtere non potuit ſpiritui qui in Petro loquebatur. Sed qualis fuerit in ſupplicijs ipſis mediáque arena videamus.

Sollicitatur ad deſiſtendum.

Cum



PETRVS FAXIMOLO TRVNCATIS MANIBVS ET PEDIBVS FERTVR ET MORITVR.

Præſes item in lapideo tumulo editiore ſibi tribunal elegerat. In ingreſſu apparitor è publicis tabulis neophytorum nomina pronuncians, ſingulos euocabat. Dicam prius quid ab omnibus toleratum, ne longa ſingulorum commemoratione, nimia lectorem mora ſuſpendam. Ne tamen ignoti remaneant ſinguli, & præclara eorum dicta factáque, vel in hac ipſa pugna, vel in anteacta vita, indigna obliuione ſepeliam; quæ digna iudicauero ſequentibus capitibus, ne cum tyranno conſpirem, ab interitu vindicabo. Euocati ergo neophyti, cum è priore corona bis inter militares cohortium ordines facto tranſitu, in alteram admiſſi, præſidi ſe ſtitiſſent, in genua lapſi quini conſiſtere iubebantur, & interim fuſis ad Deum precibus cæleſte auxilium euocabant, tum ſingulos, milites duo brachijs vtrinque raptantes, acriter vt Chriſtum eiurarent laceſſebant, qui ſi renuerent, octo decémue carnifices, ſolo afflictos pugnis, verberibus, calcibus ita impetebant, vt ex ijs alij malè ſaucij cruoremque naribus, auribus oculíſque mittentes, & ſemianimes multi iam iamque expiraturi viderentur. Huic primæ ſalutationi ſuccedebat nuditas, nuditati varia ludibria, ſed maximè calceorum luto infectorum, quod Iapones horrent, fœda in vultu verberatio. In aliorum deinde carnificum, nihilo mitiorum iura tranſmiſſi, manibus pedibúſque arctiſſime vinciuntur, & funibus in collum immiſſis prope præfocantur.

Variè laceſſuntur.

Hæc



CHRISTIANI CORONA MILITVM CINCTI ET POSTEA INTERFECTI

Hæc omnia inauditi patiebantur, euocati deinde à præside singuli, verbis adlenitatem compositis, iterum iterumque monebantur, atque rogabantur, vt à pertinaciæ proposito desisterent: renuentes extemplo in aliam areæ partem raptati, machinam reperiebant in patibuli modum erectam, in quam pedibus educti, capite in terrã demisso pendebant, & ne corporis pondus leuiter pedes sustinerent, saxũ duorũ triúmue virorũ iustũ pondus addebãt, manus enim ad pedes à tergo retortę, iisdéq; vinculis cõstrictę, vacuũ in tergo saxo locũ relinquebant; alijs tibias prensabãt vti modò diximus,

Crudeliter & variè torquentur.

transuer-



CHRISTIANI MANIBVS PEDIBVSQ IN TERGVM REVINCTIS DORSOQ. GRANDI SAXO IMPOSITO SVSPENDVNTVR.

transuersaque toto corpore ligna stringentes, ipso saltu carnifices extrema ligna supremum cum infimo ad contactum cogebant, & admirabile multis visum est, nullum in ea prensatione fuisse, cui iam libero, stare atque incedere non licuerit; vix vt credi possit natura fieri potuisse, vt non ipsa ossa comminuta dissilirent. Nonnullis pedum ac manuum digiti ita truncabantur, vt pollex primum, deinde reliqui simul digiti amputarentur, atque ita octo vulneribus viceni digiti dissiliebant.

Plerisque



TIBIA INTRA TRABES PERSTRICTA MANVS PEDESQ TRVCATVR

Plerisque etiam candenti cauterio crucem non paruam in frontibus præses inuri iussit, quo supplicio nullum gratius neophytis fuit, quod iam sibi viderentur hoc signo in Christi seruitutem indelebiliter ascripti. Ad singula supplicia, vt Christum eiurarent vrgebantur, quem si profiterentur, obtuso saxis ore carnifices labia lacerabant. Denique ad gradus infimos, quibus in eum locum conscendebatur, in auersis genibus subneruati corruebant. Quo ex supplicio mox exspirarunt. Viui reliqui omnes, vno die octodecim, truncis ceruicibus in hoc certamine victoriam reportarunt. Aliqui tamen post tot supplicia viui ad exemplum, meritique cumulum superstites remansere. Qui glorioso fine trunci vitam finierunt, Nouembris secundo ac vigesimo nouam in æternitate, quæ non finietur, vitam inchoarunt.

Admirabilis porro neophytorum constantia tepidúsque martyrum sanguis vim extemplo suam exeruit, omnium enim ore lex ea prædicabatur, quæ tantis animis sectatores suos contra omnia supplicia muniret, mirabanturque omnes, fieri potuisse, vt externorum sacerdotum industria (vim enim gratiæ non agnoscebant) ea mortalibus acrius persuaderet, quæ à sensibus remota sperantur solum, esse persequenda, quam ea quæ videmus ac sentimus, esse retinenda. Præses porro, cum nimiæ crudelitatis à quibusdam insimularetur, causatus est id à se lenitatis potius amore factum, quàm immanitatis furore. Neophytos enim oportuisset truncare singulos, nisi atrocibus supplicijs deterritos ad minorem numerum contraxisset, tanto omnes ardore martyrij palmam, suppliciorum breuitate affectabant.

Sed ad singulos, quorum hic nomina subijciam ex ordine veniamus.

[...]ngulorum [...]mina.

1. Petrus Faximóto.
2. Paulus Rióyéy.
3. Ioannes Narayá.
4. Ludouicus Fisazúmi.
5. Michael Yxinda.
6. Michael Coráy.

7. Soter

7. Soter Cundó.
8. Matthæus Xinyemón.
9. Thomas Niyemon.
10. Dominicus Yoíchi.
11. Petrus Coráy.
12. Petrus Ixinda.
13. Michael Yaxichiró.
14. Thomas Vſúi.
15. Thomas Cáyxe.
16. Matthæus Aráqui.
17. Dominicus Yenámi.
18. Matthias Aráqui Xinzamburó.

DE SINGVLORVM MARTYRVM DICTIS ac factis.

CAPVT VII.

PRimas obtinuit Petrus Faximóto, annos natus duos & quinquaginta, quem Cuchinotzu ciuem ſuum agnoſcebat, is per vniuerſam vitam Chriſti fidem eximio ardore coluerat, ſodalitij ſui magnam partem moderabatur, & in id incumbebat maximè vt in fide perſiſterent, nec fruſtra fortaſſe, cum ex eo aliquot martyrij palmam in hoc certamine fuerint aſſecuti. Noſocomij quod ibi erectum nuper fuerat, curam ſuſcepit, illíque ſtipem corrogans abiectiſſima ſeruitia ſeruiebat; à biennio trienniòue, ex quo minari vel ſæuire tempeſtas cœperat in Chriſtianos, ingens martyrij votum accurata comparatione incendebat. *Martyrij deſiderium.* Ante hoc extremum certamen & vincula, militum præfectus eum tentaturus per iocum monuit, ſe læti nuncij baiulum, ſignificare nihil in Chriſtianos hoc tempore ſæuiendum, nulla res illi triſtior accidit; quam cùm diſſimulare non poſſet, ſubridens præfectus, alia omnia ſerio nunciauit; quæ ſubito ad ſodales excurrens & vnà lætitiæ ſuæ partem effudit. Ergo vbi optatus dies illuxit, magna feſtinatione, tametſi pedibus infirmior claudicaret, ſcipioni innixus animo vitium

naturæ



PETRVS FAXIMOLO TRVNCATIS MANIBVS ET PEDIBVS FERTVR ET MORITVR.

Cum igitur in media militum corona dum quini genibus neophyti niterentur, intenta prece diuinam opem inuocaret; subitò elatis in cœlum manibus oculos eodem ita defigebat, vt insolens aliquid spectare videretur, & effusis gaudijs exclamans hæc verba, Sancta Maria quid est hoc? repetiuit. Qui aderat illi neophytus metum interpretatus dixit, Titubas Petre titubas? cui ille non est hic metus sed gaudium. & pergens iterum exclamat, Iesu bone, quot angelos, quot Diuos aureis argenteisque vestibus insignes conspicio? quod ipsum visum moriturus deinde vxori suæ domi narrauit, asserens ex eo se lætitiæ sensu absorptum omni prope doloris sensu caruisse. Verberatur ergo, nudatur, vincitur, & in atrocem machinam pedibus manibusque à tergo reuinctis actus ingenti saxo opprimitur, digitis manuum pedumque volens libénsque truncatur, candenti crucis cauterio frontem inuritur. Quod etsi carnifex faceret otiose, caput sine motu quietum dolori minimè subtrahebat, & ad infimos gradus transuerso sub axillis fuste delatus sub poplitibus eneruatur, & impetu ruens solo affligitur. Aderat domesticus illi miles qui hospitem suum sæpe ad defectionem lacessierat, is Petrum miseratus ita compellat, Iam spero intelligis quam vtilia tibi consilia dederim, Cui Dei seruus manus pedésque truncos ostentans, non sine risu respondit: quid censes amice miles, annon ex diuino fauore impleri vides quod domi sæpe dicere me memini nullo me casu à Christo defecturum? annon vides quanta sit Dei nostri gloria, qui ad hæc ferenda supplicia nobis vires animúmque subministrat, ne ipsius fidem abdicemus? Inde domum elatus vxorem suam cælesti perfusus gaudio ita compellauit, Vides mulier, & vulnerum suorum stigmata ostentabat, vides inquam ingentia bona Deique beneficia quibus me cumulauit? in referendis gratijs auxiliarem mihi confer operam, ac deinde superius cæleste visum ea qua morientes fide solent, prout supra retulimus, enarrauit, tum illa ipsa nocte Deo mortem illius causa obitam gratulatur, in ipsa sanctissimorum Iesu ac Mariæ nominum inuocatione pedibus manibúsque truncus meritorum alis ad coronam euolauit.

Secun-

Secundus, Paulus Rióyéy ciuis Arimensis, annos numerabat nouem supra sexaginta. Is octennium totum ædis virgini sacræ procurationem exercuit, quam cum ethnici diruissent, ne à pijs exercitijs otiaretur, pueros Christianæ legis rudimenta docendos suscepit, Martyrium in continuis votis habebat, cui cum nescio quis dixisset hunc in Christianos turbinem cum Safioie discederet differendum, respondit, Quantum placuerit differatur; triennium est ex quo magnæ matri concepto voto spopondi me nunquam vllis tormentis cogendum, vt benedictum illius filium negem, tametsi longius longiúsque spes martyrij differatur. In arenam porro proditurus amico distichum scripsit in hanc sententiam: *Martyrij desiderium.*

Hi quibus à puppi faciens afflauerit aura
Securi ex voto litora tuta petunt.

Quibus verbis innuebat hanc persecutionem ventum sibi esse prosperum, à quo securus in gloriæ portum deferretur: eodemque tempore rem animo suo, posteritatisque memoria dignam patrauit. Cùm enim carnifices nosset ad supplicia inferenda nominatos, ad eos domum officiosus visitator accessit, eosque in hæc verba supplex compellauit. In vestras manus breui venturus sum, amabo vos, officio vestro mecum rigidè fungimini. Cùm enim Christianus sim & annos natus septuaginta, cuperem in gloriam meritis onustus introire. quod illi se facturos liberaliter promiserunt, & liberalius expleuerunt. Supplicia igitur omnia fortiter tulit & ad extremum poplites eneruatus domum refertur; vbi cum audisset ex amico viginti neophytos certamen feliciter expleuisse, actis Deo gratijs fide seruata cursum ipse quoque suum feliciter consummauit.

Tertius, Ioannes Naraya annum agebat quinquagesimum primum è regno Deua, quod est in extrema ad Boream Iaponia. Priusquam Christo nomen daret in Insulas Philippinas excurrerat, vbi salutari fonte elutus annos viginti Christum coluit, & in Iaponiam reuersus in hoc portu coniugio illigatus consedit. Quo martyrij desiderio teneretur, tum maximè præ se tulit, cum nunciaretur eo in oppido contra neophytos atro-

cius sæuiendum. Tantis enim gaudijs incedebat, vt minacibus, qui hæc nunciabant militibus dixerit, Cum vos amici mei sitis, à minis ad manus venite, torquete rigidè, neque enim alia me vlla re felicius faciliusque beabitis, quibus verbis minas eludens, importunè minacibus silentium indixit. Iis porro qui amicitiæ causa importunius Imperatoris obseruantiam externo saltem cultu exigebant, in hæc verba satisfecit, Nec interno, nec externo cultu impetrabitis vt tam immane scelus admittã; conditor enim cæli ac terræ vtrumque sibi cultum exigit, neque ore minus quam corde decet eum venerari. nec facile est scelus in hac materiæ grauitate admissum eluere aut corrigere. Adolescens eam sectam colui quam Focquexus appellatis, ceterarum Iaponensium sectarum peritiam profiteor, illarum nulla suos in salutis tramitem deducit, securi erratis, & quia sine remedio vobis ex animo compatior, cupióque vt Christianas prælectiones in aures saltem admittatis, tum enim, quam vobis ingero, in animum admitteretis veritatem, cuius retinendæ causa certum est truncas manus, truncos pedes, concisos artus, lentos ignes, ardentes ollas lubentem admissurum, nec tamen ideo cogitetis Christianum nomen in Iaponia posse deleri, quin potius Christianorum sanguis, Christianorum semen, quos sustuleritis cum fœnore multiplicabit. In tormentis porro ita se gessit, vt nihil verbis facta debuerint. Supplicia cum ceteris paria fuerunt, hoc peculiare, quod amputatos non satis stirpitus digitos Præses aduertens, supplicium repeti iusserit. Ipse iam truncas manus hilariter offerens, iterato supplicio duplices animos præ se tulit, succisis poplitum neruis in tergum ruit, manúsque iunctas, oculósque in cælum ferens, animum eodem itinere iter aggredientem generosè dimisit. Carnifices demortuo ceruicem amputant, & in reliquum cadauer digladiatrices sicas immittunt.

Constantia in fide.

Quartus,



IOANNES NARAYA CVM ALIIS CHRISTIANIS OBTRVNCATVR ET IN MVLTAS PARTES CONCIDITVR.

Quartus, Ludouicus Fisazùmi annis vixerat quatuor supra septuaginta è regno Chicungo originem trahens. Non illium ætas à certamine subduxit; nec ætati fauor diuinus defuit. Supplicia cum cæteris eadem tulit, cum quibus tamen id ætatis bimestre spacium fere superstes octauo Ianuarij renitentem animam tormentis expulit, nec alia illum ægritudo nisi quam secum ferebant vulnera confecit. Nam vt aliud nihil foret, tantum è vulneribus sanguinem mittebat, vt id ætatis firmioris nedum senectutis vires vltra ferre non posse viderentur. Quo die mori desijt vitam inchoaturus, domesticos admonens iussit omnes eo die sibi adesse, quem esse sciret extremum, reique finem probauit euentus. Postquam enim longam mortem, sæpe à peccatis expiatus & sacro viatico refectus animosè pertulerat, eo quo die monuerat, expirauit.

Quintus, Michael Yxída è regno Fixen, annum sexagesimum secundum decurrebat. Post cætera supplicia eneruis diem noctémque totam sub Ioue id temporis perfrigido vulneribus nondum obligatis transegit, ac deinde dies vnum & quinquaginta superstes Ianuarij duodecimo suppliciorum finem inuenit. Admirabile est, quod sacerdoti nostro cuius opera suum animum frequenter expiabat, moriturus retulit. Exactis nempe quindecim primis diebus duos pueros venustissimos à se conspectos affirmabat, à quibus è vase quod ferebant exiguum liquorem suauissimum propinantibus exhausisse, qua potione sibi nauseam cuiuslibet ferculi ita iniectam, vt totos triginta sex postea dies nihil omnino gustarit. Plerunque toto ægritudinis tempore clausos oculos subtrahebat vanitati, quod assereret nihil esse, quod in hac valle mortalitatis arrideret. Paucis ante diebus quam oculos mortis nocte damnaret, hanc velut fidei suæ professionem dictauit exscribendam. In martyrij locum delatus verbera, nuditatem, ac vincula toleraui; in aërem eductus ex machina pependi pedibus ac manibus à tergo vnà reuinctis, saxúmque ingens in humeris ibi tuli, digitos pedum manuúmque truncos dimisi, sanctæ crucis cauterio inustam frontem gestaui, ac demum saucijs poplitibus eneruatus corrui. Potuisse me tam atrocia tormenta

'alesti potio- e confirma- ur.

menta perpeti non id viribus meis, sed Iesu Christi meritis, magnæ Matris intercessioni acceptum fero, vnde vires obtinui à sanctissima Trinitate Patre Filio & Spiritu sancto tribus personis vnóque Deo, vt eum non negarem. Imperatoris Iaponiæ potestas sanctæ fidei viribus cedere coacta victoriam mihi reliquit in manibus. Hæc ego scribenda curaui vt de rei veritate constaret.

IN EADEM MATERIA pergitur.

CAPVT VIII.

MIchael Coray à regno dictus quod natale illi solum fuit, annos natus octo & quadraginta sextum in perferendis supplicijs locum inuenit. Is in bello, quod Iapones contra Coray sub Taicosama susceperunt, in seruitutem redactus, Nangasaquij Christianam libertatem inuenit, ac tametsi secunda expeditione in patriam cum hero redierit, maluit tamen patria quam Christo carere. Ergo in Iaponiam rediens ab hero iam libertate donatus pro sororis suæ libertate seruus vltro, annos aliquot denuo seruiuit seruitutem. Multa de illius virtute scribi possent, nisi alienum esset ab instituta breuitate. Quotidie horis antelucanis, ne quid labori detraheret, leucam vnam per montium solitudines vagatus in locum pium ad orationem missæque sacrificium secedebat. Satis constat etiam ipso teste, stellam ipsi sæpius ducem cælitus affulsisse: aliquoties etiam fertur Dei parentem, angelos, aliaque visa sua vitæ innocentia à Domino impetrasse: quæ omnia non temerè de tanti viri simplicitate, quam glorioso fine coronauit, credi posse arbitrandum. Labores manuum suarum quotidię manducabat, è quibus quod in pauperes distribueret sextæ feriæ ac Sabbathi perpetua ieiunatione subtrahebat, fraudata etiam necessitate potius quàm voluptate. lepra infectos in domum suam inducebat, eósq; quibus poterat pro sua tenuitate delicijs recreabat, aiebátq;, isti sunt fratres mei quos sperne re est nefas, quibus si similis nõ sum diuinis beneficijs miseratióniq; debe-

Vita ante martyrium sanctè acta.

Stella dux ad templum eunti.

Martyrij desiderium.

debetur. Martyrium illi ex quo sperari potuit, perpetuo fuit in votis, & vt comparatior prælium affectaret, in S. Spiritus sodalitium, quod in hunc finem erigebatur, ascribi voluit, & vxori, socrui, ac sorori narrasse scribitur, prius in eum portum, quam suppliciorum ministri appulissent, visam sibi per quietem matronam vultu venerando, quæ moneret venturos breui qui Christianos atrociter insectarentur, ipsúmque cum alijs in fidei causa moriturum. Cum igitur tyrannica classis appulisset, lætitia gestiens in hæc verba prorupit, Iubilæum nobis aduenit, pascha mox celebrabimus. Et cum alijs colloquens dictitabat naues illas, quę tyrannos veherent, à Deo missas, esse maius omnibus bonum; vnde oportebat milites illos deposita omni maleuolentia amore prosequi, & intra ędes receptos omni officiorum genere demereri. Iam diu cum vxore continentiam mutuo ex consensu seruabat, aiebatque se ex eo tempore nouum in pietatis exercitationibus ardorem concepisse.

Triticum media hyeme in spicas altas excreuit.

Satis mirabile est quod de eo tot testium fide narratur, quot in Cuchinotzu agro capita censebantur. Paulo antequam sæuiretur, Michael tritici agellum seminauerat, cui vxor, dimitte, inquit, metendi tempus nunc est potius, quam seminandi. Cui Michael velut vaticinans: mihi metitur, tibi seritur. Res mira solito tardius semina iecerat, idque triticum eiusmodi est vt mense tardius in spicas exeat, quam triticeæ species ceteræ, & tamen quinto Ianuarij, asperrimo apud Iapones æque ac nos, hyemis tempore, conspicitur ad quatuor palmorum altitudinem excreuisse, inque spicas & flores erupisse, inuito gelu ac niuibus, quibus omnia tum rigebant; cæteræ autem triticeæ species, quæ prius semina iecerant, vix tres quatuórue digitos assurrexerant. Spicæ illæ proculdubio ad perfectam frugem excreuissent, nisi neophyti certatim euulsas pro miraculo habuissent. Ex ijs aliquot in Europam missæ à multis & à me quoque conspectæ sunt, nec fuit qui eam rem à prodigio eximere potuerit, maximè quod etiam semel demessæ iterum pullularint, ac nonnullæ etiam tertio messores suos inuitarint. Ea res neophytis magno solatio fuit. Exinde magnam Euangelici seminatoris messem martyrum sanguine irrigatam in posterum augurati, tametsi persecutionis niues ac frigora ingruerint, aut carnificum gladijs

messis

messis iterum pullulatura demetatur. Michael igitur in tormentis vno illo caruit, quod fuit atrocissimum, machina videlicet illa quæ suspensos saxo opprimebat; Sed eius vicem subijt, quo alij caruerunt, tibiarum prensatio, qualem cum de Arimensibus neophytis ageretur expressimus. Initio suppliciorum in hæc verba prorupit, Michael Coray dicor, Deo meo immensas gratias ago quod ex gentilium terris eductum ad hæc supplicia pro eo toleranda segregarit. Poplites ad extremum eneruatus, ipso momento corruens expirauit, caput illi detruncatur, cadauer Iaponensium sicarum ludibrio in frusta dissilijt.

Septimus, Soter Cundo è Bungensi regno annos natus duos & quinquaginta. Hunc à puero nostri educarunt, & quoniam Iaponensium sectarum peritia & ingenij bonitate multa spondebat, adhibitus est ad fidei nostræ mysteria, postquam ea didicerat, accuratè in alios diffundenda. Septem annos in Insulis Gotó nostrorum sacerdotum, quos toparcha Imperatoris metu excluserat, suppleuit industriam; idem deinde præstitit in Insula Xiqui & Amacusa, quibus in Insulis olim Augustini tempore nullus erat qui non Christiana sacra suscepisset, nunc verò toparcharum gentilium insolentia nonnulli sensim ab incœpto resilire velle videbantur, quos continuis laboribus Soter ad salutem reduxit lapsos, lapsurósque confirmauit; nec ethnicos paucos & in his præfecti, apud quem degebat coniugem, Christo adiunxit, & quos deinde illi pepererat solitis Christianæ pietatis exercitijs tuebatur. In eam Insulam, postquam Imperatoris edicta nauigassent, ægriùs hoc dimittitur, quòd esset omnibus carus, quàm pro Christo relegatus ipse discedit; nec tamen eum caritas longius abire permisit, nam in vicinum pagum secedens, sub alio toparcha vtrisque satisfecit, nocturnis excursionibus officio suo fungebatur, diurnis recursionibus præfecti voluntatem exul explebat. Ea res præfectum non latuit, cuius sensus nimis impotens Soterem iubet occidi. mox vbi Soter inaudiuit, ad sacerdotem nostrum excurrens, qui tum fortè neophytos illos clam visitaturus accurrerat, peccata expiauit, ac tametsi ex eo audierit licere & sæpe etiam expedire ad multorum salutem martyrio se subducere, adduci tamen non potuit, vt oblatam gloriosi cer-

Sacerdotum vice fungitur.

Etiam relegatus & proposita morte prohibitus.

taminis occasionem omitteret. Ergo domum redit satellites præstolaturus, qui postridie ad eum concurrerunt. Excepit illos Soter hilari vultu, deque vita agi arbitratus, breue spacium ad se comparandum flagitabat. Verum illi responderunt, se ab hero suo ideo missos, vt si intra ditionem suam reperiretur, vitam relinqueret; sin, moneretur ne alios ad neophytos morte proposita excurreret. Dimisit igitur satellites, sed non officium suum, quia iustius est obedire Deo quàm hominibus.

Non latuit denuo præfectum quod fiebat in latebris. Ergo nouo furore correptus vicinum præfectum rogat, in cuius toparchia Soter degebat, vt huic malo remedium quæreret, ab eo comprehenditur, & in arcem abductus verbis asperrimis increpatur, quod sua pertinacia præfecturam totam Imperatoris furori exponat, vrgétque morte proposita vt fidem eiuret, cui Soter in hæc verba respondit. Dynastæ, toparchæ, præfecti laborant vt regiones suas in hac vitæ breuitate conseruent: ego officio meo fungor, si pro viribus laboro, vt æternam hæreditatem mihi meísque subditis parem ac tuear. Ad fidem porro eiurandam quod attinet, ita in eius veritatem altè penetraui, vt fieri nullo modo possit quod iubetis, quamdiu integer mihi sensus fuerit animúsque. De cætero de me pro suo statuant arbitratu. Excanduit hoc responso præfectus, testatus se effecturum, vt tametsi magnus sibi orator videretur, palinodiam tamen recantaret, & simul illum ethnico sectarum Iaponensium peritissimo tradi iussit, vt falsitatis conuictum à Christo abduceret. Is operam diu lusit, demumque persuasit, vt Soterem ad præfectum cuius erat subditus ablegaret; à quo post multa cum coronam se manu tenere arbitraretur, extra insulas relegatur, ideo maximè, ne illius cōstantia neophyti confirmarentur potius, quã supplicio terrerentur. Igitur post tot tribunalia vinculaque, demum in hoc portu potissimum consedit, quod ab eo Arimensem procellam initia sumpturam iudicaret. Abeuntem porro sacerdotem nostrum Patrem Garcesium, sub cuius cura fuerat, his verbis valefaciens est prosecutus. Quoniam prohibeor vobiscum exulare, curabo per vniuersam vitam, vt Christianos iuuem ac confirmem. De me curam ponat, vbicunque spes vitæ pro religione ponendæ affulserit,

Ad defectionem sollicitatur.

Relegatur.

eo me oblaturus accurram, eaque vna res in hac me statione solatur. In supplicijs paria illi omnia cum cæteris fuerunt, nisi quod silentium indicturi, cum Iesum frequentius inuocaret, saxo illi os immaniter percusserint, ac tandem cum ad omnia repeteret, Deum meum, Dominum meum non sum negaturus, ceruicibus amputatis cadauer ludibundi lacerarunt. *Post varia supplicia capite truncatur.*

Octauus, Matthæus Xinxemon eiusdem huius oppidi ciuis, annum attigerat quadragesimum, cũ æternitatem adeptus est. Is quam ardentibus votis ad martyrij lauream aspiraret, continuis domi suæ colloquijs præ se tulit. quæ omnia id vnũ spectabant, vt domesticis suis, quàm arcte vitam Christo debeamus inculcaret. Domus illi erat editiore in loco, arbustis vndiq; circumdata. ea cum egrederetur in martyrij locum cum cæteris excursurus, vxorem ita compellauit, Domus hæc nostra hortus mihi Gethsemani videtur, è quo exiens Christum comitor ad profundendum sanguinem, seque Patri æterno victimam offerendum omnium causa meáque priuatim exeuntem, in eius societate, quis à Domino præeunte animum viresque desperet? nec spes illum sua fefellit. nam paria cum cæteris supplicia, mortemque pari cum ceteris animo tolerauit. *Martyrij desiderium.*

Nonus, Thomas Niyemon Amacusanus, annos vnum supra triginta decurrerat. Erat is ex copiosis oppidi negotiatoribus, idque maximè curabat vt seruitia, quibus abundabat, diuinæ præcepta legis obseruarent. Huius tempestatis initio, sodalitij parti præficitur, quam ipse domestico in sacello prope quotidie ad orationem cogebat, quam etiam aliquoties in quadraginta continuas horas curauit prorogari. Sexta quaque feria sortes de corporis afflictationibus intra hebdomadam obeundis, quisque ex vrna educebat, totusque Thomas negotiationis oblitus in hæc studia incumbebat. quibus ad martyrium ita accendebatur, vt moræ impatiens, cum nondum in Arimensem agrum hæc tempestas extrema deplueret, in Insulam Xiqui ad nunciatas martyrij spes nauigarit, vbi tametsi vota, non tamen operam lusit. Confirmandis quippe neophytis non parum oportunus aduenit. Audit interea Nangasaquium ab regia mitti magnatem, qui Christianos insectetur. Eo Thomas extemplo recurrit, sed cum eum ibi spes quoq; sua fefellisset, de Sasioye inaudiens, ad eum excipiendum *Ad martyrij spem in varia loca se confert.*

in ipſum portum properauit. Sed in itinere aberrans ab eo quod illi ſuſceperant, domum redit, vbi cohortis præfectũ, & Surungadoni familiarem diuerſantem inuenit, à quo interrogatus, num in oppido aliquis ſupereſſet Chriſtianus, ad vnum omnes, inquit, egóque me primum gaudeo nominari, cum ille ad defectionem vrgeret, ita reſpondit: Dudum has cohortes ac ſollicitè præſtolamur, & quoniam mori cupimus, omnes negotiatione intermiſſa, pauperes viuimus, ſed hilares, quod fidem noſtram veras nec perituras opes arbitremur. Reſponſum riſu excepit ethnicus, ſatius dictitans regijs mandatis obedientes, fortunísque intentos tempori obſecundare. cui Thomas, æternitati malumus, inquit, idque ſapientius arbitramur. Neque tu glorioſum arbitraris, etiam in ea quam ſequimini gloriæ vanitate, quod plebeios homines & inermes armati toparchæ, duces, militésque tanto numero perſequantur? Impotentius hoc reſponſum tulit ethnicus, & Chriſtianos vecordes, quod ſe ſuáque prodigant, contumaces, quod ſuos ſuperiores ſpernant, pronunciauit. Biduo toto varijs altercationibus vtrinque certatum. Sed hoc vltimo reſponſo hoſpiti ſuo os in perpetuum occluſit: ſatis miror Imperatorem, eóſque qui illi ſunt à conſilijs, arbitrari Chriſtianum nomen illatis ſupplicijs poſſe deleri, cum illud adhuc alia nulla ratione magis excreuerit. Idem quod alias ſemper, hodie futurum quis dubitet? Quod igitur à vobis petimus hoſpitalitatis præmium hoc vnum eſt, vt poſtquam vxores noſtras filióſque nobiſcum immaniter cruciaueritis, capita deinde noſtra demetatis.

Comparatio ad martyrium.

Ipſo die quo ad martyrium iturus erat, antelucanis horis ſodales ſibi commendatos domum euocauit. vbi lectis de Deipara litanijs, de Chriſti tormentis caput appoſitum oratione, quæ ſola mente fit decurrerunt, cuius finem hoc ipſo colloquio Thomas excepit, Chriſti pendentis effigiem manu tenens, genibúſque nixus ait: cum tu, Domine, verus ſis Deus, Rex cœli ac terræ, volueriſque pro nobis miſeris peccatoribus, tanta pati, diuinæ tuæ maieſtati ſupplicamus, vt vires nobis ſubminiſtres, atque conſtantiam, vt in tuo amore vitam ipſam poſituri perſiſtamus. Nec reiecta videtur oratio, cum ex illo cœtu plerique vitam glorioſo martyrij fine concluſe-

cluserint. His dictis omnes sibi mutuo valefacientes & fratrem inprimis suum Dominicum,æque martyrem futurum, extremum salutauit. Cui Dominicus,ardeo desiderio, frater, vt quemadmodum in vita dileximus nos,ita in morte minime separemur,in cœlo ipso sanguinis vinculum, quod natura inchoauit,gloria perfecturi. Cui Thomas,Ita futurum confido. Nec diuturna fuit mora, nam eo ipso die,alter in alterius conspectu,quod maximè optauerat,est consecutus In supplicijs enim toti cœtui communibus,non solum sibi constitit Thomas, sed neglectis etiam ministrorum minis socios confirmabat,& fratrem maximè,nec non Barnabam,qui supplicijs superstes in alium locum reseruatur. Cùm enim eum truncis pedibus manibúsque conspexisset,ita compellauit: Eia strenue Christi miles,cuius causa truncandos digitos præbuisti, consta tibi fortiter Deo placiturus,& promissam lauream adepturus. Quibus cohortationibus os sibi contundi neglexit, prensatásq; tibias cum cæteris supplicijs fortiter tolerauit,ac trunco deinde capite, laceratoque corpore ad præmium euolauit.

In supplicijs socios confirmat.

Decimus,Dominicus Yoichi Thomæ frater,annorum septem supra viginti, cætera cum cæteris supplicia tolerauit: Id peculiare, quod ętatem miserati, importunius vrgerent,vt vitam cõseruaret; hoc saltem tempore dissimulans, facturúsque deinde, quod magis arrideret. Verum ille ita,nec aliter respondit: non si mihi totum orbem dederitis à fide desistam, cuius causa neque Safioye vereor, neque alium quempiam. Responsum liberius milites notarunt, deque eo atrocius cruciando conspirantes primo, in arena impetu solo afflictum crudeliter ore toto contuderunt. Sed in hoc cęterísque supplicijs æquabili semper hilaritate omnia superauit, ac demum vno cum fratre mortis genere parem est palmam cõsecutus.

In fide constantia.

CÆTERORVM FACTA DICTAQVE concluduntur.

CAPVT IX.

VNdecimus, Petrus Coray æque vt Michael,à patria nuncupatus,annos natus octo supra triginta. Is ab ætatis anno tertio

decimo vsque ad trigesimum inter ethnicos seruierat. postmodum nescio quo casu Cuchinotzu deuenit, vbi eum nostri Christi sacris imbuerunt, è quorum præscripto vitam instituens, ex optimis habebatur. Cum vicorum præfecti Christianorum nomina in tabulas retulerunt, Petrum excludebant, quod in aliena domo habitaret ac tenuior haberetur, sed ille precibus importunis ab oppidi moderatoribus euicit, vt heri loco scriberetur. quod cum impetrasset de sorte sua nihil vltra dubitauit, sed omissis curis omnibus id vnum agebat, ne imparatus caperetur. Præ multis alijs trium sibi dierum, intra octauum quemq; indixit inediam, bis corpusculum flagellabat: ipsa nocte quæ martyrium præcessit amico suo aperuit, post preces comuniter institutas, sacratissimam virginem Dominam nostram sibi visam, è cuius præsentia maximos animos concepisset, certamque spem fore vt breui martyrij palmam obtineret, nec diutius dilata spes Die insequenti, visi cœlestis promissa sese, vnde venirent prodiderunt, nã paribus supplicijs cruciatus hoc vnũ obtinuit, vt post os saxo contusum, cũ nondum ab inuocando Iesu desisteret, graui vulnere saucius ab vno è ministris audierit, Christum tuum abdica sodes; quod cum se facturum negasset, obtruncatur.

Precibus importunis impetrat, vti cũ neophytis describatur.

Duodecimus, Petrus Yxida Michaelis quinti martyris filius, annos natus nouem & viginti, postquam in Christiana pietate diu ad grauiora certamina prælusisset, in hoc ita certauit, vt cũ amici crudeliter pij rogarent, ne spes ætatis primæ truncaret, ita responderit. Cum Iesus Christus filius Dei viui ac veri, suscepta miseriarum nostrarum mortalitate, tres annos ac triginta tanta pertulerit, ac deinde innocentissimam vitam cum ignominiosa morte salutis nostræ causa comutarit, hoc solum nobis, qui Christiani videri & esse volumus, satis esse debet vt in eius obsequio vitam nostrã profundamus. Cui quicquid domi habebat adiungens carnificibus libens vna cum vita offerebat. Idem cum in tormentis parentem vidisset pedes manúsq; truncum sibi constitisse, exclamauit, quid est in hac vita, quod angere me possit in posterum, cum id modo videã, quod de parente meo tot votis optaui. Verebatur enim ne inclinata ætas tormentorum atrocitati succumberet. Ad extremum carnifices adegit desperatione victoriæ, vt longiora certamina capite breuior amputaret.

Sibi ac parenti martyrium gratulatur.

Decimus

Decimus tertius, Michael Yaxichiro, ciuis ipsius oppidi Cuchinotzu. Is ad martyrij comparationem in sodalitium, cui à Spiritu Sancto nomẽ erat, adscriptus, inuentus est in schedula se iureiurando astrinxisse, consilijs Petri Faximoti, qui erat eidem sodalitio pręfectus, in omnibus pariturum. Postquam inaudijt Safioye Cantzuſę exscendisse (abest ab oppido leucã vnam) eo mox accurrit, obsequium illi aliquod ideo præstiturus, quod ad se per futura supplicia beandos aduenisset. Ergo ante lecticam prodromus, iter ignorantibus baiulis indicabat. Quærit interim ex eo Safioye verúmne sit ciues suos suppliciorum metu in latebras diffugisse. Cui Michael, nihil minus inquit, præfecte, sed potius illi qui aderant, in ædes suas aduentum tuum præstolaturi redierunt. In militarium hospitiorũ distributione decem illi milites obtigerunt, quibus vti liberaliter quæ domi reperiebantur effunderent, volens libensq; permisit; Cui cũ illi respondissent, non inutilia fore superstiti familiæ, quæ morituro superarent, Michael retulit; si mihi fortunata sors obtigerit, pro Deo meo moriendi, bonũ illis in eo parentem œconomúmq; prouidi, cuius prouidentia vltra necessitatis limites solicitudinẽ est laxatura. Cũ alias ex eo quæreretur, an Christiani suos persecutores odio persequerentur nécne, ita respondit: minimè gentiũ, inquit, lex enim nostra amore vult illos, etiã beneficijs prosequendos. Ex quo in Christianæ legis sanctitatem oratione dilapsus in hunc modum perorauit. Magnam orbis partem nauigando percurri, regna Sion, Camboyam, Cochinchinam, & alia peruagatus vidi regnum illud natale Xacæ vestri, solum ipsius, fanum, statuámque conspexi, sectas illas omnes stirpitus excussi. Vos ea quæ sacrificuli vestri, quæstu dolisq; concinnant, præterea scitis nihil: sed indubitata veritas est, nullũ apud eos esse vestigium veritatis Cum ad supremi Iudicis tribunal omnes rediuiui cõsistemus, næ ego pertinaciæ vestræ delator prodibo, & diem locúmq; explicatæ vobis veritatis & indicatæ ad salutẽ viæ in perniciẽ vestram exprobrabo, quasq; hodie aperio fraudes conscientia vestra teste confirmabo. Hæc ille aliáque multa secundo suæ concionis applausu ita dixit, vt cõmendata legis nostræ sanctitate, dolerent se temporũ iniuria ab eius accurata discussione prohiberi. Cum ad martyrij locum Deo iam plenus properaret, opportunis prius familiam consilijs erudiuit, maximéque con-

Erga persecutores beneficus.

Ad ethnicos de Christiana lege perorat.

coniugem allocutus monuit, vt ne tormentis cederet, aut corporis ignominiam animi fœditati anteponeret, non horreret nuditatem, immortalitate vestienda, non horreret lupanar à quo abesse, qui vbique præsens est, non potest. Nulla vis animum fœdat, nisi consensus accesserit, cætera quæ ab hominibus inferuntur, duplicantur ad coronam. De supplicijs fortiter ab eo toleratis, tametsi nihil dico, nihil tamen omitto, cum cæteris parem fuisse pronuncio.

Decimus quartus, Thomas Vsui Cantzusæ natus, annos tres supra quinquaginta numerabat, triennio iam toto multum se ad id vnum quod necessarium est, continua pietatis exercitatione collegerat, ex quo filius illi vnicus familię spes & solatium inopina morte perierat. Sæpius enim repetebat Abrahami Patriarchæ exemplum, quem oblato filio nobilem vnà cum scriptura miratur antiquitas. Defuit mihi animus quidem ad eum, composita cum diuina, vt decebat, voluntate hilariter offerendum; nunc tametsi tardius illum offero, & cum eo meipsum in amoris holocausto absumendum; quippe si me medium secuerint, si digitos singulos singulis ictibus per dies totidem lento supplicio truncauerint, si quolibet cruciatu tentauerint: totum hoc ad diuinorum beneficiorum nomina compensanda quantulum esse arbitraris? Deo meo fido, me illius fidem nunquam negaturum. Abeuntem vxor in hæc ipsa verba prosequitur, cum cæteri torquebuntur, oculos in cœlum diuerte, vnde veniat auxilium tibi, humanum est, sæpe grauius metu malo torqueri. In cœlo habes quod spectas, præmium quod expectas. Dies aliquot, qui proximè pręcesserant, ægritudine correptus siccam mortem exhorrebat, Deo recuperatam salutem gratulabatur, quam Deo redonaret. Euocatus pridie vt in eorum tabulas referretur, qui se sua sponte cruciatibus erant oblaturi, tanta festinatione accurrit, vt pede lapsus satis grauiter offenderit; monitúsque vt gradum moderaretur, ita respondit: Indignum & nefas arbitror diuinis in obsequijs moram trahere, tum maximè, cum occasio capillatam frontem subducens, caluum occiput exhibet tardius pœnitenti. Eadem supplicia parem cum cæteris animum inuenerunt, prensatis tamen tibijs, cum illi doloris sensus elatiorem vocem inuocato Iesu expressisset, visus est carnificibus posse animo deficere; quibus

Ingens patiendi desiderium.

Currit ad martyrium.

quibus ille; ſupplicia inferte pro arbitratu, de neganda fide ſilentium vobis indico; tum laboribus cæteris herculeè defunctus, mortalitatis hydram extremo ictu truncus amputauit.

Decimus quintus, Thomas Cayxe è pago vicino annos cenſebat duos & quinquaginta, plures annos Chriſtianis præfuit Eccleſiæ Iaponenſis more, cum ſacerdotum noſtrorum paucitatem ſuppleret aut abſentiam. Safioye familiaris neſcio quis, mentientis famæ rumoribus ſparſerat nullum eo in pago ſupereſſe Chriſtianum: non tulit communem iniuriam Thomas, ſed in oppidum bis aduolans, vt tamen in tabulas referretur, præ martyrij candidatorum multitudine non potuerit impetrare. Verum à deſperatione conſilium ſumens, qui nil poteſt ſperare, deſperat nihil. Vbi ergo Safioye iterata prælia cum oppido redintegrare nuntiatur, tertio aduolat, Præſidique ſe ſiſtens, non inuitatus in nuptias ſe intruſit, & quia nuptiali caritatis veſte ſeipſum induerat excludi non potuit: & qui nomen ſuum in libro mortis aſcribere prohibebatur, vt in libro vitæ legeretur impetrauit. Tanti ardoris ignis tormentorum aquis extingui non potuit, ſed peculiari præ ceteris hilaritate ſupplicia prouocans, ceruicem denique prębuit amputandam. *Martyrij deſiderium.*

Decimus ſextus, Matthæus Araqui huius oppidi ciuis, annum agebat ętatis ſexageſimum, de quo præter paria cum cæteris omnia, hoc ſolum peculiare reperio, quod domo voluntaria victima diſcedens, ſalutata ſolenni cantico, Salue Regina, Dei matre accurrerit, cum prius cum hoſpite ſuo militum pręfecto, domeſticis prælijs fortiter præluſiſſet.

Decimus ſeptimus, Dominicus Yenami, ex eodem oppido annos natus quatuor & ſeptuaginta, dici non poterat iſte neophytus ac tiro, ſed potius non ſolo tempore ſed virtute quoque veteranus. Coſmas eum de Torres ſocietatis noſtræ ſacerdos ex primis apud Iapones Euangelij præconibus ſalutari iam dudum fonte eluerat, Martyrij votum cum alijs octoginta commune ſtatis temporibus varijs pietatis exercitijs in ſacello domeſtico confirmabat; quæſijt ex eo cohortis vnius præfectus, quàm graui odio Chriſtiani ſuos inſectatores proſequerentur? Nullo, ait, Dominicus, ſed potius grati beneficium accipimus; veſtra enim opera plebeij eo attingimus *Martyrij deſiderium.*

Xx dignidigni-

dignitatis, vt supra reges euehamur; præter beneficium legis nostræ, scita de diligendis hostibus minimè ignorantur. Multa illi promisit iste, si gratiæ defectionem daret, quæ omnia ita reiecit, vt spem illi omnem sustulerit. Hæc primo Safioye aduentu contigere; altero exscendentem eundem præfectum excepturus, in portum se contulit, à quo cum Arimensia supplicia ex itinere ad incutiendum metum fœdiora, quam par erat pingerentur, Dominicus ita subiecit: Laureatus mihi nuncius aduenis, hinc enim coniecto non inferiora nobis quam Arimensibus tormenta deberi. Ad me quod attinet dies iam plurimos eam sortem præstolabar eò ardentius, quod inclinata iam ætas longiores non fert moras, & maioris meriti cumulum festinat implere. Die igitur insequenti cum rosarij precatorij mysteria decurrisset, salutatæ Virginis auxilio fretus descendit in arenam, in qua simili fortitudine paria perferens supplicia demum obtruncatur. De quo peculiare illud retulit ethnicus belli dux, quod caput sua sponte ad truncum redierit, corporique coniunctum oculos in cœlum sustulerit, ac si abeuntem animam exanime spectaret. Eam rem stupuisse scribitur Ethnicus, nec minus tantam in ea ætate fortitudinem admiratus.

Abscissum caput ad truncum redit; oculos in cælum attollit.

Decimus octauus, Matthias Araqui eiusdem oppidi ciuis, annos vixerat duos supra quadraginta, quos inuicta constantia cohonestans, medio in curriculo metam est assecutus. De illo peculiare nihil inuenio, sed vulgaria non sunt omnia quæ cum alijs obtinemus.

ALII QVATVOR AD MARTYRII LAVREAM Nangasaquio accurrentes pertigerunt.

CAPVT X.

QVod ardebat in Arimensi agro incendium, suo calore per vicina loca vulgabatur. Nangasaquienses eo accensi, aliquot ad spes proximas, in hunc portum diei vnius itinere nauigarunt, è quibus quatuor duntaxat animam tormentis iam sæpe cantatis expulerunt, vnus supplicijs superstes Domini nostri Iesu Chri-

ſu Chriſti ſtigmata vulnerum ſuorum cicatrices in corpore ſuo portat etiamnum. Sed de hoc ſuus erit proximè dicendi locus : Nunc eos proſequimur, qui vitam in hac cauſa poſuerunt.

Primus fuit Georgius Acafóxi & multis nominibus primus, ætate, nobilitate, pietateque conſpicuus. Fingenſis regni natale ſolum agnoſcebat, annos porro quatuor & ſexaginta natus, matura morte non immaturam clauſit ætatem. Is nobiliter natus nobilitatem virtute militari ita cohoneſtarat, vt alius nemo toto Fingenſi regno fortior haberetur. A' puero Chriſtianus miles Chriſto nomen dederat, & ita ſerio, vt Canzuidono Fingenſis tyrannus eum aggredi auſus non fuerit, ſed cum eo diſſimulans religionis odium bellicæ virtutis opinione temperauerit. Eo mortuo dynaſtæ filij moderatores ac tutores, quem non potuerunt expugnare, exutum fortunis relegarunt. Sed eum Ximadonus alter dynaſta ſuſcipiens duplicato prouentu ad ſe inuitauit. Verùm ipſe quoque in hac procella Imperatoris metu Georgium promiſſis laceſſens quem minis expugnare deſperabat, hoc ab eo reſponſum accepit, Non ſi mihi Ximadonus ditionem ſuam vniuerſam, non ſi Iaponenſe Imperium tradiderit Imperator, Chriſti fidem eiurabo. Dimiſſus igitur Nangaſaquium cum ſua paupertate ſe recepit, vbi toto ardore Chriſtum colens præſagire quod optabat, accurata comparatione videretur. Poſt commune Paſtorum exilium eo ſe recepit, vbi ad ſpes martyrij, proxima ſpes aſpiraret. Cùm igitur veniſſet Cuchinotzu, omnem lapidem mouit, vt in eorum tabulas, qui ad martyrium aſpirabant referretur. Sed præ candidatorum ciuium multitudine externus admitti non potuit. Nondum tamen abiecto clypeo cum ſua ſpe venit in arenam, vt vel martyrum intueretur victorias, eisque ad tormenta ſufferenda animos inijceret. A' qua tertio per vim reiectus, triſtis domum ſe recepit. Et cum domi ſuæ à Domino ardenti prece contenderet, ne diutius repulſam pateretur, in ea oratione occupatũ ſatellites, qui per domos excurrebant, inuenerunt, à quibus interrogatur, eſſet ne Chriſtianus? affirmantem vrgent, vt eſſe nolit quod à puero fuerat, quibus Georgius, non ſum ego puer, à quo in re tanti momenti mutationẽ

Georgius Acafóxi martyrium quærit nec inuenit.

poſſitis expectare. Georgium cætera ſatis notum etiam corporis proceritas & alterius oculorum orbitas facile prodebat. Agnitus igitur terrori fuit, & ad eum vinciendum triginta ferè milites euocantur, quos ille à metu liberos ijs verbis eſſe voluit: laudetur Deus, qui Chriſtianos docuit hoc ſe caſu armis non tueri. ſi qua alia ex cauſa vincla pararetis, procliue mihi erat inermem ſolis calcibus quatuor è vobis quinquéue ſolo affligere; Sed abſit hoc ab eo, qui vincula Deo gratulatur, eiúsque nomini conſecrat.

Siſtitur ergo præſidi, ſed agnitus ſoluitur, & vrbanè rogatur vti cum patrijs dijs redeat in gratiam, in hoc ipſi Cæſari obſecutus. non decere ſtrenuum virum inferna ſupplicia formidare, vel Imperatoris totiúsque nobilitatis ſocietatem, ſi eò deſcenderit, detrectare. Cui Georgius iocanti ſeriò ita reſpondit, Si noſſes præſes, æque ac norunt Chriſtiani, quid ſit illud quod infernum barathrum appellamus, ſatis certus ſum, te alia conſilia tibi ſumpturum, alijs ingeſturum, alia in re qualibet facile erat obſequi, ſed vbi æterna ſalus tangitur, ne verbo quidem ſolo reijci debet. Domum ergo remittitur, iubetúrque reſponſum accuratiùs meditari; ſperabat enim poſſe Georgium coniugis ac propinquorum precibus reddi molliorem, ſed vt abiret impetrari non poterat, niſi poſtquam præſes ſanctè affirmauit, eum ſe denuo vocaturum. Egrediens neophytum ſibi notum cum alijs aliquot, vincula indutum ſalutat in hæc verba, Quàm glorioſi mihi videmini cum his in Chriſti cauſa vinculis, nolite ab incepto deſiſtere vllo ſuppliciorum metu, quæ enim vna hora torquent, æterna mercede donantur. Confidite in domino qui vires non negabit; ego domum remittor inuitus, ſed ea ſpe, quod ſim denuo euocandus. Cum rediret, cohortis vnius præfectum inuenit, qui cum ſuorum militum manu Georgij ædes inuaſerat, velut hero iam mortuo deſtitutas; excepit illos perhumanè primùm, ſed in Chriſtum blaſpemos deinde non tulit, ſed increpitos in hæc verba compeſcuit: ſectæ Iaponenſes ad vnam omnes ſalutem ſpondent, non conferunt: Chriſti fides quod ſpondet exſoluit, ideo quod vnum cœli terræque conditorem Deum agnoſcit, eundemque bonorum ac malorum remuneratorem mortaliúmque ſeruatorem veneratur. Qui huius veritatis lucem ſemel con-

Comprehenſus ſoluitur & domum inuitus remittitur.

conſpexerit vltra cæcutire non poteſt aut fidem negare, vel ſolo vnicóque verbo. Sed contra, pro ea veritate tuenda, quam horremus mortem, ſuppliciáque prouocat, votis quibus accenditur.

Senſit tandem voti ſe compotem breui futurum, ſalutatiſque amicis, feſtiuiore cultu hilaritatem animi declarauit. Præſes igitur eum ad ſe vocat, ad quem curſu iuueniliter incitato moram redimens ire pergebat, præſtolabatur eum ex itinere Naiquidoxo primarius Surungadono familiaris, Cui ſalutato iter decurtaturus iudicum ſententiam indicauit, Non decet te virum nobilem ac ſtrenuum plebeia manu truncari, hîc ego te præſtolor, vt mea manu honeſtior moriaris. Hîc Georgius exultare, gratijſque habitis rogare vti ſpacium breue morituro concederet ad ea præſtanda, quæ Chriſtianæ leges id temporis exigunt. Conceſſit alter prolixè quod petebatur. In genua ruens Georgius erectas in cœlum manus attentiſſimæ precationi coniunxit, paulóque pôſt cruce ſe muniens ſolennem confitentium formulam idiomate vernaculo vſurpauit, ac deinde cœlum intuens erecta manu percuſſori ſignum dedit, à quo primo ictu obtruncatur, & mox truncum caput ſuo loco reponens decenterque operiens famulis heri ſui ſepeliendi facit facultatem. Ea res in vigeſimum tertium Nouembris contigit, ethnicóſque admiratione compleuit illius legis, quæ nobiliſſimis viris fortunarum contemptum mortiſque deſiderium tanta cum hilaritate perſuaderet.

Tandem Georgius capite truncatur.

Secundus, Thomas Teramáchi, annorum quatuor & quadraginta è regno Chiunga aduena. Is in ætate teneriore à belli fortuna ſeruitute damnatus herum habuit Chriſtianum, apud quem breui bis libertus corporis animique excuſſit ſeruitutem. Nangaſaquij in æde noſtra Chriſto nomen dedit, libertate recuperata negotiationi paruis initijs pro tenuitate ſua operam dabat, ſed non exiguo quæſtu, quem ars artium quæſtuoſiſſima Chriſtiana munificentia captiuis redimendis, viſendis ægris cæteriſque huiuſmodi operibus congerebat. Totus erat in ſepeliendis mortuis ac miſſæ ſacrificio iuuandis: ſi quem noſſet ethnicum ad Chriſtiana ſacra propendere, conquiſito ad prælectiones quibus imbui eum oportebat, ducem ſe præbebat, qui ſi tenuior eſſet, in Thomæ charitate

Vita ante martyrium ſanctè acta.

 domo

domo exceptus, tenuitatis nesciebat angustias; & qui aliena curabat, à se ipso sumebat initium. Corpusculum enim suum ad ceteros labores ita tractabat, vt trium sibi dierum qualibet hebdomade ieiunium indiceret, & quotidianæ flagellationi cilicinam vestem adderet. In solenni quadraginta dierum ieiunio piscem sibi ac vinum interdicebat. Nec his contentus, annum integrum, qui martyrium proximè præcessit, in solitudinem se recipiens, non procul Nangasaquio cœlo propiorem vitam in monte transegit, ea vitæ sanctitatis opinione, vt ibi martyrij tyrocinium censeretur decurrisse. A Nouembri quippe mense in Nouembrem alterum, solitudine exercitus fidem solenniter est professus; ac licet vt in martyrij candidatorum tabulas referretur, extorquere præ multitudine non potuerit, non euocatus tamen supplicia euocare visus est. nam in mediam militum turbã audenter ingressus, à custodibus ex editiore loco excussus spes suas desperauit. Ergo Nangasaquiũ se recepturus scapham cõquirebat: verùm diuina eũ manus inhibuit, itaq; omnia designauit, vt nullam inueniret, ex eo quod Safioye, ne quisquam se inconsulto fugã adornaret, omnes impediuerat. Cũ ecce tibi postridie militũ p domos cursantiũ manus in Thomã incidit, apud quos, cum quæsitus se Christianũ profiteretur esse, ac semper fore, ad prędsidem adducitur, à quo nudatus vinctùsque, cùm fide sua spoliari nõ posset, & in Christi confessione libertatẽ vinctus reseruaret, mortis sacræ cõpendio cetera supplicia abrumpens iubetur obtruncari.

Ad martyrium se vltro ingerit.

Tertius, Petrus Cabáxima quinque annorum ac viginti, tertium locum obtinuit. Ex eodem ille regno Nangasaquium veniens Christum agnouit, in æde nostra baptismum suscipiens, quinquennium vix expleuerat eo virtutis ardore vt veteranum diceres. In breui consummatus expleuit tempora multa. Oriza distrahenda vitam sustinebat; sed ita tamen tempus partiebatur, vt quotidie decies quinquies è serto precatorio Deiparæ coronam texeret, postquam ante lucanis horis oratione, quæ sola mente decurritur è Christi vita selectum aliquid commentatus, sacrificio missæ interfuerat. Intra octauum quemq; diem bis indicta sibi inedia corpusculum fraudabat. Illo quod à Christi fide suscepta primum habuit temporis lapsu solenne ieiunium, non nisi semel quotidie se reficiebat,

Petri Cabáxima vita ante martyrium.

bat, exclusa quæ permittitur cænula: quadraginta sequentis anni dies Oriza sola, cui ad aquam & salem nihil accesserat, victitauit Tertiam redeuntis anni ieiunationem quotidiana flagellatione & insuper cilicina veste exasperauit. ita annis singulis ascensiones in corde suo disponebat donec videret Deum in Sion; à coniugio se per vniuersam vitam continuit, vulgóque credebatur voto se castitatis obligasse. Ad hæc mense quolibet pœnitentiæ se & sacræ synaxis sacramentis accuratè comparatus muniebat; frequens amicis dictitabat oportere Christianum vbilibet etiam vicos terentem Christum in cruce pendentem animo velut oculis exhibere, nullum finem faciebat suæ vocationis ad fidem, beneficium Deo gratulandi. Venit igitur cum cæteris ad martyrij speratam lauream. Captus est à militibus qui eum ducem sequebantur, à quibus ad præsidem raptatus cum in cœlum oculos defixisset orationi quam decurrebat intentus, à præside interrogatur, quid esset in cælo quod ita intentè suspiceret, & quid secum tacitus mussitaret? cœli terræque conditor, inquit hominúmque seruator, à quo singuli operum suorum stipendia sunt accepturi, cœlestem boni gloriam, infernas pœnas mali, æternum vtrumque. Deum illum adoro ac veneror, cuius beneficijs vitam redditurus hîc asto, meque oratione munio rem tantam aggressurus. Apage, inquiunt, istas nugas, teque patrijs dijs eiurata religione barbara quam nuper suscepisti, restitue. Subrisit modestè Petrus in hæc verba respondens, Nangasaquio veni quæsiturus quod teneo, quî patiar è manibus elabi? facerem profectò quod ineptè faceret, qui longa nauigatione perfunctus ab ipso portu regressus, tempestatem naufragiúmque certissimum, in altum se referens, prouocaret. Eo responso nimirum crabrones irritauit, à quibus nuditate, vinculísque damnatus, cum nullum finem faceret suauissimum Iesu nomen inuocandi, carnifices duo bacillum in os transuersum ingerunt, eúmque medium crudeliter extrahentes genam vtramque lacerarunt. In immani deinde tibiarum prensatione milites octo extrema ligna saltu corporisque pondere deprimentes horribiliter eum cruciarunt. Sed cum inuictus eius animus nullî malo cederet, nitentis in genua & Iesum inuocantis decusso capite animum excusserunt. *Eiusdem dira supplicia & mors.*

Quar-

Quartum, Thomam Firay regnum Chicungo, annos iam duos natum supra triginta martyrem dedit. Decennio ante Nangasaquium venerat Christum agniturus, quod ita seriò fecit, vt Iaponicè ac Lusitanicè legere didicerit, ideo solùm, vt pios libellos, qui vtriúsque gentis characteribus idiomate Iaponensi prodierant, lectitaret. Martyrij desiderio accensus amicos vndecim adduxit, vt instituto inter se sodalitio, ad ponendam pro Christo vitam iureiurando tenerentur, cuius hæc erat formula, quam illius manu scriptam, postquam obierat repererunt. Spondemus quotquot huic formulæ manu nostra subscripsimus, ad honorem sanctissimæ Trinitatis, quod tametsi procella in Christianos atrocissima excitetur, Iesu Christi fidem nunquam simus negaturi. Quin potius vbi de illis inquiri cæptum fuerit, spondemus nos in eundem locum conuenturos mutuóque ad sanctissimæ fidei nostræ confessionem perpetuo retinendam cohortaturos. In cuius rei fidem sua quisque manu subscripsimus. Aprilis 27. Salutis anno M. DC. XIV.

Thomas Firay auctor sanctæ ad martyrium conspirationis.

Cum Idem Nangasaquio venisset Cuchinotzu, obuios habuit Safioye famulos, à quibus agnitus suspicionem dedit illius quod venerat, quæsiturus, vrgetur igitur audiente Safioye vt esse desinat Christianus, quibus Thomas: veri Christiani à suscepta fide nunquam deficiunt. audijt Safioye & ad eum conuersus, Quod iuuentutem tuam decet, id age, cætera prætermitte. Nangasaquio, inquit, Thomas, huc veni pro fide Domini mei Iesu Christi moriturus; millies id faciam potius, quàm eum negauero, liberiore responso actus in rabiem præfectus, iubet eum nudum vinctúmque ad præsidem raptari, cuius iussu cùm prensatis tibijs sibi constaret, hilariter dato capite seipsum coronauit.

Capite truncatur.

ALII QVATVOR SVPPLICIIS SVPERSTITES longam mortem viuunt.

CAPVT XI.

IN hac postrema procella cum duo supra quadraginta mortalitatis naufragio immortalitatis portum tenuerint, non omittendi mihi videntur, qui nondum emensa nauigatione adhuc fluctuant,

ant, portúmque inſpicientes ad quietem aſpirant: nam cum tyrannus animos perdere potius quàm corpora cogitaret, hoc vt alias monui ſedulus agebat, vt mortem intentaret, non inferret. Verum rabies furentium carnificum & obliuioſus tyrannorum furor tenere ſe non potuit, quin ſuppliciorum atrocitatem eo pertraheret, quò vitæ pertingere non licebat. Plerique igitur ſupplicijs ceſſere, vitámque tyrannis vel inuitis reliquere: ne tamen deeſſet Eccleſiæ Iaponenſi nobile tanti facinoris monumentum, & ad æmulandam virtutem incitamentum, viſum eſt illi, qui præmia nunquam aufert licet differat, ſuperſtites aliquot gloriæ ſuæ reſeruare. Quibus non tantum animi ſatis fuit ad moriendum in tormentis, ſed etiam ad viuendum poſt tormenta ſuperauit.

Quatuor illos omnino fuiſſe reperio qui menſe Martio anno M.DC.XV. ſupererant; & quoniam de illorum morte nondum inſequentis anni literis audiuimus, ſatis credibile eſt illos obligatis vulneribus ſuis vitam in hunc vſque diem protraxiſſe. Ex prima in oppido Cuchinotzu athletarum turma, tres quos prius commemorabo cenſebantur, quartus Nangaſaquio cum ijs venerat, quos proximè collaudaui. Inter tres, primus Paulus de Vto Fingenſis fuit, iſque meritò primus, qui etiam cum octodecim martyribus prima ſupplicia tulit, verberatus, nudatus, vinctus fuit, & in machinam actus, ſæpe cantatam, ſaxi pondere quod illi in humeros ingeſtum fuit, funes diſrupti ſunt, ipſéq; in terrâ lapſus grauiter afflictus fuit, multúmq; ſanguinem naribus miſit, & lubens digitos pedum, manuúmque obtulit decurtandos, profeſſus ſe nullis cruciatibus adigendum, vt à corde ſuo fidem exigeret, truncas igitur manus ridente vultu ad pectus iungens, præſidi deinde velut inſultans oſtentauit, crucis porro cauterium immota fronte conſtanter admiſit, ac demum eneruis domum remittitur, vbi cum vulnerum dolore velut quotidiano tyranno fidei ſuæ cauſa conflictatur. *Paulus de Vto post atrocia supplicia superstes.*

Alter Barnabas dicebatur, Sina parente, natus annos octo & quadraginta eadem cum priore tulit, eadẽ ſemper alacritate: quódque magis in eo mirum eſt, quod natura timidus ſupplicia ſentiebat atrocius, maximè quod gentis ſuæ in doloribus ſenſum acriorem à parente trahebat: is licet ſine nota, quod alij fecerant la-

tere potuerat, seipsum tamen gentisque suæ vitium gratiæ præsidio superauit.

Matthias Yénsay annorum septem & quadraginta, Coxiró regni Fijen natale solum habuit. Is salutis suæ commodius procurandæ causa, cum alia nulla suppeteret, domi nostræ serui loco famulabatur, peccandi laqueos, vt aiebat, facilius vitaturus, qua re ita se cohonestari arbitrabatur, vt pro tribunali nomen rogatus edidederit, *Patrum famulus*, & aliud nihil. Paria illi cum socijs supplicia fuere, in hoc superior, quod digitos iterato truncari præses iusserit, ideo quod semel truncos sibi velut insultans ostentasset.

Didacus Toyoxima Nangasaquiensis ciuis è borealibus Quantó regnis oriundus, annos numerabat octo & triginta. Is cum cæteris Nangasaquio ad martyrij famam accurrerat, nec tamen impetrare potuit, vt in purpuratorum potius quam candidatorum tabulas referretur, atq; ideo fortunam tentaturus in arenam prodijt, ac socios confirmans comprehenditur, & in mediã coronam euocatus iubetur Christum abdicare, itáne verò, ait, ego qui alios veni cõfirmaturus, deficiam? Interim auditur illum esse Nangasaquiensem ciuem, ideoq; dimissus magnum doloris sensum præ se tulit, quod sperata illi palma è manibus laberetur. Abibat igitur exclamans, Christianus sum, ideóq; solum excludor ab arena quod certamen in patriam differatur. Abijt igitur, & die tamen insequenti à militibus denuo capitur, nudatur ac vincitur, cúmq; adduci nullo modo posset, vt Christianam fidem abijceret, iubente præside nares illi præcisæ manuúmq; digiti decurtati. atq; ita dimissus est constantiæ suæ specimen fœdis vulneribus gloriosè prębiturus: ac tametsi acriter eum pupugerit, quod ex amoris in Deum holocausto viuus exiret, quod tamen signatus superaret, solatium fuit amissæ coronæ non inane. Præter hunc alij tres quatuórue, qui Nangasaquio aduolarant vincti, nudatiq; iussi sunt Nangasaquium redire, ibiq; sperata supplicia præstolari. Qui ex arena discedentes hæc ipsa verba proclamabãt, Christiani sumus & è composito Nangasaquio venimus ad Christum profitendum & supplicia in fidei causa perferenda.

Didacus Toyoxima præcisis naribus ac decurtatis digitis viuus dimittitur.

Sed priusquam ab his martyribus abeamus, ad eorum gloriam pertinebit scribere, quod testium fides iurata narrauit. Voluit enim

Deus

Deus Opt.Max. cœlesti calculo pręclara illorum facinora illustrare. Quodq; alias accidisse narrat antiquitas, hoc ipsum recentis exempli testimonio confirmatur. Lux nempe nocturna non infrequens ipsum martyrij locũ sępius collustrauit, nunc stellas exhibens, nunc ignium sphæram, quæ in alias deinde plures erumpebat, ignesque illi sursum delati disparebant, idque frequentius Sabbatho ac die dominico, in quos dies illorum certamina inciderant, fertur euenisse. Natalis Domini nocte splendor fuit sua magnitudine insolens, & qui à prodigio nihil discreparet. Quibus neophyti magis magisque non ad venerationem minus quam ad exemplum incitantur, coniectantes eorum in cœlo gloriam, quæ in terram sua se luce diffunderet. Verùm à Safioye ad alias duas tyrannorum turmas vnius certaminibus defuncti transeamus. *Locus supplicij nocturna luce collustratur.*

QVID SATZVMANA COHORS AD ORTVM in Arimensi agro turbarit.

CAPVT XII.

INterim dũ apud Arimenses Safioye sæuiebat, Satzumana cohors ad ortum excurrens Míye & Ximambára cum vicis conterminis sæuitura secesserat. Sed lenior fuit isthic procella remissiórque persecutio. Cum enim Satzumani præ ceteris Iaponiæ populis militię leges religiosius obseruare sibi videantur, indecorũ putant & vile vulneribus supplicijsq; cum inermi hoste certare, sanguinémque profundere quem neq; militaria iurgia, vel monomachiæ, vel denique bella prouocarint. Et quoniam Christiani non nisi patiendo repugnaturi sciebantur, cum inermibus de legum cõtrouersijs certare vile censuerant, maximè quod non nescirent eosdem calumnijs oppressos iniuria malè apud Imperatorem audiuisse, cuius ira mollior futura erat si veritati niteretur. Præmittunt igitur in ea quę petebant loca, qui moneat hortetúrq; Christianos vt huic turbini tantisper se subducant, ne cum præsentibus sæuire cogerentur. Factum est id à plerisque, ne martyrij cupiditas tyrannorum furorem iusto acrius incitaret. Veniebãt igitur Satzumani, & maiore tumultu quàm impetu Christianam rem parùm seriò perturbabant; si cuius in ędibus absente patrefamilias è famulis aliquẽ deprehenderãt, *Satzumani in Christianos vt inermes, mitius agunt.*

isq; parùm cordatè se gereret, adscripto illius nomine contenti, de cetera familia nihil admodum laborabant, ita perfunctoriè omnia peruagati, in neminem nisi volentem, seque magno Spiritus ardore ingerentem inuiti sæuierunt; è quibus cum altero vinculis solum, cum altero etiam supplicijs ad territandos cæteros decertarunt.

Prior Paulus Vchibóri Ximambáræ natus, damnata quam ingredi potuerat fuga, maluit sortem suam præstolari, quàm tormenta declinare. Ita nonnunquam Spiritus Sancti vnctio diuersis primóque aspectu pugnantibus ad salutem vijs, electos suos solet inuitare: in hoc enim euentu quosdam docuit publica rei Christianæ commoda priuatis anteferre, alijs ingessit vt diuinæ gloriæ procurandæ inutilem fugam esse iudicarent. Vtrumque placet probare, neutrum reijcere. Ergo postquam cum eo multis ad eiurandam Christi fidem actum fuit, ipseque sibi semper æque constitisset, ab inuitorum manibus vincula prope tandem extorsit. Vinctus igitur ad cæterorum metum, vicatim vna cum tota cohorte circumraptabatur, ac tandem hac se cura liberaturi in Arimensem custodiam ad Safioye illum amandant. Ibi incredibile est, quanto ardore, quanta in publicis vinculis pateretur. Carcer erat in aprico campo sub Ioue gelido, solis vndequaque repagulis libertatem coercens, quod apud Iapones non est infrequens, caueam dixisses potius custodiendis feris, quàm reis accommodam. Tempus erat, quale in Iaponia esse solet Nouembri mense asperrimum, gelu niuibúsque etiam ijs terribile, qui cœli iniurias domesticis parietibus arcere conantur, ipse seminudus, præter vilem stoream nuda in humo dormiturus, aliud nihil habere sinebatur, & tamen tanto ardebat diuini amoris igne, vt in corpus caloris communione vulgaretur, eo donante, qui dat niuem sicut lanam, & facit cum tentatione prouentum. Nam cum ad expiandum nocturnis latebris tectus, corruptis largitione custodibus, sacerdos noster adrepsisset, hominem miseratus quærit, quî fieri possit, vt eo frigore eáque nuditate non rigeat, Cui Paulus affirmauit, se nullo planè frigore correptum, aëre frui vel maximè temperato. Quod qui naturæ viribus factum putauerit, velim vt suas vires in eo frigore

Paulus Vchibori sub Dio & asperrimo gelu aërem sentit temperatum.

gore experiatur. Tandem cum ipse mortem in Christi causa lætus expectaret, spe sua excidit, ideo quod fratris gratiæ, qui Ximambaræ Primus erat, vitam dederit, aut potius mortem distulerit, domum enim cum vinculis remittitur, dum extrema de illo sententia statuatur.

Meliore adhuc fortuna vsus est Adrianus Quíndo Tacayemón, cum enim Paulus vicatim circumtraheretur, Ariye nobili in vico Adrianus occurrit, & eggressus domo Christi pugilem perquam officiosè salutauit. Quæritur ex eo, quid sit, cur hominem reum tantopere veneretur, sitne ipse quoque fortè Christianus: veneror, inquit, pro merito strenuum pugilem, qui pro rege ac Domino Iesu Christo tot labores tolerat. Scitote quoque me cum illo æquè esse Christianum. Fidem igitur, aiunt, ac legem tuam nega, sin, paria cum eo vincula præstolare. Adrianus porro: neque fidem, neque legem meam nego, sed libens pro vtraque cruciabor. quibus dictis domum remittitur, iubetúrque intra eam, quid de eo statuatur præstolari. Non diuturna fuit mora, nam breui reuocatus ad defectionem acrius lacessitur, constitit sibi fortiter Adrianus, & mox manus, brachia, collum ipsum asperrimo vinculorum genere induitur, & vicatim raptatus cum nihil vrgentibus spei daret, dexterę manus vno digito truncatur, iterumque lacessitus sua firmitate carnifices adegit, vt sinistræ manui alios duos totidē ictibus amputarent, idq; ad doloris sensum augendum ita lento supplicio, ac si serra finderentur. Ferebat omnia, vel nullo, vel dissimulato dolore, quin potius subridens exclamabat, Benedictus sis Deus meus pro eo beneficio, quo me afficis immerentem: cúmque vlterius rogaretur, num in eadem sententia persisteret, affirmanti nares exscinduntur: tum deinde vestibus omnibus nudatus, cruore ex vulneribus diffluens, cohortem quocunque iret iubetur comitari, donec in pagum Sucáua intra quartam leucæ partem constitutum deuenitur. Ibi à Iudicibus interrogatur, quid esset causæ, cur legis suæ retinendæ studium Christiani vitæ anteferrent? ita respondit, Ideo quod extra hanc legem salutem nullam reperiri credamus, ac deinde de Deo homine ita diuinè perorauit, vt dicere nihil ethnici dubitarint, Qui talia sibi persuadent, quid mirum si pro Deo suo

Adrianus Quido lentis supplicijs ad defectionem sollicitatur.

hilariter moriantur? Die insequenti cum ad eum filius nescio quid edulij detulisset, à custodibus rogatur, vt à parente defectionem impetret, amore illum expugnaturus, qui timorem superaret. Verum Adrianus à filio conuersus ad importunos hortatores fidei nostræ mysteria vrgentibus ingessit, orationemque ita conclusit. Si quod credimus, Dei filius homo factus pro mortalibus tot tantáq; tolerauit, cum id mea priuatim causa fecerit, non sum Seruatorem meum, tametsi discerpar in frusta, negaturus, nihil est quod vltra vrgear, certum habeant, me nunquam ab eius lege discessurum. Quibus dictis ad cibum sumendum se, præmissa prius oratione, actisq; postmodum gratijs in genua nixus accinxit.

Adriani constantia, oratio, & mors.

Nullus fuit eius regionis pagus vicúsue qui non raptatum spectauerit Adrianum, & quoniam grandiori ætate prolixo in itinere multum sanguinem miserat, aliquoties deficientibus viribus in terram ruit. sed eum immanes carnifices calcibus, fustibúsque contusum erigebant. Continuam orationem decurrens, cùm aliquando pietatis sensu suspiraret, milites pusillum animum interpretati obiecere, Quid tu degener quereris, cum tua culpa pertinaciáque crucieris? facilè apparet, refert Adrianus, vos nondum in cordis mei abdita penetrasse, neque enim hæc suspiria mœstitiam metúmue redolent, cum mihi mors ardentioribus quàm reliquis vita sit in votis, è diuinorum beneficiorum commentatione, & huius maximè, quo me sua in patiendo similitudine dignatur, hactenus eruperunt. In quo responso Satzumanorum militaris animus habuit quod satis miraretur. Denique cùm denuo acriúsque breui moriturus vrgeretur ita respondit, vultis à me naufragium in portu extorquere? Quibus dictis iunctas ad pectus manus ambas in crucis figuram componens, Iesúmque ac Mariam inuocans, reliquum truncatis ceruicibus sanguinem constanter effudit.

Adriani ante martyrium exercitia.

De quo elogij loco nonnulla subijciam. Ariye annos viginti nouem natus, Christianæ militiæ nomen dedit, in qua ad annum sexagesimum, emeritis stipendijs, æterna hodie rude donatur. Habebatur inter neophytos aut ardentissimus aut in primis. de quo Michael primus Arimensis agri martyr dicere solebat, dùm viueret, fore vt Adrianus Ariye, si quis alius, procul dubio pro Christo moreretur.

reretur. Christianæ doctrinæ rudimenta, orandi modum & sacramentorum vsum aptè libenterq; quos poterat docebat, sacerdotum nostrorum penuriam vel absentiam vicario labore supplebat. Infantes, si quando necessitas vrgebat, eluebat, infirmos visebat, tenuiores sustinebat, mortuos, tametsi ethnici essent, sedulo sepeliebat, ac neophyto, cui ea res immodica nimiáque videbatur, respondit, dum inter opera, quibus alienam miseriam subleuamus, sepeliri mortui iubentur, eam rem nullis hominum limitibus coarctari. Arsit semper martyrij desiderio, etiam dum Taicosama olim fureret. Cum enim placuisset Christianæ religionis arma tantisper seponere, ipse etiam cum capitis periculo precatorios globulos è collo gestabat, donec ab vno è nostris admonitus, publicę quieti ac cæterorum cessit authoritati. Si quando quempiam pro Christo extinctum audiebat, ipse in seipso sancta inuidia correptus, antiqua sua vota renouabat, non diffitens id quod agnoscebat, esse se tanti boni gloria perindignum: si quis inter supplicia titubauerat, diuina iudicia reformidans perseuerantiæ donum extollebat. In hac procella ita desideria excreuerant, vt latebras suadenti filio ex ætate argumentum sumenti responderit in hæc verba, Annos attigi sexaginta, vincula nondũ expertus, nec tamen id ætatis horreo, nec vitam in hac causa ponere reformido. Cùm filijs valefaceret obuium Paulum excepturus, donatos sacra sua supellectile & opportunis pręceptis institutos dimisit, primogenitum in hæc verba allocutus, Abeo nunc quidem pro Christo moriturus, Tu vide quid egeris, si victoriam de supplicijs desperas, fidei tuæ thesaurum intra latebras abde conseruandum. Quod cum dixisset, festam vestem induens ad publica certamina prodijt, domesticis generose defunctus.

Martyrij desiderium.

TERTIA COHORS, DVM QVATVOR CRVCIARET, duobus vitam eripuit.

CAPVT XIII.

ACies Firandensis cũ suo duce Chingiuã, Obámam & loca contermina discutienda susceperat, quæ Satzumanæ nõ absimilis satis pfunctoriè decurrebat & quasi coactus illi⁹ cohortis pfectus, vt

seuerius ageret, cum quatuor ad se delatis adductus est. Meminisse nos oportebit, inter prima Arimensium prælia, nobiles aliquot familias atroci proscriptione damnatas, posteaquam dignitates, annuos census, patriámque dimisissent, igni & aqua publicè interdictos, in secretiora Arimensis agri loca secesisse. Ex ijs quatuor, quorum nomina mox, cum de singulis paucula dixerimus, subijciemus. His in edito monte, cum rupes specum præparasset, eo se immiserunt vnà cum suis familijs exilio suo latebras quæsituri, neque enim abire aut vsquam habitare sinebantur. sub ea rupe quanta tolerarint, facilius erit cogitare quàm dicere, nam ad cetera incommoda, extremæque paupertatis angustias, aqua ipsa asperitatem loci refugiens erat quàm longissimè conquirenda & in arduum magno labore euehenda. Hæ latebræ proditorem apostatam nescio quem minimè latuêre, qui ex alienis malis gratiam sibi procuraturus, cohortis præfecto latebras aperit. maluisset ille quidem nescire quod sciebat, ne id agere cogeretur quod nolebat, sed cum tandem ea res multorum indicio in publicum erupisset, maluit præfectus alijs quàm sibi nocere. Euocat igitur proximi vici capita, & grauiter increpat, quod igni & aqua publicè interdictos apud se latere permisissent, neque fouere dubitassent. Simul iubentur eos ad se vinctos pertrahere, pertinaciæ suæ culpam luituros. Redeunt ad eos pauidi multisq; lacessunt renitentes, vt externis saltem signis nonnihil de suo rigore remittentes illorum quieti consulant, à quibus non sine periculo adiutos esse se fatebantur. Voluissent planè athletæ Christiani hospitum suorum indemnitati consulere, si cum diuinis legibus sartáque fide beneuolentia illa stare potuisset. Officiosis itaque verbis culpam deprecati, inurbani videri quàm infideles esse maluerunt; & id quidem eo rigore, vt grauiter pœnituerit ex ijs vnum, quod officiosius sibi locutus esse videretur. quam culpam qualis qualis illa fuerit, cum ad suppliciũ raptaretur, seriò à se remouens, & satis religiose exponens, videri noluit remissius in retinenda fide locutus, cùm laxius aliquanto se reciperet conaturum, vt beneuolentia nihil caperet detrimenti.

Ad præfectum igitur è cauernis suis leones educuntur in arenam prodituri, triduum certis in ædibus deponuntur, dum Safioye moni-

monitus de illis statuisset. Statuit igitur in hanc iniquissimus iudex sententiam, vt quatuor viri isti, quia Christiani, & quia fidem abdicare noluerant, ideóque fortunis omnibus excidentes, herilibus dynastę Arimensis obsequijs se subduxerant, naribus ac pedum manuúmque digitis truncarentur, frontemque candenti ferro inustam gestarent, ac deinde viuere sibi ad pœnam cæteris ad exemplum sinerentur. Ea sententia octauo ac vigesimo Nouembris die Obámam venit, & mox præfectus in forum delatus, eo in loco, vbi crux superioribus annis prodigiosa prodierat, sibi tribunal erexit, & notari fortasse nón ineptè potest, Iudices istos sibi plerisque in locis, torquendis neophytis sacra prius loca sacrificij quodammodo aram diuino planè ex nutu elegisse, quod ipsa locorum recordatio Christianis esset ad fortitudinem cohortatio. ita Arimæ, ita Cuchinotzu & alibi factum vidimus, ijs in locis vbi sacræ steterunt ædes, aut Societatis Ecclesiæ, supplicia publicè fuisse constituta. Singuli ergo singillatim ad iudicem pertrahuntur satis læti, quod desperatam tanta exilij mora martyrij coronam ad spem proximam reuocarint. Qui solutos adduxerant, cùm vinciri illos oporteret, vt præfecto sisterentur, satis timidè ad eos vinciendos accedebant, non innocentiæ solùm opinione, sed multò magis ex antiquæ nobilitatis gradu, qui plebeios homines ab inferenda vi cohibebat. Verùm Christi milites nouam militiam edocti, quæ ipsi horrebant, molliora reddiderunt. Ipsi enim seipsos, quoad fieri potuit, vinculis induentes, tandem vt vincirentur impetrarunt, professi nihil esse quod magis, quàm admissa pro Christo vincula, gloriosæ initium mortis, optarent.

Sasioye sententiâ quatuor isti ad supplicia damnantur.



GERMANI GOROSVQVE ET ALIORVM SVPPLICIA CHRISTI CAVSA EXANCLATA.

Adducuntur igitur ad iudicem singuli, & primus Germanus Gorosuqué annos natus vnum & quadraginta, ciuis Obamensis, qui cum pronunciatam adhuc de se sententiam ignoraret, eámque capitis esse arbitraretur, in genua ruit ceruicem oblaturus. Verùm in nuda humo extensus, transuersis palis in crucis modum alligatur, & Christi cruce nihilo tepidior suo cauterio lætus insignitur, tum ad pollices cæterósque digitos sigillatim truncandos deuenitur, quorum etiam nares fortunam subiere. Quæ supplicia omnia constantia pro Christo certantis eludens non corpore minus quàm animo immoto suscepit, soli linguæ ad inuocanda sacratissima Iesu ac Mariæ nomina motum imperans. *Germani Gorosuqué supplicia.*

Alter Michael Toyemón annos septem & quadraginta Obamæ natus, is eadem supplicia pari sustinuit animi firmitate. De quibus hoc solum querebatur, quod essent exigua, sibique martyrij, vita superstite, palmam inuidissent, quanquam hac in re ita suis votis indulgebat, vt tamen à diuina voluntate nusquam discederet. Vterque post hæc supplicia in eadem arena (erat enim ad mare constituta) duos dies supra viginti vulnerum dolorem, famem, frigus aliáque sexcenta incommoda rustico mapali exceperunt. Nangasaquio tamen, corrupta custodum qui assidui aderant fide, subuentum illis fuit, quantum inhumanitas humanitati permisit. Hi duo longum martyrium ingressi, viuunt etiamnum cruce ceterísque supplicijs insignes, & indies mortem viuunt inter longa supplicia diuturnam. Qui sequuntur duo intra eandem suppliciorum aleam martyrij iactum seipsis abiectis coniecerunt. *Michael Toyemon.*

Ioannes Fayemón tertius, annos natus quinque & triginta Obamensis, cùm in arenam prodijsset, coniectis eum in locum oculis, vbi crux olim steterat, facta prece sanctissimè testatus est, se non digitos ac nares solùm, sed quidquid haberet lubentem in hac causa offerre, vt diuinis beneficijs gratus suísque sceleribus pœnitens aliquid tribueret. Excepit igitur supplicia fortis animus & corpori suos dolores lætus imperauit, totámque eam noctem cruore suo non indecorè sordidus in arena volutatur. Nec fuit qui à custodibus extorqueret, etiam haustum aquæ præbiturus. Concubia nihilominus nocte neophytus vnus aliquis ad eum dormitante iam *Ioannes Fayemon ex frigore obriguit, post supplicia.*

custodum fide lentus adrepsit, eúmque vt Christi Domini meminisset, admonuit. A' quo etiam retulit dignum hoc posteritatis memoria responsum. Ab ineunte Martio crucem non vnam in rei familiaris angustijs exegi. cum præter non ingentem specum ad familiæ totius angustias coërcendas aliud nihil superesset. Hodie digitos narésque obtuli, deque ceteris nihil sibi mea vota reseruarunt, quibus omnibus in spem adducor fore vt clemens Dominus mea mihi peccata indulgeat, æternámque vitam largiatur: nec votis suis excidit, viribus quippe ex nimia sanguinis missione cœloq; frigido destitutus, die insequenti nono ac vigesimo Nouembris obriguisse reperitur.

Saluator Fachiró post supplicia biduo superstes moritur.

Postremus fuit Saluator Fachiró, annos natus sex & viginti, Chingiuæ natus, iuuenis erat, in quo cum ætatis flore venustas conspirarat. Ergo vt eum præfectus est intuitus, subitò exui mandauit, O infelix iuuenis, exclamat, id ætatis ac formæ ad mortem venis huius causæ vilitate fœdatus? Vtinam esset in mea manu paratis te supplicijs liberare, quod in tua esset manu (quod facturus non es) si barbara sacra tantisper eiurares. Quod quia non facis, Imperatoris ac Safioye voluntati cogor etiam nolens obsecundare. Cui martyr ita respondit, Propensæ gratias habeo voluntati, petoque vti mea causa dolere desinas, eo ipso quod ego volens libénsque suscepi, votisque omnibus affectaui: nihil enim est, quod æquè cupiam ac pro Christo meo pati quamplurima, quibus Deo gloriam, mihi æternam vitam paro. Vtinam ea supplicia quæ tantopere horres plura essent ac maiora, neque vitæ conseruandæ parum vtiliter famularentur. Pronunciata igitur publicè exomologesis formula, cum eam orationem, quam Dominus docuit, Angelicæ salutationi præmisisset, ad paria cum socijs supplicia constans admittitur: biduo superstes, eo ipso in loco vulnerum dolore, quæ nemo obligauerat, frigore, alijsque incommodis animum expulit diutius viuere renitentem. Omnium coniuges ac filij sua paupertate diuites, aliquandiu magnas rei familiaris angustias experti sunt, sed demum alienis ædibus crediti nihilo prope melius quàm in sua cauerna commorantur.

TEM-

TEMPESTAS IN CHRISTIANOS EXORTA, *ciuili bello se remittit.*

CAPVT XIV.

TAntus erat depluentis in Arimensem Ecclesiam grandinis furor, vt publicæ calamitati nihil intactum relicturus videretur.

Verum ille qui mari & ventis imperat, eíque obediunt, effecit, ne tentaretur supra id quod poterat neophytorum grex nouellus, & vt constaret è cuius manu fulmen hoc à Christianis retortum è cœlo vibraretur, inopina bella pacem Iaponibus insuetam, annósque plures ab Imperatore custoditam perturbarunt. Quorum bellorum causas & euentus ideo nunc prætermitto, quod peculiarem locum sint in historiæ serie breui sortitura. Quod nunc ad rem facit, est, quod exercitus ille, qui per Arimensem agrum bacchabatur, ad obsidendam Ozacam cum cæteris copijs in Cami regiones nulla mora accersebatur, cuius belli rumores primum effecerunt, vti per transennam ac velut cursim omnia tractarentur, & Christiani potius terrerentur paucorum supplicijs, quàm vbique torquerentur. Et sanè non cursim notari debet, Imperatorem tot annos bella ex vniuersa Iaponia exterminasse, ipsóque tempore cum in Christi fidem sæuire cœpisset, bella velut ab exilio reuocasse. Quod ipsum Miacensis illi præfectus, vir prudens & cordatus primis huius tempestatis initijs videtur prædixisse, cum enim de Christi nomine inter Iapones delendo ex Arimensis dynastæ cum Paulo Daifachi controuersiis plus æquo incitatus ageret; illo authore placari non potuit, tametsi diceret prope vaticinans, fieri posse vt ex ea re quies publica motus aliquos euocaret.

Exercitus ex Arimensi ditione ab Imperatore reuocatur.

Reuocatus igitur Safioye cæterique duces sparserunt, neminem toto Arimensi agro superesse, cui ad Christum profitendũ satis animi superesset. Quod tametsi euidenti falsitate ruebat, potius quàm nitebatur, victi tamen esse malebant, quam videri. Ne forte rei male gestæ apud Imperatorem nomine deferrentur. Cui rumori causam tametsi nullam dederint Christiani, plerique tamen adstringi se non putauerunt, vt sparsam nulla sua culpa, non sine

Arima remittit se persecutio.

rei Christianæ periculo maiore, diluerent falsitatem. Nec ea res præfecto Safioye displicuit, non ideo quod non ex animo vellet Christi fidem stirpitus, si potuisset, euelli, sed quia desperabat id fieri posse, cognita iam neophytorum firmitate, temporisque angustijs in arctum redactus, lætabatur id credi posse, quod fieri posse non sperabat. Cum Christianorum coniugibus ac prolibus, contra quàm minæ persuaserant, nihil est etiam tentatum, nihil in reliquam familiam turbatum, nihil de absentibus, qui se subduxerant, inquisitum, vnde factum est, vt tametsi Arimæ & Cuchinotzu nonnulli defecerint, alibi tamen vix vlli, nec ibidem quoque complurimi. Ergo Arimensis agri victoria tametsi non sine sanguine, & aliquorum lapsu, à Christo tamen indubitata stetit, stabítque in ecclesiasticis fastis præter æternitatis memoriam sempiternam.

Abijt igitur Safioye Nangasaquium, relictis in domestica custodia ad speciem seueritatis aliquot Christianis, & spoliatis militari petulantia neophytorum ædibus, duces crudelitatis suæ vestigia vbique reliquerunt. Ex eius discessu cum nonnihil Christiani respirarent, ad colligendas martyrum exuuias, quas posteritatis testimonio, venerationi, exemplóque reseruarent, animum adiunxerunt. Otium quoque fuit ijs qui à Christo defecerant, seipsos inspiciendi, inspectaque perfidie suæ fœditate, seipsos exhorrendi, diuinaque iudicia non admirandi minus, quam seipsos non sine stupore recolendi, cùm se viderent post tantum orationum, ieiuniorum, cæterarúmque corporis afflictationum comparationem subito corruisse, quos rupe firmiores nulla vi labefactari posse vulgo credebatur. Didicerunt minus sibi fidere, Deo magis. Ex his tacitis apud vnumquemque commentationibus ortus est dolor ille, publicæque pœnitentiæ ardor, quo se lapsi pristinum in gradum reuocarunt. Cum quibus illius Ecclesiæ administri è suis latebris aliquantò liberius erumpentes ita se gesserunt, vt neminem facilitas laxaret, aut difficultas deterreret.

Martyrum reliquiæ colliguntur.

Lapsi se erigunt.

Aderant quidem Christianis Patres sedulo, etsi occultè, hoc persecutionis tempore, eorúmque necessitatibus pro viribus succurrebant, ex vmbra in puluerem prodire gestientes, vt desideratam cum alumnis suis coronam consequerentur. Sed cum compertum iam

iam esset, fidei hostes nil aliud in animo habere nisi vt aduenas omnes expellerent, & eorum subsidio in posterum Iapones priuarent, deprecabantur eos Christiani ne se detegerent, eósque præpropero feruore ope & consilio in perpetuum spoliarent. Hoc enim modo acrior haud dubiè futura erat persecutionis atrocitas, maiórque eius Ecclesiæ desolatio. ex vmbra ergo, vt dixi, per se & alios administros quos poterant Christianis suggerebant animos, mitescente verò persecutione aliquanto liberius boni pastoris ministerium exercebant.

Nangasaquienses porro, audita è proximo sociorum vel firmitate vel ruina, aduenientem Safioye sapientius alienis exemplis edocti exceperunt. Qui enim de suis viribus non satis sibi promitterent, in tutum se vel suos tempori subducentes receperunt. Alij Christum propugnaturi in castris fortiter sese tenuerunt, spiritus enim, qui vbi vult spirat, cum quibusdam suspirat in tenebris, cum alijs vehementius incitatus de Christo tuendo conspirat. Cuius ductum qui non sequitur, næ ille deficiet in supplicijs aut tristitiæ tenebris obruetur. Et sanè tantus fuit apud Nangasaquienses nonnullos pro Christo patiendi ardor, vt eo nonnullæ mulieres incitatæ capillitium sibi deraserint, virilémque habitum mentitę ad martyrij palmam viriliter aspirarint, ne forte muliebris infirmitas huic certamini non satis apta videretur. Nangasaquium etiam ad sperati tumultus famam religiosi è suis latebris singuli ad pugilum pugnas auxiliaris cohors aduenere. Qui si tenebris se nocturnis tuerentur, non id vitæ desiderio, sed cæterorum bono, salutique faciebant, maximè quod nullo fructu prodituri, martyrij quoque palma ex imperatorijs edictis, vt alibi monui, carituri credebantur.

Nangasaquiensium mulierum patiendi ardor.

Nangasaquium porro posteaquam præfectus aduenit, res Christiana in deliberationem vocata, diu ancipites tenuit, vtrum potius eligerent, num extrema omnia nullo fructu tentanda, num reliqua vel omittenda vel differenda viderentur. Præsidi placebat, hoc vno impetu concussam Christianorum religionem excutere, ne intermissa res euerteretur lenitate. Surungadonus belli huius cum suis pertæsus ad aliud aspirabat, & quæ ad eum diem gesta fuissent, sufficere arbitrabatur. Safioye, cuius erat litem dirimere,

neutrum

Safioye omissis neophytis in rosaria, & imagines &c. Nangasaquij sauijt.

neutrum displicebat, quod optaret vtrumque, & tamen in leniorem partem suis commodis nulla naturæ bonitate prouocatus inclinauit. Sciebat quàm acriter Nangasaquienses ex longa rei Christianæ tractatione repugnaturi crederentur: videbat Amacaensis Onerariæ commercium, quæ tum Nangasaquij aderat, in Lusitanorum conspectu Christianorum supplicijs posse perturbari, cuius rei inuidiam, cùm religione cupiditas acrius Imperatorem afficeret, non satis tutò posset sustinere. Verebatur adhæc ne rem aggrederetur, è qua minùs honoratè posset egredi, nec prudentis esse putabat, in eas angustias se conijcere, è quibus exire deinde non liceret. Vrgebat præterea auxiliarium copiarum, quas Imperator euocabat penuria, sine quibus nihil auderet, & quas dimittere honore saluo non posset. Statuitur igitur, inchoata cum Christianis prælia in aliud tempus differri, non auferri. Ne tamen nihil egisse viderentur, publicis flammis precatorios globulos, cereas agni cœlestis, aliásq; pias imagines, quas Christianis eripuerant, ante abitum damnauerunt. Abiere tandem, & cum ijs metus ac spes, prout quemque rei expectatio affecerat, exularunt.

Post abitum Safioie quid actum.

Sed ad colligendas tempestatis reliquias labor huius nauis rectoribus duplicatus accreuit. Ac tametsi id facerent, plerique intra prudentiæ limites angustiásque conclusi; latere tamen non potuit omnia scrutantem, etiam cùm abesset, minúsque timeretur, ex neophytorum ardore, Præfectum. Dissimulauit nihilominus præsens omnia quamdiu potuit, verum ex itinere, cùm in castra pergeret ex vrbe Sacayo, in hanc sententiam scripsit ad negotiatores ex oneraria Lusitanos, constare sibi contra Imperatoris edicta, religiosos aliquot sese cæterorum exilio subduxisse, vix adduci posse, vt crederet, quod credere cogeretur; eius rei culpam vni onerariæ Lusitanæ sine controuersia deberi. Quæ si ad Imperatoris aures pertingeret, satis esse, vt omissa religionis causa, emporium Nangasaquiense extremam sibi cladem pertinaciæ suæ pœnam euocaret. Viderint igitur negotiatores quid agant, neque de sua clade præmoniti postmodum deinde conquerantur. Non videbatur vana denunciatio, sed tamen ab eo sperandum, qui metum hũc motúmque prope sopierat, fore vt suo quoque munere fungentes contra vim tueretur.

QVID

QVID RELIQVA IAPONIA GESTVM *fuerit*.

CAPVT XV.

NIhil dubium quin præsens rerum motus, post Ecclesiæ Iaponensis exulantibus illius administris orbitatem, alibi extra Arimensem agrum multa turbarit, maximè priuatim apud toparchas minores domesticis in suos prælijs sæuientes. Verùm in nostrorum absentia aut saltem vaga nec otiosa paucitate, vix satis temporis fuit ad agendum nedum ad scribendum. Rerum nihilominus gestarum frusta reliqua Iaponia colligam, non illa quidem pro dignitate sed pro scribentium breuitate concisa.

Apud Fingenses in vrbe Cumamoto Paulus Yasodáyu annos natus quinquaginta scribitur Christo vitam consecrasse, sibique illustre martyrium comparasse. Erat is insignis architectus & præfectus operum ea in arce sub Canzuyedono illius regni quondam dynasta, & acerrimo Christiani nominis hoste, cui cum esset artis peritia carissimus, adduci tamen nō potuit, vt ab eo lacessitus Christum abdicaret. Moritur tandem Canzuyedonus, & teneriorem sibi filium substituens, sui in Christianos odij reliquit hæredem, non illum quidem sæuiendi sed regnandi libidine incitatum, quod nimirum malè metueret, ne paternam hæreditatem Imperator Christianis infensus tolleret, aut saltem decurtaret, nisi cum eo in extinguenda Euangelij luce conspiraret. Ergo in hoc tumultu non pauci ab eo vel potius ab eius moderatoribus iubentur exulare, hoc solùm nomine, quod à Christo deficere noluissent. Paulus porro annua prope vincula perpessus ab eo dimitti non poterat, artis illius præstantia nonnihil furorem leniente. Et quoniam mutari eum volebat potius quàm torqueri, dici vix potest, quot arietibus illius constantia quateretur. Sed illius animum nulla vis de sententia deturbauit, ideo fortasse quod continua prece, piorúmque librorum lectione vires quotidie velut nouo pabulo reparabat, & vt in neophytos stipem aliquam corrogaret, in ipsa custodia nonnihil artis suæ exercitio conquirebat. Mirum est quanto cæterorum exemplo vitæque comprobatione omnes architectus noster ædificaret,

Paulus Yasodáyu nobilis architectus ad defectionem sollicitatur.

non verbis magis quam incommodorum tolerantia ad supplicia futura præludens.

Tanta Paulus tamque diuturna firmitatis suæ significatione hoc à dynasta suo impetrauit, vt in posterum de plectendo potius quàm de peruertendo cogitarit. Ergo Ianuarij vigesimoquinto, mittit ad eum, qui renunciet ipsi, ea ipsa die moriendum. Cui denunciationi Paulus in hæc verba respondit, Hero meo propter annua vincula plurima debere me fateor. Sed multo magis quod ea nunc mihi cum optata morte commutet. Quare nuncium accipere nullum possem æque laureatum. Educitur ergo Paulus vrbe, totum iter oratione sua consecrans. Cùm in supplicij locum venisset nixus in genua ad certamen sese præmuniuit, qua finita in humo nuda nudus extenditur, in latus alterum reclinatus, iusserat enim inhumanus dynasta, vt in eo diuidendo sica quædam pro Iaponensi barbarie probaretur. Carnifex igitur ictum in latus vibrans, vnico ictu per medium pectus in duas partes diuiditur. Diuisus dicitur audientium testimonio tertio Iesum ac Mariam inclamasse. Tum tribus alijs ictibus lacer in frusta quinque dissecatur. Sicam suo functam munere cum apud tyrannum collaudarent, respondit, Probata est illa quidem, verum peritissimum artificem mihi sustulit, parenti meo carum & præ ceteris Christianis vnicè conseruatum. Verùm id illi sua pertinacia peperit, & ab inuitis extorsit. Neophyti illum sanè honorificè humo commendarunt. E nostris sacerdotibus vnus cum auxiliaris ad eum accurrisset, ita venit opportunus, vt post extremi supplicij præsidia certantem in agone viderit ac inuiderit.

Ad mortem damnatur.

Vnico ictu in duo fragmenta diuiditur. Diuisus ter Iesum & Mariam inclamat.

Sed non solus Paulus fuit, ex literis nostri sacerdotis, qui rem Christianam in vrbe Fuximi occultè procurabat; alij duo neophyti eadem in causa prælio suscepto victoriam reportarunt, alter Fiozaymon Iaponensi nomine, Christiano, Paulus vocari credebatur, vir nobilis & integritate vitæ oculos in se conuertens cæterorum, baptismum susceperat ab vno è nostris sacerdotibus, idem anno superiore 1614. cùm in Christianos inquireretur, remissius se gesserat etiam cum offensione cæterorum. Sed conspecta per vicos Miacenses neophytorum quinque pro fidei causa nuditate, vnde

Paulus Fiozaymon lapsus fidem profitetur.

Vnde intepescere potuerat (tanta vis est exempli in vtramque partem) subito exarsit, & sacramentis primum expiatus ad vrbis moderatores se contulit, his verbis perfidiam suam incusaturus, Agnosco me cum Imperatoris voluntati cessisse me præ me tuli, graue scelus incurrisse, quo ad incredibilem dolorem adigor ac pudorem. Christianus sum igitur, & Christianus viuam ac moriar diuina gratia semper adspirante. De me ergo pro libito statuatur. Ea res incitatos Iudices eo pertraxit, vt extemplo vincula imperarent, è quibus post dies paucos ad publicæ nuditatis ignominiam ille ipse pertrahitur, quem conspecta neophytorum nuditas tantopere excitarat. Inde ad vrbis portam, publicum ad palum alligatus, vinculorum spira totum ab ipso collo corpus obuoluitur, & vt supplicium augerent, pectus ipsum arundineo arcu stringitur, quales apud nos vasa circumligant. Dies quinque sine cibo ac potu, quem custodes prohibebant, animo stetit & corpore, quibus exactis in asperiorem custodiam remittitur, eáque ipsa tenebatur cum Ecclesiæ Iaponensis pastores gregem suum deserere cogerentur, nunc è latebris suis monet sacerdos noster Paulum, post annua vincula Ianuario mense millesimo sexcentesimo decimoquinto, post varia verborum ac verberum certamina, Christo caput dedisse, ne vitam negaret. Cui socius additus est alius vere neophytus ac tiro, quem Paulus in vinculis suis Christo pepererat, quorum corpora carnifices in vrbis fossas coniecta, debito cultu priuare nitebantur, priuassentque, nisi quidam ad eos inueniendos animum ac industriam adiecisset.

Post varia certamina capite plectitur.

Ex eodem sacerdote nostro rescitum Imperatorem, priusquam ad bellum Ozacense Surúnga discederet, iussisse vt Christianis quinque pedum ac manuum digiti truncarentur, & ardenti cauterio crucis inustæ signum in fronte paterentur Quorum nomina tametsi nondum certò sciantur, vitæ tamen libro non exciderunt. Verùm hæc aliáque non pauca locorum interualla, nostrorúmque, vt dixi, vel absentia vel paucitas nobis eripuerunt, donec otio maiore collecta enucleatius proferantur.

BELLI OZACENSIS *euentus.*

CAPVT XVI.

ANno salutis nostræ 1598. moriens Taicosama Iaponiæ totius Imperator filium reliquit puerum, eúmque sui regni nominauit hæredem, Is Fideyori dicebatur. Cuius regendæ pueritiæ regnorum Quantó dynastam, Daifusama dicebatur, præter alios aliquot dynastas, primarium tutorem moderatorémque præfecit. Tutores omnes, vt fieri solet, mutuis inter se discordijs primario ianuam aperuerunt, vt quod puero debebat, sibi procuraret. Anno igitur seculari, biennio post Taicosamæ obitum Iaponiæ totius tyrannidem armis occupauit, & Xógun vel Cúbo-sáma voluit appellari. Fideyori verò in arce tota Iaponia nobilissima, & in illius propè cardine constituta, cum moderato censu reliquit. Multos annos tenuit ea gubernandi ratio, sine insigni aliqua, quod apud Iapones rarum est, rerum mutatione: donec anno post occupatum Imperium & nostræ salutis æquè decimoquarto acris eum cupiditas incessit arcis occupandæ, & Fideyori prouinciæ, in qua suspicionis ac metus esset minus, quod sæpe alijs faciebat, cum alia permutandæ. Optabat enim filio ac hæredi suo hunc metum eripere, certóque certius imperium in sua stirpe conseruare.

Imperator Ozacam arcem Fideyoro Taicosama filio eripere conatur.

Id vt faceret, noluit aperto Marte vti, ne Taicosamæ defuncti factionem iniquissimo bello irritatam in séipsum prouocaret. Sed (vt est nectendæ fraudis peritissimus) in mille partes se vertit, vt voti compos euaderet. Verùm adoleuerat iam Fideyori, & sub parentis suæ tutela, quæ regnantium fraudes longa reipublicæ tractatione pernouerat, tutoris sui artes diu tutus elusit, donec tandem aliquando in apertum Martem artes eruperunt. Extruxerat, vt huius operis initio dixi, Fideyori templum ingens hortatore tyranno, qui versipellis hoc agebat, vt exhausto Taicosamæ thesauro, filius eneruato ærario, bello inutilis redderetur. Fanum illud dedicari tandem oportebat, & simulacrum Daibut, ingentem illum colossum inter numina recenseri. Ad eam dedicationem, quæ in octauam Lunam, id est, extremum Septembrem inciderat, tria sacrifi-

crificulorum millia conuenerant, & ingenti sumptu omnia parabantur; & quoniam arce sua exiturus Miacum, in cuius terminis erat fanum Fideyori, cogitabat, ipseque quoque Imperator vniuersæ fraudis suæ tempus obseruans Ozacam cogitauit. Erupit ea res certis indicijs ac Fideyori inaugurationis illius celebritatem distulit, ne arce sua pelleretur. Interim Imperator Surungam ad se Ozacæ vrbis Gubernatorem accersiuit, Ichinocami dicebatur, quem sibi arctè deuinxerat, & à fide, quam Fideyori debebat, auerterat. Colloquij publica fuerunt initia, ne secretiora consilia erumperent, de Fideyori grauiter queri, quod in æs campanum, cuius ingentem machinam templo fuderat, characteres nescio quos incidisset, quos in sui contumeliam legi causabatur. Verùm secretioribus deinde congressibus illi aperit, quantopere cupiat Ozacæ arcem sibi ad hæredis securitatem necessariam occupare, illiúsque ad id auxilium promissis exigit ac impetrat. *Primùm dolo.*

Redit Ozacam Ichinocami, spargitque Imperatoris iram ex machina campanæ characteribus exortam, & suis artibus quas parum astutè texit eò deuenit, vt suspectus haberetur: ac nisi matura sibi fuga consuluisset, vitam Ozacæ reliquisset. Ex illius fuga cum cæteris suspicionum causis liquido tandem Cubosamæ consilia patuerunt, vímque vi necessario repellendam Ozacenses intellexerunt. Ergo Fideyori arcem bellico instruere cœpit apparatu, & varios ad se duces, qui superiorum bellorum fortunam experti diu latuerunt, euocauit, è quibus non pauci Christiani proscriptionis suæ refugium Ozacæ repererunt. Interim monetur imperator ab Ichinocámi arci male prouisum, illiúsque occupandæ spem in celeritate repositam. Ipse igitur quam maximum potuit tumultuarium constans exercitum venire parabat. Interim dum circum Ozacam trium quatuórue leucarum ambitum, fana omnia diruuntur, ædibúsque solitudo indicitur, parum abfuit quin eadem Sacaium vrbem nobilissimam clade damnaret. Quod si fecisset, venturo contrà exercitui annonam planè subtraxisset, quæ inde toto belli tempore suppetebat. *Deinde vi aperta.*

Non fuit in Cubosama tanta, quantam oportebat esse, celeritas, nam expectato filij exercitu, non ante Decembrem obsidio cœ-

pit, obseſſósque à nulla re imparatos inuenit. In ea obſidione varij fuerunt inſultus, ijque omnes obſidentibus aduerſi, cum obſeſſis fortuna miſerante conſpirarunt, & maximè cùm proditione prodita, authore ſublato, obſeſſi per ſummam diſſimulationem obſidentes præſtolati, ex inſidijs adoriuntur, multosque mortales obtruncant. Imperatoris exercitus ad ducenta millia numerabat, è quibus triginta millia ſcribitur in hac inſultuum oppugnatione ſublata. Etiam non pauci inclinantis fortunæ vento auolantes ab Imperatoris acie diffluebant, fuiſſétque procul dubio extrema ſenis clades, niſi eam aſtutia ſua, qua plurimum ſemper valuit, præueniſſet. Cum enim videret, ſe non ad occupandam Ozacam, vti ſcriptum fuerat, cum euocaretur, ſed ad oppugnandam veniſſe primósque impetus ita tuliſſet aduerſos, vereri meritò cœpit, ne Taicoſamæ memoria multos ab occidente ſole in orientem filium auerteret, & ſubitò aliquo tumultu tot annorum labores ſenex perderet, eo maximè tempore quo illorum fructum in poſteros ſuos propagare conabatur. Ad pacẽ igitur fingendam, obſidionemq; nõ iniquis legibus ſoluendam animum explicuit. quod vt faceret, ex arce, annuente Fideyori, propinquum illius euocat Nobunangæ, qui Taicoſamam præceſſerat, fratrem, cui multum Fideyori fidebat atque deferebat. Fide igitur publica euocatus, multa cum Imperatore contulit, qui hoc maximè agebat, vt tegeret quod optabat, videretúrq; beneficiũ in obſidione ſoluenda præſtare, non accipere. Aiebat potuiſſe ſe ac poſſe quoties vellet Fideyorum perdere, oſtendebat literas, fictáſne an veras ipſe nouerit, plurimorum dynaſtarum, qui à Fideyori contra ſe ſolicitati auxiliares venire renuerant, dictitabat ſe non paucos ex ipſa arce prodere illum volentium poſſe exhibere, ſed ſe Taicoſamæ beneficiorũ memoriam in filio reſeruare, neque velle parentem illius, cuius ſoror hæredis filij ſui vxor erat, in extremam cladem redigere, nec ſuam ſenectutem, cum vita tota pacem accuratè quæſiſſet, bene de ſe meritorum ſanguine fœdare. Verùm quoniam ſuſpiciones inter vtrumq; recens exortæ in apertum Martem eruperant, nolle ſe iniquis legibus abire, ne, qui alium perdere potuerat, victus videretur. Cum his alijſque mandatis in arcem redit legatus, à quo iuuenis ex parentis ſuæ cõſilio ad pacem inclina-

Ozacam Imperator obſidet non ſine frequenti ſuorum clade.

Imperator pacem ſe velle ſimulat.

inclinatur, ideo maximè, quod in tumultuario arcis tuendæ apparatu multa deessent, si obsidioně pertinacius Imperator vrgeret, longiúsque protraheret. Multi quoque duces milítésque aduenerant, quorum fidem tametsi non satis exploratam necessitas admiserat, de quibus non videbatur incredibile credi, quod affirmarat Imperator, fieriq; posse, vt plures, quod nuper vnum fecisse constiterat, de arce tradenda conspirarent. Vtrinq; igitur ficta pax adornatur. rarò enim apud Iapones controuersiæ, quę in apertũ bellum erupe- runt, alia ratione, quàm alterius partium extrema pernicie sopiuntur. Imperator quippe ideo pacẽ adornabat, vt maiore deinde impetu instauratóq; exercitu inermem obrueret, & incautum. Fideyori oblatam pacem etiã parùm æquis legibus non respuebat, vt otiosè deinde comparatis solicitatisq; nouis ducibus auctior inclinantẽ ad se fortunam tutius reuocaret. Ianuario igitur mense 1615. certis legibus pax parum vtrinque fida iuratur. Imperator à lacessendo posthac Fideyori abstineret, amicitiam fidelius tueretur: Fideyori è tribus fossis, quibus arx tota cingebatur, duas oppleret. Atque ita ab armis vtrinque, sed non diu, cessatum.

Vtrinque ficta pax adornatur.

OZACÆ ALTERA OBSIDIO ET MORS Cubosama.

CAPVT XVII.

PAucorum mensium pax fuit, vix enim bene ab armis discesserãt, cùm denuo de armis cogitatur. Fideyori diffidentiã, Cubosama pudore permouetur: vtrinq; fertur ducenta in armis mortalium millia singulos habuisse: cùm enim ad Fideyorum alioqui imparem, victoria nuper sæpius inclinasset, mirum nõ est plurimos eò secundis famę ventis appulisse. Ergo Ozacam arcisq; angustias non ferens, castra castris sub vrbem opponit, cùm prius Sacaium emporium in fauillam redegisset, ne quod prius contigerat, hosti annonam, hospitiáq; suppeditaret. Verum quia æstate pugnabatur, hospitijs caruisse minus nocuit, quã si rigidiore aura pugnaretur. Duabus velitationibus, quæ iusta prælia videri alibi potuissent, Fideyori superior euasit, tertiũ præliũ iustũ fuit, in quo denuo Cubosama de victo-

Imperator obsidione iterata tertiò pugnat infoeliciter.

victoria desperans adstantes sibi monuisse fertur, vt vbi spem nullam superesse aduertissent, ipsum obtruncarent, ne viuus in hostium manus deueniret. Verùm ecce tibi secunda fortunæ aura subito ad proram reflauit, certásque victorum spes momento intercidit. Sanandadonus copias vniuersas pro Fideyori ducebat, is aduertens victoriam non dubijs signis à suis inclinare, misit qui moneret Fideyori, vt certæ victoriæ honorem adepturus in castra properaret, manserat enim intra arcem parenti suæ solatio futurus aut arci præsidio. Venit igitur ardore iuuenili honorem sitiens, parumque fidis custodibus arcem reliquit incendendam. Vix enim bene abierat, cùm proditio in fumum erumpens sese prodidit. Antiquiores enim illius asseclæ, quibus arcem fidebat asseruandam interpretati se præ nouis, qui ad herum venerant, ducibus negligi, ac fortasse Cubosamæ largitione corrupti, exeunte Fideyori in tumultum conuersi arcem incenderunt. Ea res victis animos dedit, victoribus abstulit. nam Fideyori in arcem regrediens, parentem suam, vxorem, quæque potuisset, flamis erepturus, ad salutis curam ab honoris cupiditate conuertitur. Ita subitò reflante fortuna miser Fideyori victoria excidit. Quo quid factum fuerit, nondum planè compertum, verùm perijsse certius videtur, ideo maximè quod tametsi literis anno 1616. ineunte datis viuere scribatur, & in borealia regna ad factionis suæ dynastam profugisse; recentioribus tamen eiusdem anni mense Iulio, die decimo octauo datis, nulla illius mentio fit, sed Ozaca tantùm deleta, nullúsq; Imperatoris hostis superesse legitur; qui si viueret præcipuam scribendi materiam erat prębiturus. Graue & cruentum fuisse prælium satis constat, nec in eo titubat fama, hoc extremo bello multa mortalium millia perijsse, si cæteras velitationes in numerum adduxerimus.

Incensa per proditionem arce vincitur Fideyori.

Hoc metu perfunctus Imperator, victoria sua inflatus Surungam se recepit, nec dubitauit hunc prosperioris fortunæ successum simulacrorum suorum fauori ex eo arrogare, quod Christi sacra tota Iaponia dijs suis obsecutus exterminasset. Mox igitur ad omnia componenda animum adijciens, Safioye Nangasaquiensem præfectum Sacai ruinis excitandis præfecit. Itaque cum ea re detentus nepotem suum sibi suffecisset, Nangasaquio & Arima pacata omnia nuncian-

nunciantur. Iulio igitur mense anni 1615. Imperator Ozacam deleuit ac solo æquauit, cúmque sibi videretur spes ætate longiores inchoare, anno 1616. Martio mense, cùm venationi operam daret, morbo corripitur. Cuius vi, ætatisque vitio sensim contabescens primo Iunij extinguitur, cùm prius Principem eorum, qui Dairi astare possunt (magnates Hispaniæ referre videntur) seipsum nominasset, nondum satur tot honorum gradibus ac titulis, quos secum libens, si posset, efferret. In arce sua Cunó humari voluit, vbi ærarium suum asseruabat. Ita verum est quod veritas pronunciauit, vbi est Thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit, non desiderio solum cùm viueret, sed cadaueris quoque societate cùm moreretur. Filius, quem dudum hæredem appellarat, imperij possessionem adijt. neque est vllus qui adhuc repugnarit, recens enim Fideyori clades plus omnibus dedit quod timerent, quàm quod noua factione sperarent. Non creditur tamen sopitum, nisi dolosos inter cineres incendium, quod erumpet breui, denuóque omnia turbabit. neque enim hic parenti similis, æquali prudentia vel authoritate poterit volubiles Iaponum animos continere. Alterum filium parens moriturus videre noluit, vnde nunc nescio qua ex causa proscriptus viuit. De alijs duobus palam senex edixit, vt nisi se intra officij sui limites continerent, capite plecterentur. Quod parentis præceptũ hæredi fortasse ansam dabit in fratres maiore licentia, dedecore minore sæuiendi. Multâ imperij sui initia largitione fœdauit, itáque se gessit, vt iam nunc precario regnare videatur.

Imperator anno 1616. morbo extinguitur.

Filius eo mortuo imperat pane precariò.

Ad rem Christianam quod attinet, tametsi constet eum nihilo minore odio Christi legem insectari, nondũ tamen quicquam mouit, neque beneuolos nobis dynastas à fauore coërcet; neque illi eius authoritatem ita verentur, vt Christianos ritus ex odio alieno metiantur. Vnde fit, vt Ecclesia Iaponensis in antiquam reditura speretur libertatem. Nostri maiore iam numero redeunt, suaque munia (occultè tamen) plerisque in locis exequuntur. Nondum tamen sacras ædes aut priuatas instaurare possunt, ne nimia libertate velut mortuo insultantes, malum euocent ac procurent. Ea est omnium neophytorum sententia, qui Principem iudicant demerendum potius cunctatione moderata, quàm præpropera festinatione

Christiana res ad antiquam libertatem, sed tamen cautè redit.

tione irritandum. Ita factum est, vt cum religiosus vnus aliquis Nangasaquij cænobiolum extruere, etiam alterius nomine, cæpisset, id neophyti tulerint ægerrimè, effecerintque, vt, quoniam res in publicum eruperat, vitandi periculi causa, ab eo qui extruxerat, solo æquaretur. Atque hoc est tandem, quod per hosce annos contigit, ortámque procellam, si nondum sustulit, prorsus interrupit, nec aliud recentius, cùm hæc finio, ex Iaponia legimus quam à Iulio M. DC. XVI.

CAPVT XVIII.

Quanto numero adulti tempore persecutionis baptizati.

OCcurrebant multa passim in huius historiæ scriptione non sine fructu aduertenda, quæ studio in hunc locum, ne historiæ seriem importunus orator interpellarem, finem libro quarto impositurus reseruaui. Ac primùm, quo ipso tẽpore procella deseuijt, satis mirum est quanto numero neophytorũ grex accreuerit. Verũ vt fuerit, non antiquis solum temporibus, quod scriptum legimus, Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, &, Martyrum sanguis est Christianorum semen. Anno quippe 1611. quando jam persecutio timeri cœpit, quinq; millia, quatuor & viginti (de adultis loquor) Christo se adiunxerunt. Anno sexcentesimo duodecimo, quo anno planè erupit, quatuor millia & quinquaginta. Anno sexcentesimo decimo tertio, quater mille trecenti quinquaginta octo. Anno insequenti, cùm iam suis sedibus nostri alijq; pellerentur, mille trecenti octoginta. Sexcentesimo decimo quinto, ratio iniri non potuit. Quin imo subductis calculo adultis, quos soli Patres Societatis Iesu ab anno 1598. quo Taicosama Ecclesiæ persecutor extinctus est, vsq; ad annum 1614. quo Patres, vt dixi, expulsi sunt, vltra centum quadraginta millia salutaribus aquis expiasse numerantur. vt è fastis baptismalibus constabit. Dixi adultos, nam infantes qui Catechismo non indigent, ab hoc numero excluduntur. Quis non speret magnos secundis auris afflantibus progressus, quando aduersis ita nauigatur?

Aduerto præterea insolitum Ecclesiæ huius ardorem, cui non legimus

gimus fere vsquam maiorem, præteritis in seculis, cui non videmus æqualem inter hęreticos à Catholicis nostro seculo pro fide certantibus. Tanto quippe studio non paucos, sed prope omnes martyriũ optare, ad illud tanta cura se comparare, occasione illius vltro quærere, mœrore affici eos qui exciderint, tanta lætitia exultare illos, qui hac sorte gauderent; nec solos illos viros fuisse, ab armorũ tractatione vitæ contemptores, sed pueros ac puellas, mulieres etiã nobilissimas ea optasse ac tulisse, à quibus natura tantopere abhorremus. Quis non videt agnoscitq; in his eandẽ Dei manum, cuius potentia primis illis Ecclesiæ nascentis temporibus legẽ suam natura, Principibus, Orco repugnante in orbem introductã. Eadem est sanè fides nostra, eadem doctrina, eadem Ecclesia ad nos nulla interruptione per tot sæculorũ gradus propagata. Sed dicet aliquis; miracula defuerunt, qualia nobis maiores nostri vnà cum antiquitatis fide reliquerunt. nõ defuerunt illa quidẽ omnino, sed rariora, obscurioráq; fuisse non diffiteor. Causam nouerit ille, qui etiam cũ non vult, potest, sed ideo fortasse, quod nunc Ecclesia quibusdam pollet adiumentis, quibus noua carebat omnino: Habet viros literatos quorũ rationes diuina luce cum influit adhibita, miraculorũ necessitatem supplent, quæq; sunt supra naturam, hominibus persuadent. Sed omissis, quæ ad institutum non spectant, his disceptationibus, ad rem facit, quod ex hac ipsa obiectione in rem meam traho, videlicet eò magis admirabilem, præconióq; digniorẽ, & illustrius diuinæ potestatis argumentum, quod Iapones nullis prodigijs allecti, ea tolerarunt, quæ alij, qui quotidianis illis è cœlo fouebantur auxilijs. Quis enim dubitet fidei meritum perfectionemq; ex eo crescere aut minui, quod ad euidentiã plus minúsue accedit aut recedit. Ego sanè miraculũ aliud illustrius nullũ videri volo, quàm ꝙ externi aliquot ac pannosi sacerdotes, balbutiente adhuc lingua, potuerint apud gentem sagacissimã ac superbissimam efficere, vt sua reijcerent, externa probarent: idq; tanta animi firmitate, nihil vt dubitauerint ad ea tuenda fortunas, principum suorum fauorem, carnis illecebras, vitam denique ipsam atrocissimis supplicijs exponere, idque ea alacritate, qua natura ferimur in ea, quæ his aduersantur. Qui hoc prodigium non admittit, neque si aliquis ex mortuis resurrexerit, credet.

Insolens Iaponensium ad martyrium ardor.

Quid in hac persecutione maxime admirabile.

Et quàm verum hoc sit Ecclesiæ verę signum, cuius nomen tot hæreticorum sectæ vsurpant, ex alio constat, quod è superiore deducitur. Repete memoria mecum superiora post Christum natum secula quindecim; percurre mecum Christiani orbis regiones ad vnam omnes; nullam orbe toto repereris, quæ sectam aliquam, ex ijs quas Ecclesia nostra antiquauit, habeat aut agnoscat primam apud se Christianæ fidei propagatricem, multæ multas iam Christo adiunctas in errorem abduxere, nulla tenebras ethnicas etiam suis nebulis potuit vtcumque illustrare; verùm hæc quæ longiorem tractationem requirerent, omittantur, sufficiunt illa ijs, qui sponte oculos non claudunt veritati.

Habet porro Europa nostra gentis nuper sine numine exempla quæ imitetur. Non iudicabitur difficile veteranis catholicam fidem apud hæreticos sanguinis sui sigillo confirmare, quando ad eam rem neophytos habemus extremo in orbe hortatores exemplóque suo præcessores. Quis non operam suam per tot maria, labores, pericula, bene collocatam putet, cùm viderit fructum exculti huius noualis ad messem peruenisse. Quid est, quod nos teneat, quin tantam indolem, tantásque spes per vlteriora etiam, si forent, maria conquiramus. Et quibus ad eas expeditiones animus, ætas, valetudo, conditio vel quippiam simile defuerit, nondum à fidei propagatione procuranda se arbitrentur excusatos. Alij eam suo fauore, alij consilio, alij authoritate alij opibus, nos industria, laboribus, periculis, vita ipsa procurabimus, Cætera subsidia, ab ijs, quorum interest, aut quos Deus peculiari beneficio ad id permouerit expectantes. Vnum est, in quo omnes possumus conspirare, si nempe fusis communiter precibus Orco repugnanti nos opponentes diuinum ad res tantas auxilium euocemus.

Libri Quinti Finis.

DE

DE CHRISTIANIS APVD IAPONIOS TRIVMPHIS

LIBER QVINTVS.

PROOEMIVM.

PErsequar his litteris è Iaponia Goam ante menses aliquot allatis cæptum in Europa opus, & quatuor libris comprehensum, de Christianis apud Iaponios triumphis, qui è gloriosis fidei certaminibus contra gentilitiæ perfidiæ ministros à neophytis Iaponensibus sunt constantissimè reportati. Priusquam enim in stationem me meam reuocarem, in Europa commentarium reliqui, iusto volumine quatuor libris comprehensum, quem Christianos è Iaponia triumphos inscripsi, sæptos ab anno 1612. per quadriennium ferè continuum, nam etsi aliquid ex ijs tetigi quæ anno 1615. contigerunt, ea tamen è priuatis Sociorum literis erueram, interim dum iusta narratio solito annalium nostræ Societatis more perueniret, eam è Lusitano sermone acceptam non transfero, sed refero, aut potius ex ea seligo ea omnia quæ Europam nostram sine fastidio lecturam esse coniicio, vulgaria vel potius consueta, vel solum tango vel planè prætermitto, ne singulis annis repetita non noua legantur sed vetera. Vetera enim sunt in hoc genere quæ à veteribus non discrepant, Quin etiam breuitatem sectaturus hoc biennium 1615. & 1616. non seiungam, sed con-

tinuo filo alterum alteri subiungam, ita tamen vt legenti constet quo singula tempore contigerint. Nec inferiora illa esse video ijs quæ tetrabiblio superiore etiamnum perseuerant, modo asperiora, modo leniora, prout Dominus hanc sponsam suam tentare constituit, ex secretorum iudiciorum norma ita dirigens omnia, vt in suam gloriam, in quam omnia decet collimare, vel suauiter vel fortiter, sed nunquam non certo deducantur.

DE POLITICO IAPONENSIS *Imperij statu.*

CAPVT I.

INcipiam ab altera Ozacæ obsidione (de priore quippe proximè vt iam arbitror edito rerum Iaponensium commentario agere, & Iaponiam malè stabilita inter Daifu & Fideyori pace nutantem relinquere me memini) Ignes igitur, vt ait ille, suppositi cineri doloso vt in flammas eruperint, quibus arsit Ozaca, totaque Iaponia caluit, dicere aggrediamur. Ex Ozacensis belli fortuna Daifu domum retulerat stragem suorum, eorum æstimatione qui parcissimè scripserunt, ad quadraginta millia, retulerat parum honestæ pacis, ac sollicitati fœderis indignas sua æstimatione, ætate, dignitate conditiones, maximè cum adolescentis tirocinio ac tenuitate comparatus, apud quem reliquerat ducentos exigua strage mortales, eosque de militum grege, si duos tresue aliquanto celebriores exemeris, apud eum reliquerat spem Imperij, fortunæ opinionem, ætatis auroram, senij sui occidentis calcibus imminentem.

Ergo ad solitas artes conuersus, quod sibi sentiebat esse non posse perpetuum, in filio statuit omnino retinere, nec ei relinquere spes dubias, nutante prioris belli fortuna inclinatas. Ergo iam iterum perfidus, neglecta nuperrimi sacramenti religione, mittit ad Fideyori, qui suadeat Ozacam relinquere, & maiora sperare, quę fuse sed falso promittebat, Non latebant adolescentem parentis sui potissimum artibus instructum, senis consilia, nec facilè spe futurorum præsentia dimittebat, sed quod præsentiens nihil dubitauit,

eum

eum collectis denuo viribus ad se rediturum, vt quod arte subterfugerat infortunium, fortuna meliore sarciret, Ergo cœpit clam primò, deinde cum vltra tegi non posset, palam militem conscribere, & in suas partes quotquot posset euocare, In his numerati sunt Francisci Bungensium quondam Regis filius, & trium qui Taicosamæ tempore omnia moderabantur filij, quorum parentes Imperij mutationem experti, superioribus bellis perierant, & alij complurimi è quibus exercitum conflauit, quo centum & septuaginta mortalium millia censeri dicebantur, si ijs credimus qui vero propius numerabant; quem exercitum, non vt prius, intra vrbis angustias stringere, sed sub vrbem castra metari voluit, quod iam obsideri nollet, sed vnius prælij fortunæ vel infortunio iam non dubitaret summam rei definire, Exercitum tres omnino moderabantur, Ethnici duo, Christianus vnus, Ioannes Acaxicamon appellatus, à quibus etiam in omnem belli apparatum commeatus, & cætera præliorum supellex tempori conuecta colligitur, Quo tanto belli rumore finitimæ vrbes & oppida metu correpta, eo in interiora se recipiebant, quo conijciebat vnusquisque arma non penetratura, putabant enim nec temerè irruptionibus tentanda omnia, & alieno sumptu militem continendum. In ipsa vrbe Miacensi tanto tumultu trepidatum est, vt in palatium Dairi sui, velut in asylum plerique confugerent, & in eius ambitu subito opere mapalia extruerent, arbitrati capta etiam vrbe, Dairi non impetendam de more maiestatem. Non desunt qui hunc metum inter astuti Daifu artes referant, vt constaret ex hac publica trepidatione arma non à se, sed à Fideyori moueri, nec violari nuperrimi sacramenti religionem, sed necessaria defensione cohonestari. Quin & hoc intendebat, vt iniecta inuasuri mora ærarium exhauriret, & multorum animos armorum languore debilitaret, nec male fraus illi cessit, quæ quemlibet alium dilatione perdidisset, cum enim animi nondum esset satis Principi Fideyori, & Imperij Iaponensis potentiam aggrederetur, defendere se non offendere cogitabat, quod si auctore vulgo metum illius Ducem secutus fuisset, næ magnam Imperij partem prius occupas-

cupasset quam senex occurrisset, proprioque parcens ærario ex hostium spolijs militem iam victoris more furentem saginasset. Interim Daifù, (quem alias Cubum, alias Imperatorem appello) planè sibi non deerat, sed partim insidijs, partim aperto marte seipsum comparabat. Insidiarum hoc initium fuit. Onaxari, ex primarijs Fideyori ducibus arcem egressus, à sicario ad eum alloquendum accedente, grauiter in altero latere vulneratur, is comprehensus socios coniurationis cum nominare nollet, in frusta discerpitur, sed intra paucos dies tota conspiratio prodita est, illiusque auctores obtruncati, constititque tum demum rupta fœdera non sine sanguine, rei summam, in dubiam belli aleam eruptura. Nam exinde Imperator vicina loca quæ proximo metu trepidabant, præsidiario milite cinxit, & sensim Duces alij post alios cum suis turmis submittebantur, donec tandem ineunte Maio Daifu ipse cum filio Xogun, cuius causa maximè agebatur, aduenit, & hic in arcem se Fuximum, ille Miacum recepit, & interim dum se totus vniret exercitus, mentita denuo fœdera tentantur, eo consilio ne iniquo marte prius cogeretur decertare, quam robur omne conuenisset. Abest Ozaca Sacajum leucas omnino duas, Emporium tota Iaponia celeberrimum. illius ciues priusquam Daifu adueniret, in vmbram se Fideyori receperant, commeatum & reliquum belli apparatum profusè obtulerant, sed cum Daifu aduenisset, vtraque manu pugnare, vel potius mentiri statuerunt, nam perquam occultissimè ipsi Daifu eadem deferunt, arbitrati se in bello communi communem calamitatem euasuros, sed miseri seipsos, neutrum fefellerunt. Cum enim ab ijs rogatus Daifu, præsidium submitteret, subodoratus Fideyori miles superuenit, qui promissa exigeret, duo millia eo perueuerant ad vitandam suspicionem, non plures; qui cum à Daifu tenue adhuc presidium reperissent, euocatis mox auxiliaribus copijs, iussi Sacajum incenderunt eo furore, vt ex emporio nobilissimo intra vnam noctem ne vna domus illuxerit, in qua viginti familiarum millia censebantur, hoc in ædificijs Iaponum ligneis procliue est fieri, credique, sed quam horribile fuerit, non æque procliue est æstimari. Eo ipso tempore, quo Sacajum ardebat, Fideyori Ducem submisit Onaxari fratrem, cum quindecim millium copijs, vt arces duas

duas vicinorum regnorum Izzumi & Cinocumi inuaderet, quæ arces, Daifu partes tuebantur, sed in vanum cecidit expeditio non sine multis in eo prælio desideratis. Quod vt audiuit Daifu, nihil vltra cunctandum ratus, hominum animos sibi satis conciliasse, vt hactenus pacem præsetulisse visus est, exercitus eum comitabatur qualem vix alias Iaponia videre se meminit, sub signis quippe suis expeditum militem, non adductis in numerum impedimentis, ad trecenta millia numerasse dicebatur; eo exercitu per Yamato regni gyro circumducto, primo Iunij priora signa è vicinis montibus sub vesperum cõspecta sunt, quem exercitum iam toto biduo Fideyori cum suo iam intra castra distributo, satis fidenter expectabat. Postridie primo diluculo, duo exercitus Ozacensis Duces singuli cum decem millibus velitaturi, descensuros ad pedem collium præstolantur, & iam ad manus ventum erat, diuque dubio marte pugnabatur, sed tandem Ozacenses ab Imperatorijs fugari cœperant, cum alij Duces duo, in quibus noster Ioannes, prælium restaurarunt, & renitenti fortunæ virtutem opponentes hostem coegerunt in suos se montes, vnde exierat fuga recipere. vtrinque cæsi sunt multi sed Ozacensium plures ijque ex prima nobilitate, Ioannes ipse glande saucius ad suos redijt victor.

Die iterum insequenti, Iunij tertio, exercitus duo in ingenti planicie totum illum diem ad secundam horam post meridiem in armis quieti constitere, vel ad prælium se parentes, vel dubij fortasse quid agerent, in eo enim prælio Iaponensis Imperij fortuna nutabat; Daifu veteranus Dux, marti artem additurus, fingit se diuiso impetu velle vrbem varijs in locis inuadere, vt hostis sui vires quoque separaret, Interim in vnam partem egregium militem selectosque Duces euocat, vt primo impetu hostem aggressi victoriam ad se inclinarent, quam deinde reliqua turba persequeretur, nec Ozacenses fraudem aduerterant, sed in suam quisque stationem sese recipientes repugnare potius quam pugnare parauerunt.

Vix benè altera hora post meridiem ad occasum declinabat, cum duo exercitus impetu facto coeunt, sed eo impetu quo quisque res suas in ea Imperij concussatione tuebatur. Primum Ozacensium agmen ducebat Sanada vnus è tribus summis exercitus Præfectis &

cum eo alius, Morinus vocabatur. Hi militum ę Quanto Imperatoris partium primum agmen eo impetu repulerant, vt tertio quartoue cederent, mox vt apparebat, fugam paraturi. Eo tandem res adducta est, vt ex Xogun exercitu nonnulli iam fugam caperent, ipseque idem parabat, nisi à suis detentus paululum restitisset, quin ipse Daifu victoriam desperans, propè iam sibi ventrem de more lacerabat, cum ecce tibi repente fortuna conuertitur, satis leui euentu subito inclinata. Onaxari numeroso agmine, Fideyori vexillum habebat sibi commendatum, is nimis inconsultè victoriæ gaudium non vltra ferens, in vrbem regreditur, ipsum Principem, qui prælio aberat ad victoriæ gloriam euocaturus; cum vexillo fortuna quoque regressa est, nam primò creuit hostibus animus, quasi cum sui Principis vexillo fugerent, inque vrbem se reciperent Ozacenses, deinde digresso iam in prælium Principe, cum nihil minus cogitaretur, armata intra vrbem coniuratio, ignibus in varios vrbis angulos iniectis, sese prodit, quæ fumo suo Imperatorijs victoriam reuehens prælium tanto impetu restituit, vt iam Ozacenses de vita magis quam de Imperio solliciti, fugam nullo ordine arripuerint, qua quemque via necessitas abducebat.

Ea omnia intra duas non amplius horas expedita, victoriam minimè dubiam Imperatori reliquerunt, qui suos statim classico à prę-lio reuocans fugientibus viam aperuit, & pontem, vt aiunt, strauit argenteum, qua parte apparebat plerosque fugam adornaturos, ne forte, si de vita certamen esset, desperatio prælium instauraret, & qui nollent mori, deinde vincere se denuo posse non desperarent, Iter itaque Miacum versus patuit fugientibus, eo die reliquo & nocte tota insequenti. Ferunt ex ea parte plerosque & nobilissimum quemque diffugisse, quin & ipse Fideyori cum parente, diu creditus est fuga salutem inuenisse, sed cum iam sesquianno toto nusquā, ne fama quidem indice comparuerit, credibile vix videtur huiusmodi Principem, diligentissimè ab Imperatore filioque conquisitum latere tanto tempore potuisse; Dilabente iam exercitu, Imperatorij in vrbem inuadunt, nemini parcentes, nec etiam suis, cum alij vix alios agnoscerent, vrbem vniuersam populabundi incendunt, euertuntq;. Sub noctem qui intima arce adhuc Fideyori partes tuebantur,

tur, desperatis rebus eam incendunt, & horribile spectaculum exhibent, cum tota arderet Ozaca, quam ex optimis Iaponiæ vrbibus sæpè annales nostri cantauerunt. Cuius cladis, solitudinis, incendij adeo tristis fuit facies, vt lōga narratio superesset, si singula prosequerer. Sed neque hoc est instituti nostri, neque apud bonos æstimatores opus esse pluribus iudicaui. Hoc solum addam, Iapones vulgò arbitrari, nullum aliud prælium ex ijs quæ apud se celebrauit antiquitas, maiorem mortalium vim intra duas horas absumpsisse, cuius numerum tametsi plus alij, alij minus augeant, centum millibus tamen plerique circumscribunt, ferunt ipsum flumen Ozacense altum alias, alueoq; latiore, cadaueribus oppletum, velut pontem fugituris aperuisse, & ad duas retro leucas cum sanguine flueret, aquis suis, velut metu contractis, refugisse.

Parta victoria, Daifu Miacum redit totius Iaponiæ nobilitate stipatus, & quasi iam demum Imperium occupasset, sibi iam recens videbatur imperare. ibi præmijs propositis eorum capita, qui à Fideyori steterant, illumque ipsum ad se adferri & adduci iubet, imperata fecere permulti, & viuos illi multos multorumque capita intra paucos dies stiterunt, & in cæteris ipsius Fideyori septennem filiolum ex illegitimo toro susceptum, quem tota Miacensi vrbe per ignominiam circumductum voluit obtruncari, quem ferunt animo supra ætatem efferuescente, ipsi Daifu præsenti exprobrasse, quod iusiurandum solemni, quoad fieri potest, ritu conceptum, bis per summum nefas violasset, Multi deinde mortales omnis ordinis in hac ipsa causa iugulati, & vt inposterum spes omnes coniuratis rebellandi præscinderet, voluit extemplo toto regno, vt reguli omnes, quotquot sub Imperij, quod ipsi Tenca vocant, legibus viuunt, arces suas omnes diruerent, vna excepta, quæ illis ad habitandum permittebatur. Nec fuit, qui atrocissimo huic mandato sit ausus repugnare, dirutasque ferunt intra breue tempus arces tota Iaponia minimum quadringentas. Quibus tandem ita compositis Surungam ipse ad suam Imperij sedem, Xogun ad suam Yendo se recepit, dimissis ad suos regulis omnibus ac milite, quibus vsus in hoc prælio nobilissimam victoriam reportauerat, quæ vtrum Ecclesiæ Iaponensi cōmodè ceciderit nec ne, num forte magis optari

An Tensa? Vt alij.

poterat, vt in Fide yori declinaret, vtrinque dubitari posse video, sed quia hoc ad sequens caput spectat, in quo de eius statu agitur vniuersim, in eum locum quæstionem differemus.

Non diuturna fuit Imperatori victoriæ fruendæ mora, quippe quod nihil sit in humanis rebus durabile, vel hoc exemplo patuit. venerat ille iam ad votorum verticem, in fortunæ rota tenebat apicem, cum horrendo casu miser in æternam calamitatem è summa fœlicitate prope in momento gustata descendit. Nam 8. Martij, anni 1616. graui super ætatem morbo corripitur, cumque se moriturum intelligeret, filium suum principem, quem Iaponensis Monarchiæ relinquebat hæredem, aptis tempori monitis ad ritè gubernandum instruebat, In his fuit, ne cum Dynastis ac Toparchis subditis iam iniret subito rationem, qua se videbat perpetuo vsum, aliud iam tempora, aliud pacem vna cum Imperio partam postulare, conaretur sibi omnes animi facilitate ac lenitate demereri, nisi si fortè vnus aliquis peruicax eam facilitatem verteret in contemptum, talem enim oportebat collecto exercito perseipsum persequi funditusque delere, neque enim aliter Iaponensis imperij possessionem posse conseruari. Addebat his qua se ratione cum fratribus gereret, nihil illis aliud, inquiebat, moriens lego, præter id quod à me viuo donatum possidebant, tuum erit prout eorum in te merita postularint, ita fratres remunerari, quorum si fortè quispiam aliquid in te peccauerit, non omittes eum pro delicti ratione mulctare, nec eorum vitæ parces, si criminis fortasse id postulauerit magnitudo; nec in hac re hominum obloquia vereretur, neque enim id immanitati dabunt, quod à parente mandatum sciuerint, extrema morientis voluntate. Hæc ille aliaque huiusmodi plura, tandemq; Iunijs Calendis, eodem propè die quo nobilem illam victoriam, anno superiore reportarat, diem clausit extremum, & breuia huius vitę gaudia, tam late fusi sanguinis humani, sed maximè Christiani reus, cum tormentis æternis infœlicissimus commutauit.

Hæres imperij, quem perpetuo Xogun appellabo, adita nemine interturbante Imperij Iaponensis Monarchia, sedem suam vbi hactenus habuerat, in vrbe Iendo reliquit, Surunga quæ parenti sedes fuerat, fratrem suum Fitachidonum reliquit arçis custodem, nō thesauri,

thesauri, quem senis cupiditas conseruata tot annos in Imperio pace compilarat, eum enim ad se transtulit, ne fratri esset ad coniurandum incitamento. Cætera solito cursu fluunt, neque ad Nouembrem 1617. de vlla mutatione scribitur, nisi quod è Sinensis Regni Prouincia Fuquiana à negotiatoribus nunciatum Amacao scribitur, ipsum quoq; filium, & nihil aliud, perijsse. Ex hoc rerum publicarum statu vniuerso ad Ecclesiæ faciem & Societatis nostræ veniamus, tum per singula loca in quibus olim domicilia nostra sita erant, excurrentes peculiarem vbique rerum statum; in hac temporum varietate memoria dignum exploremus.

ECCLESIÆ IAPONENSIS FACIES vniuersim.

CAPVT II.

NOn immerito dubitari potest, si rei euentus humanis rationibus exquirendus est, & in alteram partem controuerti, num Ecclesiæ Iaponensi commodius cecidisset, Imperij summam ad Fideyori redire, an in familia vt factum videmus, Daifu remanere. Nam etsi pacata semper Ozacæ omnia quantum per Principem licuit nobis fuere, nec vnquam vt alibi sæpè publicè fuerit Euangelij cursus per eum impeditus, tametsi etiam in eius exercitu strenuam illi operam Christiani multi, tum maximè Ioannes Acaxicamon impenderunt, eratque satis credibile fore vt officiorum memor, rei Christianæ laxaret angustias, id nihilominus initio duntaxat futurum non temerè conijcitur, Nam ille doctus à vidua parente, se nullam Imperij repetendi spem humanam habere, totum se ad colendos Deos beneficijsque prouocandos conuerterat. Duo simulacrorum genera colunt Iaponij, alterum Camis, alterum Fotoques vocant. Priores Deos putant humanas res moderari, easque mortalibus pro arbitratu diuidere, pro ratione meritorum his fortunatas, alijs infœlices. Posteriores Dij futuræ vitæ bona partiri posse creduntur. Ergo Fideyori de alia nondum vita sollicitus, totum se ad colendos Camis contulerat, nec propè vllum erat tota Iaponia Fanum illorum celebrius aut opinione vulgi sanctius quo non eius

beneficia penetrassent, ille fana instaurabat, extruebatque, ille sacrificulorum cœnobia dotabat, ille ad omnes munera submittebat. Ozacæ restituerat intermissam diu supplicantium pompam, in quam annis singulis dicebatur minimum aureorum sex millia profundere, vulgo vt dicerent omnes, pendente adhuc belli fortuna, illius euentum magis ad Camis, quam ad Fideyori pertinere, qui si Principem toties de se benemeritum ad Imperium non euehe-rent, nemo noluisse, sed omnes non potuisse, crediturì non temerè videbantur. Ad hæc cum eius parens Taicosama iam inter Camis relatus, vulgo coleretur, præliorum numen appellatus, cui tum alibi fana multa, tum Miaci molem illam insanam de qua superioribus annis, erexerat, quis non metueret eam legem, cuius calculo diuini honores Parenti vulgo dati negabantur, diu illi placere potuisse, quin eam rebus iam confirmatis, cum Christianis non egeret auxilijs, acrius insectaretur fortasse, quam hactenus Daifu fecerat, cui res minus quam de parente colendo cordi erat. sed vt vt sit, hoc saltem ex eo prælio consecutum est, vt de inanium Deorum auctoritate multum decesserit, dum vel, si noluerunt ingrati, vel si non potuerunt, infirmi ab omnibus iudicantur. Quin ipse Daifu cæteroquin & ipse superstitiosus in paucis, victoriæ insolentia dicitur præliorum numini, quod filium in prælio destituerit, insultasse.

Verum enimuerò non inferior ex alia parte metus, eoque maior quo præsentior, non timeri sed teneri videbatur, nam è tribus primarijs belli ducibus sciebat vnum fuisse Christianum, eumque in paucis fidei ardore præstantem, quem habuerat etiam in alijs prę-lijs cum Imperium occuparet, cum reliquis Fideyori tutoribus Regnique moderatoribus, contra se conuiratum, quem cum tot iam annos plectendum inquirat, hodieque quærat, non est dubiũ furoris illius, quo in eũ ferebatur, partem in ipsam Religionẽ deriuatum iri. Ad hæc ignorare non poterat in exercitu Fideyori neophytorum vexilla multa crucibus Iesu nomine, D. Iacobi effigie, ac similibus insignita contra se militasse, vt non omnino temerè suspicari potuerit, Christianum nomen, vna cum suis hostibus contra se conspirasse. Quid quod propè ipsius prælij tempore Ozacam euocati è nostris

nostris duo, totidem è D. Francisci familia, nec non & vnus è D. Augustini ordine alijque duo sacerdotes indigenæ ad Duces militésq; Christianos diuinis misterijs confirmandos accurrerunt, quod si ad aures eius peruenit, vt facilè est peruenisse, suspicionem auctum iri nihil dubitandum. Ex his eiusdemq; generis alijs futurorum argumentis, neophyti non videbantur temerè nouam procellam augurari, ad eamq; solitis præsidijs ad diuinam opē euocandam vtebantur. Nullus erit finis, si sacramentorū frequentiā, si orationis, eiusq; potissimum quæ in 40. horas excurrit, assiduitatem, si spontè susceptas corporis flagellationes, si cōtracta sodalitia inter viros, mulieres, ac pueros, si institutas de martyrio collationes, si huiusmodi sexcenta cōmemorauero, ea si nusquā cōmemorabūtur, vbiq; factitata solito etiā accuratius intelligi velim, nusquā desiderata, nusquā remissa, multoq; minus prætermissa. Quin potius in tanta temporū varietate, cultorumq; penuria satis mirū videri debet, potuisse neophytis tota Iaponia sparsis, ex ordine omnibus subueniri. magis admirabile, quod subiungam, potuisse nostros è suis latebris cum tot neophytis paucos, tot ethnicos ad Christum adducere, nam hoc biennio adulti bis mille nongenti Christo nomen dedisse scribuntur, quibus si addideris eos qui à Christo defecerant, & ad eum redierunt, profectò magnum laborem magna messis est consecuta.

Sed quid pepererit tandem non omnino vanus neophytorū metus videamus. Nihil eorum hic commemorabo quæ priuati Dynastę suis in ditionibus, propria auctoritate, turbarunt, hęc habent priuatum suis locis locū, sed quid ab Regia velut Imperij fonte in reliquum Iaponensis Ecclesiæ agrum eluuionis redundarit, & quidem eo anno toto qui victoriam est consecutus, vsq; ad obitum Daifusamæ, magnum in Regia de Christianis rebus silentium, fortasse quod occupati rerum nouitate animi, dum proprijs cōmodis consulunt minus curant aliena. Verum ex mortuo vix aliquot mensium fuit quies; nam septembris mense anni 1616. in Christianos edicta publica renouantur, quæ tametsi maximè ex eo dimanarint, quod filius vestigijs parentis insistere se per omnia profitetur, habuere tamen hanc quantum assequi potuimus, de ijs renouandis cogitandi occasionem. Annis superioribus relegatos in Tzugaru

ad

adortum Insulæ scriptum est permultos Miaco, & aliunde Neophytos, vt ibi eruendis syluis & noualibus exercendis, Dynastæ illius regionis operam darent, In ea Iaponia parte, hoc ipso anno iugens annonæ caritas fuit, quod Nangasaquij cum esset auditum, collata stipe aurei trecenti corrasi, è quibus Oriza coempta, Nangasaquio ad proscriptos nauigauit, vnde factum est vt eorum necessitati tempori consuleretur, priusquam eo deueniret penuria, vt indigenæ ipsi exhaustis herbis & oleribus, mortales multi fame interierint, neophyti, ad quos egestas primo peruentura putabatur, non incommodè publicum incomodum tolerarent; Pupugit ea res quæ probari debuerat indigenas, atque adeo Dynastam ipsum, molestè ferentes homines apud se proscriptos, & ad vilia colonorum damnatos officia, commodius habere quam ipsos qui in patria commorabantur indigenas, Ex eo euentu Dynasta fremens inuidiæ causam arripuit in Regiam in hanc sententiam ferè scribendi. Monebat multos esse tota Iaponiam contra edicta Neophytos, quod ex eo probabat, quod qui apud se exulabant, collecta trium millium aureorum stipe (trecentos enim iam Fama vel inuidia ducta per decem proportione multiplicauerat) à collegis submissa Oriza commodè famem, qua indigenæ multi perijssent, hactenus tolerabant, quæ summa non facilè cogi potuisset, nisi magna esset etiamnum in Iaponia Christianorum multitudo, His adde quod eodem tempore nauigium Lusitanorum cum Malacam peteret in Iaponiam, quod subinde contingit, aberrarit, eo nauigio è nostra Societate duo & alij religiosi totidem vehebantur, alijs etiam nauigijs quæ è Philippinis & Couehinchina redierant, aliqui è nostris & Iaponenses duo sacerdotes in Iaponiam appulerant, quæ omnia Corrocu Nangasaquiensis gubernator pro Safioie patruo suo non potuit ignorasse, qui ne quis eum præueniret, misso in Ægiam cursore monuit Xogun eorum qui in suum portum recens appulerant, addiditque insuper extra hos, plures alios in mentito habitu passim & impunè per varia loca diuagari, Ex alijs quoque portibus etiam peiora nunciabantur, nam è regno Tosa in Insula Ficocu scribebatur nauim vnam, dum è noua Hispania in Philippinas ferretur, orta procella eo delatam ægrè in portum confugisse, cuius sociam deinde scri-

describebant in Satcumano portu consedisse, priore naui ferebantur è D.Francisci familia duo,& aliâ plures,quatuor videlicet & viginti,ex eodem ordine,qui se ex Europa delatos aiebant, legatione missa in Europam inductos,quæ ab ipso Imperatore adornata dicebatur, de qua legatione parum his temporibus opportuna,alias memini me scribere,quæ vtinam plura non pariat mala, & hoc primum sit extremum.Satcumanus Dynasta de hac re ipsum Xogun admonuit in hunc modum, venisse Hispanam nauem,quæ religiosos habebat 50. è quibus media pars iam exscenderat priusquã ipse monitus impedire potuisset,eos qui exscenderant,nescire se vbi delitescerent,sed monere tempori,ne in hoc negotio remissus haberetur, Ita ille multis mendacijs,opera sine dubio sacrificulorum consarcinatis,obruens totius rei veritatem.

Ex his omnibus excanduit in Christianos Tyrannus, & pro eo quo rem Christianam prosequitur odio,in quo ipsum etiam parentem superabat, factus iam ex imperandi libertate potentior, sua in Christianos edicta in hunc modum renouauit; iubet igitur suo nomine à supremis Imperij gubernatoribus diploma conscribi, ab omnibus Iaponiæ regulis subscribendum, in hæc verba, Has literas nomine suæ Maiestatis scribimus. Quoniam Daifu tanto rigore vetuit legem Patrum,adhibete omnem curam, vt ne vel vnus in vestris ditionibus, tametsi colonus sit, aut è qualibet fæce vulgi,eam legem profiteatur aut suscipiat, & si contigerit Lusitanorum naues aut Hispanorum, Anglorum etiam & Hollandorum,qui eandem legem sequuntur, in portus vestros appellere, ne permittatis eos merces exponere aut exscendere, sed in portus nostros Nangasaquium, vel Firandum amandate;Sinarum porro nauigia,quocunq; in portu maluerint,liberam habeant negotiandi facultatem, Octauæ Lunæ octauo, & in 18. Septembris nostri ceciderat. Diploma hoc per varios cursores quaqua versus dimissum, vt exceptum fuerit & executioni mandatum,per singula loca videbimus, quo eam rem,quæ non vbique fuit æqualis, sum arbitratus pertinere. Hoc edicto tametsi Nangasaquienses non excipiebantur nominatim, tamen excipi videbantur, quod nominatim nihil in eos dicebatur, & sanè cum ijs nihil fuisset innouatum, nisi quorundam nimius

fortasse feruor crabrones irritasset, id quomodo acciderit ad eum quoque locum pertinebit.

DE SOCIETATIS IN IAPONIA REBVS vniuersè.

CAPVT III.

HOc biennio in Iaponia nostri minimum noue & viginti, summum tres & triginta numerati sunt, ex ijs duo Nangasaqui ij laboribus perfuncti quietem inuenerunt; sacerdos alter, alter rerum temporalium adiutor, Iaponius vterq; Sacerdos Mancius Firabaixi, alter Mancius etiam, sed Misogachi dicebatur, sacerdoti mors ingentibus doloribus euocata, maximam quoq; diuinorum solatiorum vim euocabat, quibus delibutus hæc verba Iob sæpius magnoq; sensu repetebat. Hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat. Reliqui è nostris qui ad hanc prouinciam spectant, Amacai ferè degunt, vel in Insulis Philippinis, sed ibi plures hic pauciores. De omnium spiritualis exercitationis consensione & in virtutibus progressu nihil dicam, memor institutæ breuitatis.

Nostrorum omnium in hac vinea excolenda labor est incredibilis, ex temporum iniuria duplicatus. nam excolendi sunt eodem quo prius numero Neophyti, sed à paucis non eodem numero colonis, qui etiam, si Europæi sunt, nunquam nisi in tenebris publicum vident, aut ex vno in alium locum migrant, ne diuersitate vultus ab indigenis dignoscantur; ij tametsi nusquã certas sedes habeant, plerumque tamen ijs in vrbibus aut oppidis degunt, vbi prius domicilia habebant, hoc vnum discrimen est, quod vnus, labore in orbem redeunte, aliquot locorum sępè curam gerat, vnusque multorum vicem suppleat, denique nunc Iaponensis Ecclesia suos sacerdotes habet, & reliquos rei Christianæ administros, non secus atque Anglicana suos, qui è latebris mentitoque habitu procurent vel parta tueri, vel quærere noua quæ tueantur, hoc solum discrimen est, quod latent nostri operosius, ex ipso vt dixi vultu, sermoneq;, atq; adeo, vt aiunt, ipso incessu pro Europæis facillimè dignoscendi: sed hoc etiam est leuius, quod fere non est æquale in ethnicis

cis odium religionis Christianæ, illi odio quod est in hæreticis contra Ecclesiam Catholicam & priuatim contra nostram Societatem.

Sed quoniam de ingenti nostrorum labore, quo hanc vineam vel tuentur à procella, vel instaurant illius stragem, operæ pretium est aliquorum Patrum testimonia referre in huius rei argumentum. Ita scribit ex ijs vnus. Nullus est in hac mea domo locus, præter vnam cellulam, cui per ianuam & fenestellam duorum palmorum lumen immittitur, in ea vixi clausus diebus his continuis sexaginta, non sine ingenti labore propter æstum intolerabilem, iam sex dies, ex quo in alium pagum concessi & cœlum aspexi, sed in antrum meum me actutum recipio, quod in hoc loco latere non possim. Alius scribit in hæc verba: Intra hunc annum teriui Cocuram (metropolis est Regni Bungensis) non sine ingenti labore & euidenti vitæ periculo, nocturnis horis iter faciebam, diurnis confessiones excipiebam, nec sępius egressum esse, fuit ex mea voluntate, sed eorũ apud quos dego, & qui huius Ecclesiæ sunt primores, à quibus pendet mea in hoc regno statio, tantas in omnibus angustias patior, in obscuris mapalibus, æstum, frigus, famem vsq; adeo vt non meminerim alias me pati plura, è quibus omnibus tertio quartoue in ægritudinem incidi, Non semel contigit, cum noctu iter facerem per abrupta, pede labi, & cum ipsis pedibus laceris cadentẽ, lacero vultu assurgere, sanguine subito, erumpente. facilè constat hæc parũ carni grata ideo suscipi, vt Ecclesia hæc sibi constet, & aliquando restituat nobis neophytos docendi libertatem, Alius aliunde scribit in hanc sententiam, Hoc tempore non deest nobis meritorum seges, clausus viuo in tenebris, & horas canonicas recitaturus ad rimam accedo, quæ lucis aliquid admittit, Mapale meũ stramineum est, in ipso solo stat, humidum supra modũ, vnde intra paucos dies ingentes laterum dolores contraxi, qui neq; stare me, neq; iacere permitterent. hospes meus nec famulis suis fidit omnibus, quod eorũ aliqui etiamnum ethnici sint, sed neq; filijs, quos ętas nondũ silere docuit, quia nondũ timere, atq; ita nesciant hic me cũ alumno meo latere, cibũ clã nobis submittit, eumq; sæpè tardissimè. Cib⁹ est Oriza, aqua & sale cõdita, dũ coquitur, cui ad delitias aliquid salsi piscis accedit, si cõfessionis causa excurrendũ est, id noctu fit postquã omnes

 iam

iam sopiti creduntur, sæpe ad mediam noctem, sæpe in auroram excurrimus. Et nihilominus cum his alijsque incommodis, maioribus solatijs afficimur, quam cum nuper nostram retinebamus libertatem, neque hæc solatia in solo sunt spiritu, in corpus ipsum videntur præ copia redundare, nam intra paucos dies ex ijs doloribus conualui, & alias ægritudines, quibus olim tenebar expuli. Alius quoque inter cætera hoc affirmat, vescimur ad mensuram, ac velut vnciatim iam dudum, cibus est Orizæ pila, eaque propè cruda, quæ mihi clam per foramen inijcitur ab ijs qui me domi suæ occultarunt, loco angustissimo, non fidentes etiam eiusdem domus inquilinis, & ex his incommodis non solum non exij æger, sed solito valentior, & morbos quos antea patiebar, hac velut dieta decoxi. Fusius aliquanto alius ex partibus Cami scripsit, in hæc verba, Iam fere biennium est, ex quo de domo in domum, ex oppido in oppidum perpetuo sine vlla quiete demigramus, ne hos neophytos animo ad ferendam persecutionem destituamus, latitamus in Iaponum mapalibus, cibis insuetis vescimur, perpetuo, non nostra sed hospitum nostrorum causa trepidamus, ne tenues illorum fortunas ac vitam ipsam in discrimen vocemus, *& metus noster post Ozacense bellum accreuit, ex eo quod Daifu iubente, nusquã non essent exploratores, qui coniuratos inuestigarent, qui si in nos incidissent, par erat eorum periculum, qui nos occultabant, quod contra eiusdem edicta, tota Iaponia proscriptos domi suæ occultarent, & quoniam externi sumus, non possumus æque latere, vt in Anglia sacerdotes Angli, nos ipso vultu signum, quo prodimur gestamus, vnde non æque pronum est, vt illis, occultari. O nos felices si hac causa vitam posuerimus. Hæc ille. De alio quoque scribitur sene illo & cui anni ad onus erant satis, ingressum sibi fecisse facilem in vrbem ad quam euocabatur, baiulum mentiendo, & nocturnis horis onustum sarcina, eo penetrasse magno suo vel neophytorum solatio, qui boni senis industriã caritatemq; maximoperè suspexerunt. Alia his similia permulta contigere, quæ materię similitudo à scriptione liberat, maximè quod idipsum magis constabit ex ijs, quæ per singula capita infra narrabuntur.

Sed non nostri solum in suis laboribus ac periculis exultabant, ipsi

ipsi neophyti magistros secuti, certatim nos excipere etiam cum capitis fortunarumque periculo gestiebant. & si quando cautè ac timidè nostros custodirent, nostrorum periculum, non timebant suum. Nobilis matronæ breues literas huius rei testes subiungam, ad nostrorum in Iaponia superiorem. Ludouica illa dicitur, Soror Didaci Fato Cangayamo noti nostris annalibus, ob veterem illam insignemque in tuenda fide constantiam. Ex eo quod Dynastæ nostro (scribit illa Bungi) scriptum sit Miaco vnum è Societate sacerdotem comprehensum, nō defuit qui nobis suaderet, vt eum quem domi habemus, Nangasaquium remitteremus; verum maritus Ichinocami affirmat, quod, vt maxima sit Miaci vel alibi persecutionis furia, nihil sibi noui posse contingere, quod non ea determinatione qua sacerdotē excepit, abundè contineatur, quod si creuerit inuestigandi solertia hostibus nostris, nobis crescet occultandi cura, qui si tandem proditus fuerit, votorum nostrorum faciet nos compotes, quibus etsi peccatores ad offerendam Domino vitam nostram ex singulari eiusdem beneficio aspiramus, vna cum nostro Patre, in cuius gratiam libentes, quæ Dei causa est, moriemur, & si fortè P. V. eum reuocauerit, sciat nos semel iterumque ac sæpius repugnaturos: Nam si quid Miaci erit periculi, ne Nangasaquium quidem erit immune, & quo euidentius erit periculum, eo ardentioribus votis Patrem retinemus, Deoque seruimus. Hactenus Epistola, quam hic exhibui velut exemplar cæterarum, quas vt breuis sim prætermitto, ad singula iam tandem ordine solito descensurus.

DE NANGASAQVIENSI Ecclesia.

CAPVT IV.

QVi oppidum Nangasaquiense, emporeum ad mare tota Iaponia celeberrimum, Christianæ religionis asylum, contra idololatriæ perfidiam appellarit, Nangasaquium suis coloribus vno velut lineamento depinxerit, eo enim plerique à patria pro fide proscripti profugiunt, fortasse vt hi omnes, cum reliquis alibi comparati, propè numero excedere videantur; De ijs nolo com-

munia, quæ vix sine illorum iniuria commemorari possunt, quasi quis dubitet non esse hodie, quod semper fuerunt Nangasaquienses exulum hospites, pauperum parentes, martyrum raptores, sodalitiorum auctores, sacramentorum si, dicere liceat, helluones, orationum publicarum institutores, corporis afflictionum inuentores, denique vt vno verbo cætera comprehendã, Ecclesiæ Iaponensis absolutissimum Christianæ pietatis exemplar. Eam vrbem præter alios religiosos & indigenas sacerdotes fere quatuor, è Societate nostra septem hoc tempore in latebris suis incolunt & excolunt, ex ijs quatuor inter se vrbem partiti munus suum exercent, reliqui tres, neophytos ferè suburbanos; ad eos excipiendos certatur à ciuibus tametsi proposita morte, ne hoc facerent, cum pelleremur inhibiti sunt, sed non deterriti: solent dicere se nunc in hac procella videri sibi beatiores, quod domi suæ sacerdotes excipiant, quod quietis rebus, cum domicilia nostra incoleremus, non licebat. Templa omnia & collegium, ac reliquæ sedes nostræ stare permittuntur, sed clausa sua solitudine squalent, & nobiscũ lugent sordidata. Verum dici verè potest pluribus locis modo sacra fieri, & neophytos conuenire quam prius. Nam plurimis suis in domibus oratoria pereleganter adornarunt, ad quæ sacerdotes euocati sacra peragunt, eaque omnia faciunt, quæ in templis ante consueuerant, tantusque est concurrentium, vbi rescierint, globus, plus vt nunc laboretur in ijs continendis, quã olim in ijsdem excitandis.

Non idem fuit hoc biennio rerum status Nangasaquij, toto eo tempore, quod ab Ozacensi victoria ad Daifu mortem, & aliquot alios deinde menses pax fuit, qualis per reliquam ferè Iaponiam, pax inquam nullis nouis edictis irritata, sed magis bellicis rumoribus potius, quam vllo principum fauore bellum intermissum. Edictum porrò septembri mense ab hærede scriptum, vt cap. 2. Diximus, Nangasaquij tum nihil admodum res commouit, nam edictum est publicè, vt Christiani suæ religionis exercitia domi continerent, nec vllus ethnicus aliunde commercij, vel alterius rei causa commeans à Christianis in gregem suum adscriberetur. Verum postea cum Nangasaquij cõmodè res flueret, sed fortasse minus caute ageretur, quam tempora suaderent, nouis edictis cautum, ne

quis

quis sacerdotem quemcunque exciperet: eiusque criminis pœnam non ea solum domus sustineret, quæ illum occultabat, sed vicinæ decem, vtrinque quinque luerent non inæqualem, quod in edicta regia peccantes non prodidissent, qui modus iam diu apud Iapones inuectus, vix quicquam esse sinit occultum. quibus edictis Europæi religiosi quatuor, primi in hac persecutione iugulum fidei causa ferro præbuerunt, Hęc vt se habuerint aggrediamur enarrare, sed quoniam hæc Omuræ gesta sunt, non Nangasaquij, quæ in toto Regno Figen persecuturi, Pauli cuiusdam insigne martyrium prius illud tempore præmittemus.

IN REGNO FIGEN PAVLVS TAROSVQVE pro fide obtruncatur.

CAPVT V.

XImadonus Figensis Regni maximam partem Dynasta, priusquam in Christi fidem hæc edictorum, ab Regia fulgurum murmura detonarent, non alienus esse à Christianis videbatur, sed in hoc tumultu ad Imperatoris nutum factus, acriter apud suos institit, vt Christum abdicarent, nam præter exilia neophytum quendam, cui Pauli Tarosuque nomen erat, extremo supplicio in hac ipsa causa damnauit. erat is ex Regno Iamaxiro Miaci natus & educatus, sed in Regno Chicungo, in eius metropoli Christum agnoscens à nostris fuerat baptizatus. Idem ante aliquot annos factus iam Regni Figensis incola, in eius metropoli Riuzogi artem inaurandi discebat. In prima huius persecutionis procella, cum eo prima illa in Christianos edicta iubente Daifu peruenissent, magna in vrbe fuit perturbatio, ad detegendos, vocandosque Christianos instituta. quin ipse Pauli magister, & eiusdem collegæ qui eandem artem discebant, è viuendi ratione Christianũ illum agnoscentes, acriter apud eũ institerunt, vt Christo terga verteret. diu restitit ille, donec intra cubiculum retruso, minarentur se illũ nõ nisi negato Christo educturos. Nutauit ille nõnihil, ac dubie locutus, vt solueretur impetrauit, sed huius fraudis ita illũ deinde pœnituit, vt denuo sit protestatus apud eosdem, se fuisse

esse.

esse, ac semper forè Christianum, tametsi eorum minis victus nonnihil nuperrime titubasset. Inde ad sacerdotem quærendum excurrens peccatum suum magno pœnitentis animi sensu expiauit, & in posterum pro Christiano se gessit, nihil veritus edictorum rigorem, vitæq; quod adibat ex ea professione periculum.

Exacto post hęc biennio, cum denuo recruduissent edicta, denuo etiam Paulo nostro sua prælia recreuerunt, vrgente vrbis Præfecto vicini amicique instant vt Christum eiuret, renuit primum fortiter & obfirmate, sed cum exscripsissent chirographum, quo se Christi sacra deserere profitebatur, arrepta manu effecerunt, vti per vim subscriberet, in quo tamen non omnino culpa videtur caruisse. Id chirographum ad vrbis Præfectum defertur, vicinis ratis se homini magnum vitæ conseruatæ beneficium contulisse. Interim Paulus iterum pœnitens, quod iam secundo Christum turpiter deseruisset, conscientia iudice torquebatur, non illi cibus sapiebat, non somnus obrepebat, satis dubio quid ageret, & qua ratione seipsum à suiipsius carnificina liberaret, neque enim illi tum suppeditabat præsens remedium, absentia sacerdotis. Constituit ergo ad ipsum vrbis Præfectum pergere, palinodiam recantare, chirographum repetere, sed dũ differret vel metu, vel fortasse pudore præpeditus; ecce tibi diuinæ procul dubio prouidentiæ nutu, quæ ipsum ad martyrium destinaret, occasio labitur in manus eius, quod maxime tum cupiebat, peragendi, cui cum v beriore influxu gratia succurrisset, animosior solito, de tyranno cœpit triumphare. In ea quippe cogitatione positum, vt ad Præfectum pergeret, missus ab eodem iustitiæ minister, pulsatis foribus interpellat; admissus in ædes profert chirographum, dicit vrbis Præfecto minus placere quod in eo desit, quam Iaponensium sectarum suscipiat, quemue sacrificulum eligat in magistrum, cuius etiam sacrificuli magisterium admittentis chirographum desideraretur. Irruit in Paulum Spiritus Domini, arripit chirographum, lacerat, comburit, & in hæc verba deinde prorumpit, Dic amabo te, Præfecto, me non solum non aliud chirographum scripturum, sed quod ex eo tempore, quo ad hoc ipsum subscribendum me cogi permisi, nullam ceperim quietem, mali quod à me commissum lugebam, conscientia perturbatus,

batus, & apud me iam ipse statueram ad illum ipsum adire, chirographum repetere, & de fide mea dubium, extremo responso fidei meæ reddere certiorem, deliberatum esse mihi viuere morique Christianum, super quo negotio requisitus quoties placuerit, ipsi me sistam, & calicem Domini mei post hac nihil dubius epotabo.

Redit internuncius ad Præfectum, qui audito responso nihil vltra tentandum, aut cunctandum ratus, mittit eodẽ die 24. Octob. 1616. nocturnis iam horis, militum manum, qui non sine ingenti tumultu Paulum nostrum in custodiam publicam, vinculis onustum pertraxerunt, ibique adhibitis excubitoribus dimiserunt, ibi iam demum sibi persuasit, se non nisi cœleste iter arrepturum, è vinculis istis dimittendum, frequenti se oratione, altiore voce concepta ad fœlicem exitum comparabat, & memor quam tepidè seu potius trepidè semel iterumq; se in Christi confessione gessisset, ex impetratis à suis custodibus, funiculis flagellum armat, eoque manum induens, totam vnam sine vlla intermissione noctem, pernox se flagellat, donec aurora exeunte, à flagellatione fatigatus abstinuit, stupuere qui audierunt, ad tot verbera custodes, nec satis capiebant Pauli, Christianæque religionis, quo moriturus videbatur, ardorem. Postridie porrò matutinis iam horis, neophytis valedicturus, ad quinque nominatim, quibus familiarius vsus fuerat, breue hoc expedit epistolium. Ardens desiderio, vitam in obsequium Dei ac Domini mei Iesu Christi consecrandi, vinctus teneor isto carcere, si morti adiudicatus fuero, magni eam rem æstimabo, & Deo meo multis gratulabor, rogo vos igitur, vt eidem Domino accuratè me commendetis. nona Luna. die 15.

Eo ipso die sub vesperum, minister Præfecti venit in carcerem, & in Paulum sententiam mortis enunciat, quam ille eadem animi serenitate excepit, qua cupiditate exoptarat, Compellato deinde illo, cui sciebat exequendam sententiam demandari, rogat illum seriò vt in crucem ageretur, habere se depromptas è Christiana disciplina causas, cur hoc ipsum postularet, negat ille, causatus deesse ex mandato vel tempus, vel apparatum, eum iussu Dynastæ obtruncandum, Acquiescit Paulus, & è vinculis, vt coniecerat egressus, in cœlum se ferri iam cogitabat, & cum venisset ad locum, impetrato

ad orationem spatio, sanctissima Iesu ac Mariæ nomina inuocans primo ictu iugulatur, Octobr. 25. cum annum ageret ætatis plenitudinis Christi tertium supra tricesimum. Nondum expleta sæuitia Iaponius carnifex sicam probaturus, truncum cadauer altero ictu aggressus, prope illud circa pectus in duo frusta diuisit, ac deinde vili storeæ inuolutũ, in vicino agro terræ commendatur. Caput vnus ex satellitibus secum detulit, ratus fortasse Præfecti mandato pro murorum pinnis, vt sæpè fit, exponendum, sed & illud storeæ fragmento etiam obuolutum humatur, donec vtrumq; clam neophyti rapuerunt, & Nangasaquium, vt asseruaretur, tulerunt.

Non eadem fortuna vsus est alius in eodem regno Figensi, qui cum iussus est occidi, nulla sua culpa votis excidit, & coronam martyrij, sed non meritum, vt speramus, amisit. Is olim apud suos sacrificulus fortè Nangasaquium venerat, & ibi conspecto Christianæ religionis ardore exarsit & ipse, & necessarijs præceptis imbutus baptizatur, & domum reuersus, abdicato sacrificuli munere legitimas nuptias cum superstitioso cœlibatu permutat. Is quo tempore renouatur in Christianos procella, interrogatur à nescio quo idolorum cultore, ex ea secta, quæ Dæmonem ipsum sine alio numinis fuco veneratur, esset nec ne Christianus? Non sum, inquit, ex optimis, sed quoad vires meę ferunt, eam legem profiteor. Vadit ethnicus ad Præfectum, prodit hominem, & mox submissis famulis iubetur occidi; quod cum noster præsensisset, obuius fit suis interfectoribus, domum abducit, frugali conuiuio pro sua tenuitate excipit, qua humanitate, quod minus optabat, aut cogitabat, impetrat. Hortantur hominem igitur tanta humanitate capti, vt se tantisper subducat, dicturos se tyranno, se fuga lapsum non reperisse. Absit, inquit ille, vt oblatam pro fide mea moriendi occasionem abijciam, perficite quod habetis in mandatis, præsto sum. Attoniti hoc responso diu substiterunt, & tandem hominem dimiserunt, sibi sumentes Præfectum ab hac sententia, quod & fecerunt, abducere, quo euentu fortis Christi athleta tantum doloris concepit, quantum alter gaudij, qui præsentem mortem illæsus euasisset.

OMV-

OMVRÆ DYNASTA RELIGIOSOS EVROpæos, quatuor è singulis ordinibus, singulos obtruncat.

CAPVT VI.

NOndum in hac à Daisu commota in Christum tempestate vllus Europæorum Ecclesiæ ministrorum obierat, cum fuisset hactenus in solos indigenas proposita morte sæuitum, externi sola proscriptione plectebantur, sed tandem aliquando Domino placuit quæsitas post tot maria coronas, quibus paratæ ab æterno fuerant, elargiri; nam è quatuor religiosorum ordinum familijs, quę in Iaponensiũ hodie salute desudant, videlicet D D. Dominici, Augustini, Francisci & Societatis Iesu, è singulis singulos elegit, quos eodem ferè tempore hac martyrij gloria insigniret, quod etsi adhuc parca manu concedi videtur, spem tamen acuit fore vt in posterum plures eandem gloriæ societatem consequantur. Id hac occasione scribitur accidisse.

In his postremis fidei certaminibus Daisu, & filius cum Nangasaquiensibus mitius sese semper habuerat, nam etsi deleto Nangasaquio, religionis Christianæ iugulum peti videbatur, ille tamen vt erat externi commercij cupidissimus, noluit illud emporium Lusitanorum portum acrius quam edictorum minis, & interdicto palam religionis exercitio, dimissisque fidei magistris, nec aliter diuexari; id maximè patuit, cum annis proximè superioribus, Arimensibus instaret Safioye, cum suis tamen Nangasaquiensibus sæuire tam diu distulit, dum Ozacensis belli rumor minas interturbaret. Quin etiam hoc ipso tempore, cum tota Iaponia nefas esset aliquem in suis terris, etiam è vulgo tolerare Neophytum, à solis Nangasaquiensibus exigebatur, vt religionis suæ exercitium intra domesticos parietes continerent, nec posthac ethnicum vllum Christo aggregarent. Ex hac Nangasaquiensium velut immunitate, cœpta est ibi maiore quam fortassis oportuerat libertate res Christiana tractari; id ex eo accidit, quod cum ibi Religiosorum ordinum quatuor, & aliqui sacerdotes indigenæ delitescant, nullusque sit cui sede vacante pareant omnes, sed singuli suum superiorem agnoscant solum,

hinc fit, vt non sit vna rei Christianę tractandæ ratio, & licet in eundem scopum, non eadem omnes tamen via collimant, sed arbitratur vnusquisque suum esse optimum quod concepit. Ex neophytorum etiam parte, quicquid est in hoc genere diuersitatis, ex eodem quoque fonte procedit, quod ijs contingat id quod olim scribit Apostolus, Ego Apollo, ego Cephæ, ego verò Pauli. Alij putant Imperatori, quoad fieri potest, salua fide parendum, tempori consulendum, & orta procella libertatis vela nonnihil contrahenda; alij Zelo ducti, faxit Deus vt sit secundum scientiam, feruori suo indulgentes turpe putant, cedere, latere, conniuere.

Ex hac nimia libertate constare cœpit Iaponiæ vniuersæ, esse Nangasaquij, contra duorum iam Imperatorum edicta, sacerdotes. cum enim illud sit emporium, in quod commercij causa negotiatores ethnici vndequaque conueniunt, ad suos hunc de sacerdotibus rumorem referebant, & simul suspicionem, non paucos fortasse alibi, & tota Iaponia multos occultari. Huius rei fama cum ad supremum Imperij senatum delata peruenisset, & ita vt iam dissimulari, salua Imperatoris auctoritate, vltra non posset, totam rem ad ipsum Xogun detulerunt, veriti ne, qua alia via, res ad eum suo periculo penetraret; nam cum soleat Xogun, ex quo Imperium adeptus est, secretos quaqua versus expedire inspectores, quos Nangasaquium etiam non dubia fide venisse ferebant, facilè erat suspicari eum nihil eorum quæ Nangasaquij gererentur, ignorare.

Id temporis Omuræ Dynasta, nepos Bartholomæi Omurandoni in Regiam iuerat ex more, sub initia redeuntis anni, eum igitur supremus senatus negotijs breui expeditum remittit cum mandatis, vt Nangasaquij diligenter exploret, num quem sacerdotem è latebris eruat, & contra edicta fecisse deprehendat, ferunt eum initio nihil aliud in mandatis habuisse, quam vt deprehensos denuo ex Iaponia tota dimitteret, sed postmodum nouis mandatis, vt morte mulctarentur imperatum. Hoc autem negotium huic Dynastæ, quam vlli alteri demandatum, non id solum vicinitatis iure, sed quia anno 1614. vt omnes emitteret, eiusdem curæ fuerat commendatum, vnde & hæ, prioris velut negotij reliquiæ, videbantur ad illum quoque iure pertinere. Et hic est Dynasta filius Tangodoni,

qu

qui Tangodonus cum è cunis ipsis Christi fidem ad multam ætatem eduxisset, demum ante annos aliquot Christo terga verterat, & ad simulacra redierat, subditos suos, quoad potuit secũ trahens, & cum tandem huic filio suo Mimbudono ditionem tradidisset, reseruato sibi censu, quantum satis esset ad familiam sustinendam, tandem inopina morte perijt, cum sororẽ suam Marinam Augusto mense 1616. visitasset, doloribus correptus acutissimis, à quibus iudicio priuatus, intra biduum extinctus est, sed ad institutam narrationem redeamus.

Non fuere ita secreta, quæ Omurensi Dynastæ fuerant demandata, quin Nangasaquij obscurè tamen prorumperent. Ergo Vrbani magistratus, qui omnes sunt ex selectissimis Neophytis, inter se deliberabant, quid de Patribus rogati responderent, adeunt igitur Prouincialem nostrum (Prouincialis enim Amacai degebat) vt aliquot Amacaum amandaret ijs nauigijs, quæ in Cochinchinam propediem solutura dicebantur, posse cæteros è nostris in vicina loca tantisper emitti, dum exploratorum primus feruor tepesceret, vt etiam possent rogati non falsò affirmare, nullum delitescere Nangasaquij sacerdotem. Visa est superiori non iniqua magistratuum postulatio, ergo ijs nauigijs quinque dimisit; cæteros in opportuna loca ita dispertiuit, vt tamen subitis neophytorum casibus, sacramentorum præsidia non planè deessent. Idem fecere Religiosi cæteri, quorum alij, cum soluere se simulassent, clam redibant in portum, alij denique alio dilapsi, vrbem vel omnino reliquerunt, vel intra illam cum nostris perpaucis, quam occultissimè se occultarunt.

Vix benè rebus ita compositis, nauigia è portu soluerant, cum ecce tibi Omurandoni familiares, velut aliud acturi, solertissimè sed frustra sacerdotes inuestigant, nec defuere qui Iudam imitati è Neophytis facti sunt proditores, nusquã enim id genus hominum deest, quod Apostolico duodecim collegio constat minimè defuisse, qui tametsi confessionum prætextu se tegerent, non fuere tamen ignoti. Cum nihil Omurenses proficerent, ex oppidi moderatoribus quærunt, vbi delitescerent? si eos tempori proderent, nihil sibi, nihil hospitibus, qui eos occultassent, mali creaturos, si alijs indicijs proderentur, omnes legum recens latarum atrocitate mulctan-

dos,sed quotquot interrogati sunt, candidè se de Patribus, vbi laterent, ignorare responderunt, nec ipsi fallebant quæsitores, si qui enim Nangasaquij supererant, ita paucis conscijs latebras elegerant, vt sine mendacij conscientia cæteri, quod erat, affirmarent. Nangasaquij ergo tum quidem Patrum exploratio sine vlteriore iniuria conquieuit, nam cum Omurensis Dynasta Patrem habuerit Auumque Christianos, & ipse quoque infans sit baptizatus, facilè Christum profiteretur, nisi pluris faceret ditionis quam animæ salutisque iacturam; Præterea optandum erat Dynastæ, post accuratam inquisitionem nullum reperire, ne si multos deprehendisset, remissus, cum illos eiecit, fuisse videretur.

Hoc igitur rerum statu Nangasaquij relicto, ex quo sequens narratio dependet, ad martyres hoc nobis capite propositos veniamus. Ex ijs qui à Prouinciali Nangasaquio dimissi sunt, vt jam diximus, P. Ioannes Baptista Machado vnus fuit ex Insula quam Terceram Lusitani vocant, oriundus, illi Neophyti Omurenses & Insulares in Goto visendi incumbebant; ergo ad suam stationem Nangasaquio emissus numerum minuebat & munere fungebatur, & vt videas martyrij lauream non esse neque currentis, neque volentis, sed miserentis Dei, qui videbatur extra ictum teli remotis in Insulis tutus, capitur, & qui Nangasaquij vel sub vrbem latet, quæsitus etiam nominatim euadit. Nam Omurenses ex ijs quæ Nangasaquij didicerant, assecuti sunt, multos quidem ibi nuper delituisse, sed eorum nonnullos postremis nauigijs abijsse, alios alio dilapsos Nangasaquium reliquisse. Mittuntur ergo exploratores terra marique, nam sicut Omurensis Dynastæ rebus consultum non erat, plures deprehendere, ita ad ostentationem industriæ cupiebat vnum aliquem alterumue, non plures aucupari.

Primus itaque qui in exploratorum manus incidit F. Petrus ab Ascensione dicebatur, è D. Francisci familia, proditus est ille nebulonis indicio, qui sacerdotem ad ægrum confessione expiandum mentita pietate disquirebat. Captus est non procul Nangasaquio, in pago, cui nomen Quinquizu, in terris Isafai, & in Omurensem ditionem abductus in locum, cui nomen Cori, excubitorum fidei commen-

mendatur, eo quoq; ipso tempore in sacerdotem indigenam, Nangasaquio scapha soluentem, exploratores inciderunt, qui tamen vt erat indigena, nescio qua arte, sed tamen exploratorũ manus euasit.

Egressus igitur noster Nangasaquio, circa loca vicina & in Omurensi ditione se in exercendo suo munere detinebat, quod in Insulas nauigandi non esset opportunitas, & cũ deinde transmissionẽ pararet, aduersis ventis repulsus, Firandũ petijt, facilius, inde vt aiebant, transmissurus. Interim dum nauigandi cõmoditas expectatur, noster solitis suis munijs occupatus Nangasaquio monetur à sodalitio quodam, cui prius ille præfuerat, spargi rumorem constare iam in Insulas amandatũ, eo exploratores ad eum comprehendendum nauigaturos, rediret potius Nangasaquium, securior ibi futurus, nam inuestigatores inde, nomine deprehenso, discesserant; aut si mallet, ex eo portu in partes Cami curaret se transportari, posse ibi sine periculo præsens periculum declinare. Accepto ille hoc nuncio, instituta super hac re seria ad Deum prece, constituit se non alio, quam quo à superiore mittebatur, abiturum, nihil temerè fieri, cum fit quod iubetur. Neophytis verò gratiam habuit, addiditque se, si in locis suæ curæ commendatis caperetur, duplicem coronam manere, alteram martyrij, alteram obedientiæ. Exploratores prædam secuti, in Omurensi ditione Patris vestigia ex auditis vbiq; confessionibus odorati, non enim defuit qui proderet, eumq; quacunque transierat, persequentes demum Firandum peruenerunt, sed iam in Insulas noster vocante repente vento, breui nauigatione transmiserat, eoque peruenerat Aprili, anno 1617. in portu, qui Canoco vocatur exscendens. Et quoniam iam de eius aduentu exploratorum literis moniti erant magistratus, postridiè quam appulerat, dum pœnitentibus aures daret, ingressus est adolescens, quem sibi deinde suspectum fuisse Pater dicebat, à quo moniti extemplo magistratus in ædes irrumpunt, eo ipso tempore quo iã expiatum pœnitentem absoluebat, absoluendi formula ritè pronunciata noster assurgit, & magistratibus obuius factus, cum audisset se ab Omurensi Dynasta ex Imperatoris mandato comprehendi, quod eius edicta neglexisset, ita respondit. Hæc vincula non refugio, sed ea sunt, quæ ab ipsa Europa in Iaponiam vsque:

vsque quæ siturus aduenit, nec vlli hoc nomine succenseo aut quicquam queror, quin potius Deum obtestor, vt ijs qui ad hoc mea vincula quicquam contulerunt, hoc peccatum dimittat & condonet.

Omuram reuehendus noster, aduersis ventis biduo detinetur, quo biduo, magistratibus volentibus, sacrum fecit, & SS. Sacramentis Neophytos expiauit, eosdemque magno spiritu cohortatus dixisse fertur, se septennem puerum de Iaponia inter suos audijsse, ex eoque tempore ad eos Christo adiungendos animum concepisse, vnde nunc exultet in Domino, quod suorum se votorum etiam supra spem summum videret assecutum. Nauigium conscensurus, custodes suos rogauit, vti vinciretur, sed non obtinuit, quod dicerent, nihil esse quod vinciretur is, qui vinciri cupiebat. Soluentes igitur veniunt in Insulam, iam in Omurensi ditione, in qua nautas & neophytos dimiserunt omnes, præter Patris alumnum, qui summis precibus vix à ministris impetrauit, vti comes esset magistro, quod dicebant se solos quærere sacerdotes, nec habere in mandatis vt religiosum laicum comprehenderent, etiam deprehensum. Impetrauit tamen bonus alumnus, Leo dicebatur, tum quidem vt Patri comes esset, postea etiam vt vinculorum, ac deinde coronæ particeps in eandem martyrij gloriam vocaretur. Inde moram inijcientibus ventis non nisi 29. Aprilis Omuram deuenerunt, vnde postridie iam nocturnis horis, cum facibus incensis, abducitur eum in locum, vbi F. Petrus tenebatur, qui ex tumultu se ad iugulum peti suspicatus, in orationem incumbere aggreditur, cum ingreditur noster; eaque vinculorum Societate non parum est vterque recreatus, hic nouis precibus Leoni certandum fuit, vt ijsdem vinculis teneretur, quod tandem agentibus vinctis impetrauit, ac sedulo quibus in rebus potuit, vtrique ministrauit.

Ex hac sua custodia literas scripsit ad aliquos, è quibus ternas, quarum exempla ad manus meas venerunt, à me impetrare non potui quin hic insererem, nihil prolixitatem veritus, sua vt spero pietate salutarem. Ita igitur ad eum scribit, qui Nangasaquij nostris præerat, 3. Maij. Hodiernus dies est duodecimus, ex quo comprehensus sum. Deo gratias ago, quod eam mihi quietem dederit, vt

nihil

nihil magis cupiam, quam eum vitæ statum, quem in hoc ergastulo sum consecutus, eidem gratias ingentes habeo, quod ex ea hora, qua me video detineri, nihil aliud occurrit, quam quod me in cruce fingam, aut sub ictu sicæ Iaponensis. Benedictus sit Dominus, qui ad hunc modum suos solatur, pro se vel exigua patientes, vim verborum sacræ scripturæ, & robur spiritus, quod conferunt, nunquam alias sum assecutus, nisi ex quo me video in hoc rerum statu constitutum: atque ita Imperiorum orbis in vnum collecta potentia non videtur mihi vnius è terra vermiculi vires æquare. Facilè intelligo me in hanc rem nihil conferre, totumque esse Dei ac Domini mei beneficium, cum quo, & pro quo in finem decertabo. Vnum dolebo, si eius causa parum pati me contigerit, jam est quadragesimus dies, ex quo ingenti dolore crucior, qui ex huius carceris, qui est in media palude, humiditate ita increuit, vt nullam quietem capiam, id in magnis Dei beneficijs repono, vt quoniam hactenus mecum mitius agitur, hos dolores, qui similes sunt mortis doloribus, à Deo immissos alacriter feram, & inueniat Dominus quo me probet, cum præter peccat.. .nea nihil sit, quod me afficiat, non carcer, non ipsa mortis expectatio. Hactenus ille.

Ex alijs literis, 17. eiusdem mensis Maij datis, excerpsi quæ sequuntur. Afficior vestrorum laborum & angustiarum recordatione, sed Dominus, qui hæc ita deiponit fines suos habet, quos nondum assequimur; & quoniam causa ipsius est, & ille omnia moderatur, credi debet eum omnia ex maiori sua gloria, & huius Ecclesiæ nostroque omnium bono directurum. Hæc me cogitatio contentum facit, eique gratias ago, quod mei memor fuerit, cum animum subministret, quo labores omnes, totiusque mundi tormenta, pauca esse mihi fingo, quàm nihil sit, quod ex me possum, quàm multum, auxilio eius instructus, quod nunc experior, Bonus Iesus eos qui se ipsi tradunt non deserit, quæ promisis explet ad amussim, nemo eum inuocauit, qui non eum inuenerit, non deserit suos in vinculis, in tribulationibus non derelinquit, & ideo diuina eius lex iugum, quod semper est duorum, appellatur; vt soli patiamur, ipse non patitur. Id iugum etsi natura sit plerumq; insuaue, tamen est & vocatur, quia socium habet, qui, quod est

 ponde-

ponderis, in se suscipit, & ita nostræ infirmitati accommodat, vt non patiatur nos tentari supra id quod possumus. Gratulor igitur ex animo Deo, eiúsque me voluntati accommodo, tametsi velit me incommodiore ergastulo ad diem iudicij detineri, nam si de me ita disposuerit, vires quoque in huius itineris longitudinem suppeditabit, si me voluerit è contra vitam hodie reddere, quam in eius obsequium impendendam accepi, beneficio gratus non repugnabo, satis certus, quod vt vt fuerit, me tametsi peccatorem indignissimum non derelinquet, & ita cum Propheta dico: factus est Dominus refugium pauperi, & adiutor in tribulationibus, Iesum Christum habemus pro refugio, quotquot eius causa omnia relinquimus; sumus enim pauperes, habemus fidum in tribulationibus adiutorem, qui tempore subuenit opportuno, velut amicus semper & vbique fidelissimus. Hactenus ad eundem literæ.

Ad alterum denique scripsit in hæc verba: Captus sum in Goto, cum ad absoluendi formulam manum erexissem, eâ pronunciatâ, magistratibus occurri, ea dixi quæ Dominus id temporis in os immittebat. Huc in Cori pertractus sum, & custodior diligenter, vtinam etiam aliquid in eius causa paterer. Benedictus sit ille, à quo maiora meritis beneficia suscipio. Affirmo R^{x}. V^{x} & ipsissimam scribo veritatem, Præsentem rerum mearum statum, cum totius Orbis imperijs vel sæcularibus vel Ecclesiasticis neutiquam permutabo, nunquam alias vixi mea sorte æquè contentus, nunquam æquè hilarem me sensi, nunquam æquè sine cura sine sollicitudine me reperi. Benedictus sit Deus à quo ita copiosè compensatur tantillum illud, quod in eius causa toleramus. Nunc quod vincula patior, vt Euangelij præco, videor mihi iam aliquod de munijs Societatis Iesu assecutus. Hactenus noster, iam velut entheatus, diuinoque spiritu correptus, animo suo indulgebat, vt videas ab eo sperandas hoc euentu vires à quo conferuntur, nec timenda pericula, quibus eripimur à potenti Dei manu proprijs viribus omnino diffidentes.

In suo carcere, dissimulantibus magistratibus, nostri à die Pentecostes ad alteram diem post festum SS. Trinitatis, in quem incidit eos plecti, quotidie sacrificium missæ obtulerunt incruentum,

entum, mox de se cruentum oblaturi. Eo ipso die, qui fuit Maij secundus & vicesimus; Dynasta misso internuncio vtrique significat venisse ab Regia supremi senatus mandatum, quo mactari iubebantur, quod illa ipsa nocte vt fieret, imperabat. Eum nuncium vterque hilaris vel maximè excepit. P. F. Petrus dicebat se, per eos dies sacrificantem vel orantem aliud nihil à Deo postulasse, & quod auditus esset, se Domino maximoperè gratulari. P. Ioannes Baptista respondit se tribus in vita sua diebus, præ cæteris, maximo gaudio delibutum, cum societatem ingrederetur; cum nuper caperetur; & nunc cum de morte moneretur. Abijt cum vtriusque responso senator internuncius, & athletæ nostri se ad agonem comparabant, & prolixius orantes, modo in silentio, corde clamabant, modo in externam vocem erumpentes Christi in cruce pendentis effigiem piè amplexati cum eo suauissimè colloquebantur. Deinde mutuo se mutuis peccatis expiarunt, simul se vterque flagellauit, tum psalmos aliquot cantu elatiore decurrerunt, & cum aliqui ad eos, vulgata iam fama, concurrissent, aptis eos cohortationibus accendebant. P. Ioannes Baptista, postquam est de morte admonitus, breuissimè ad superiorem scripsit in hæc verba. Hac ipsa hora laureatus ad me martyrij nuncius aduenit, morior solatio plenus, quia pro bono Iesu morior, ago illi gratias, quod me licet indignum, tam insigni beneficio affecerit.

Cum iam dies vergeret in occasum, impiæ sententiæ ministri conuenerunt, vnus ab ethnico senatore Nangasaquiensi missus, alij tres ab Omurensi Dynasta destinati, iubent Patribus cibum parari, sed illi iam se nullo ad sustinendam vitam cibo indigere professi, qui ad eam sustinendam duntaxat debet adhiberi, ac tum denuo alter alterum de peccatis confitentem excepit, tum simul Litaniarum ritu sanctos in auxilium omnes euocarunt, quibus expletis è carcere emissi, ad locum martyrij perrexerunt. Aberat is leucam ferè dimidiatam; gestabat vterque manu suam crucifixi effigiem, & subinde ex itinere alter alteri succedens, neophytos qui multi comitabantur, exhortabatur ad ea, quæ tempori erant opportuna, sed quoniam omnes ingenti planctu eos prosequebantur, non satis fuerunt, quæ dicebantur assecuti, cum ad locum ven-

tum esset, alter alterum tenerrimè amplexatur, P. F. Petrus ad Neophytos conuersus orationem habebat, quæ cum senatoribus prolixior videretur, à P. Ioanne Baptista, qui hoc aduerterat, vt finem faceret admonetur, Tum denique breuiter alter alterum à peccatis confitentem absoluit, ac denuo se inuicem complexantur, & elata voce salutatis extremum Neophytis, alter ab altero nonnihil seiunguntur, vnde se inuicem intuiti, cum nescio quid essent collocuti, quod neophyti non assequebantur, lætissimè arriserunt. Tum ex Neophytis vnus Damianus dicebatur, qui vinctis magno amore ministrarat, & vnus ex adhibitis custodibus fuerat, qui solus ex ijs nunquam à Christo defecerat, vtrique stoream suam protulit, in qua genibus positis obtruncarentur, ne vt aiebat, cum ruerent capita, in solo volutarentur, verum illi eodem vterque sensu renuerunt, affirmantes, corpus è terra factum, & in terram rediturum, nusquam melius quàm in humo nuda posse volutari. Ergo tandem reiectis storeis, in genua ruunt, manibus in cœlum erectis, & hoc situ compositos illico obtruncarunt. P. F. Petrus primo ictu truncatus ruit prior. D. Ioannes Baptista cum primum vulnus excepisset, errore carnificis, nondum truncus assurgit, ac iterum in genua ruit, Iesum ac Mariam inclamans, & tum tandem tertio duntaxat vulnere obtruncatur. Mortuos neophyti cum ingenti deflerent vlulatu, lachrymas ipsis qui aderant senatoribus excitarunt, & neophyti alius super alterum ruentes ad sacrorum pignorum venerationem irruerunt, quin & ipse, qui Nangasaquio venerat senator ethnicus, vnum è famulis, quem sciebat esse Christianum, vt idem faceret admonuit, si enim in vlla lege salus est æterna sequacibus, in hac deesse non potest, quæ mortem excipit eo hilaritatis sensu, quo alius quilibet vita donaretur. Neophyti deinde de martyrum capillis, vestibus infectis sanguine, herbis, humo, lapillis harpastum exercentes, omnia rapiebant. Quin & alumnus Leo, qui à magistri latere nunquam discesserat, Sudarium quoad potuit, illius sanguine infectum, secum retulit, nescius se breui eadem laurea coronandum.

Vtrique Sarcophagum Neophyti attulerant, quo conditos

optabat Damianus illico terræ, quæ iam aperta erat, commendare, sed concurrentibus vndequaque neophytis; vt id fieret, non nisi expletis omnibus, videndo, deosculando, plangendo impetratur. Magdalena Christiana mulier, sindonem, qua P. Ioannes inuolueretur obtulerat. Socius storea inuoluitur, Postridie missi à Dynasta viri supra centum, sepulcrum extructo pariete cingunt, honoris, vt aiebant causa, & ne ex alijs locis neophyti subducta cadauera pro thesauro, alio asportarent.

ALII DVO RELIGIOSI ET CVM IIS LEO *alumnus noster in fidei causa plectuntur.*

CAP. VII.

EXtincto Magistro, lugebat Leo suam orbitatem, fortunámque suam, quòd vna cum eo mori non licuisset, serio deplorabat, ignarus futurorum, nam expletis omnibus, inde abductus à ministris in eundem carcerem reducitur, & traditus quinque custodibus arctissimè vincitur, quos carceris Præfectus indignans ita compellauit. Quid est quod hac atrocitate Leonem alligatis, an periculum erit in eo fugæ, qui sponte magistrum comitatus, ne carcere quidem ab eo diuelli potuit, & ipsa morte noluisset, ego pro illo spondebo, si fugam timetis, oportebat vos suam solitudinem deploranti condolere, & non addere afflictionem afflicto; quibus auditis, illi iam facti mitiores, funium nodos ita laxarunt, vt sine dolore vincirent.

Post dies à martyrum certamine ferè sex, alij religiosi duo, sacerdos vterque P. F. Alphonsus Nauarrete, Prouincialis Vicarius suorum ex ordine D. Dominici, qui in Iaponia degunt, & P. F. Ferdinandus à S. Iosepho, qui solus ex D. Augustini familia in Iaponia remanserat, nouo spiritu correpti in euidens se martyrij periculum coniecerunt, quod etsi vulgo non probatur, in multis tamen SS. martyribus non damnamus, sed admiramur. Communicato igitur inter se consilio, salutatis amicis, Nangasaquio in Omurensem

ditionem palam demigrant, reiectoque habitu sæculari, quo tunc vtebantur, suum induunt singuli, & crinem circum rasi, sacerdotibus vsurpatas coronas aperiunt, eos Nangasaquio multi, ac deinde ex alijs locis plures comitantur. Sunt qui duo millia numerent, sed vltra dimidium vix fuisse accipio, ij cum in Omurensium terras aduenissent, excitata repentino opere, ex arborum ramis, velut æde, medio in agro, vt plures caperet, palam sacra facere, confitentibus aures dare, sacramenta ministrare cœperunt. Omurensis Dynasta tametsi excandesceret, sæuire tamen ad dies aliquot distulit. Postquam vero sine suo periculo vltra conniuere non posse iudicauit, mittit qui eos comprehendat. Occurrunt læti missis ad se magistratibus sacerdotes, & postquam eos, eo quod ad manum erat, frugaliter excepissent, vna cum ijs libenter naulgium conscenderunt, & in Insulam non procul ab Omurensi arce deportati, sine iniuria tumultúque, sed potius cum honore ibidem detinentur. Non defuere qui Patribus se vinculorum comites offerrent neophyti, sed maximè Nangasaquienses duo, qui se illos toto hoc biennio domi tenuisse fatebantur, alius quoque Patrum alumnus idem vrgebat, sed tum quidem nullus quod maximè vrgebat, impetrauit.

Post quatriduum ferè, cum iam illos Dynasta pro eo quod ab Regia mandatum fuerat, eiusdem supplicij pœna mulctandos, cum alijs duobus iudicaret, expediri noctu celocem, & in eam vtrumque, sed & Leonem alumnum imponi iubet, eóque ipso tempore, quàm occultissimè potuit sociorum cadauera exhumari, non ferens vltra concurrentium multitudinem, vt simul omnia in mare mergerentur. Non latuit intentos ad omnia Neophytos, nam aliquot nauigijs locum exploraturi, consequi cœperunt soluentes. Nox erat perobscura, celox incitato remigum multorum cursu expedita, quæ momento disparuit, ac Neophytorum studia & vota frustrata est, sed ex ijs, qui interfuerè ministris, omnia deinde constiterunt. In desertum itaq; scopulum delati postridie mane, concesso ad orationem pro arbitratu spatio, cum se ad moriendum comparassent, repente Leo nonnihil à Patribus seiunctus, aliquid sibi temporis petijt prorogari. veriti sunt Patres,

ne

ne subito mortis metu immutatus nollet ijs viuentibus à fide deficere, ergo incipiunt illi animos addere; verum ille modestè subridens, non est hic, inquit metus Patres, sed quia me indignum arbitror, vt vna vobiscum hanc martyrij coronam adipiscar, decet me nonnihil præstolari, mortemque differre, quam rem admirati, simul vterque, & Leo post paululum capitibus amputantur.

Omnium sacra pignora, prout à suis exacto iureiurando, sanguine confirmato Dynasta præceperat, in mare abijcienda hunc in modum disponuntur. Aperiunt vtrumque sarcophagum, & P. Ioanni Baptistæ P. F. Alphonsi Nauarrete socium cadauer adiungunt, alterique alterum, vtrumque denuo deinde occludentes. Leonis autem sacrum corpus storea inuolutum, alligatis ingentibus saxis vna cum reliquis in mare demergunt, in ea maris altitudine, qua triginta minimum passus ad ima ferebatur, veritus enim fuerat Dynasta, ne ex concursu neophytorum nouas sibi molestias crearet. Auditum est, quod contigerat Nangasaquij, nec defuit, qui locum plus minúsue proderet, sed hoc ad incitandum in Neophytis vestigandi studium vsui fuit potius, quam ad sacra pignora eruenda, nam tametsi multis nauigijs, retibus, harpagonibus tentata res est, omnia in irritum reciderunt, verum postea cum vt apparet; tempore funes computruissent, assurgente altero è duobus sarcophago, duorum sacra pignora enatarunt, P. F. Petri videlicet cum socio, in quæ fortè cum neophytorum scapha incidisset, Nangasaquium quam occultissimè deuehuntur, ibique asseruantur. Ad priorem tumulum, explendæ pietatis sua causa, venerat inter cæteros Marina Dynastæ amita, de cuius in fide constantia annales propè singuli habent, quod dignum historia commemorent, & multa miseratione simul & comploratione vtrumque venerata, domum se receperat, neglectis hominum de se sermonibus, qui voluissent superstitiosam nobilium fæminarum apud Iapones solitudinem, hac velut excursione minus necessaria violare, præter cætera id sensit nepos Dynasta, neque se continuit, quin parum vrbanè misso internuncio, animi sui sensum explicaret, verum illa nepoti suo responderi iussit in hanc modum, se si alios inposterum sacerdotes comprehenderet mactaretue, maximè

si essent

si essent è Societate Iesu, quos illa magistros semper habuerat, se inquam, vna cum ijs ad moriendum prodituram, quo ille responso acrius quam prius incitari se præsetulit.

ALII RELIGIOSI DVO, PLVRESQVE NEOphyti ibidem comprehenduntur, ex his duo occiduntur.

CAP. VIII.

Nondum fuit hic Omurensis tragædiæ finis, cum opprimi nullo negotio potuissent omnia, si tantum prudentiæ quantum feruori, communi placuisset consilio indulgere. Sed tantus in Nangasaquiensibus hactenus ferè intactis erat ardor martyrij, vt prudentiam interpretarentur metum, & iam intra latebras non posset ignis contineri, quin erumperet. Quin si qui eos continere vellent, hominum obloquia non effugiebant. Nam cum senatores Christiani, concursus ad superiorum martyrum tumulum vetarent, deque ijs inquirerent in singulos vrbis vicos, ecqui eo contra mandata excurrissent, in eos multi propè velut in hæreticos, qui diuorum exuuias venerari nefas volunt, insultabant, quasi verò non id agerent, ne iustum ex Regia furorem accerserent, dum ea quæ salua etiam religione omitti possunt, studio viderentur consultoque factitare. Et fuere, qui velut dubium putarent fidei proditæ argumentum, si de ijs spargeretur ad martyrum tumulum nondum excurrisse, nam cum vnus à magistratibus Christianis rogatus, ecquis è suo vico eo se contulisset, id negasset de omnibus, serio qui eo se contulerant, exquisiuere, vtrum tenerentur ex fidei profitendæ debito seipsos prodere, an liceret eius qui nescierat confessioni acquiescere. In quo sanè neophytos laude dignos esse quis dubitet, sed vtrum æque illos à quibus incitabantur, nec audeo probare, nec meum esse puto damnare, sed reliqua quæ hactenus contigerunt colligamus satis trepidi; insequentes annales quæ cæpta sunt mala, perducent.

Vbi auditum est de posteriore martyrio, eiusdem etiam cupiditate incensi tres alij religiosi, ad Omurensem agrum se contule-

re, in

re, in quo & messem de commotis iam neophytis colligere, & quod sperabant, consequi sibi posse videbantur, verum aliquanto cautius in mentita veste, & sine comitatus tumultu perrexerunt. Sed non latuit diu res tota, quod fortasse concurrentium ad sacramenta multitudine proderentur, Dynasta, quem iam pænitebat inchoatæ disquisitionis, quod vt supra dixi, plura deprehenderat, quam eius rebus conduceret, dies aliquot iam excursionis conscius substitit, vt sese recipiendi tempus, & viam daret. Verum, vbi res quotidie magis ac magis erumpebat, non est ausus vltra differre, ne si huiusmodi supremo senatui non proderet, ipse proderetur. Iubet igitur Religiosos illos comprehendi, quod vbi ad ipsos est perlatum: conati sunt illi quidem sese periculo subducere, sed id vnus duntaxat impetrauit, in reliquos exploratores inciderunt; ij fuerunt P.F. Apollinaris Religiosorum S. Francisci, qui in Iaponia degunt, commissarius, & P.F. Thomas à S. Spiritu è S. Dominici familia. Cum ijs etiam aliquot neophytos comites & Patrum hospites, nec non alios qui Nangasaquio venerant, spiritu nouo correpti, & per Omurensium terras concionabundi vagarentur, martyrium vt aiebant quæsituri, hi non pauciores sedecim septemdecimue, exclusis Patribus, omnes simul in vincula protracti sunt, noluisset in hac venatione Dynasta tantam prædam, quanta se sua sponte in retia conijciebat, sed irâ incensus, inopsque consilij quid acturus esset, non satis se expediebat. Venerat per eos dies nouus Imperator ab Regia sua Miacum, ad quem visendum nobilitas vniuersa properabat. Hinc occasionem sumpsit minis impetrandi, quod nollet morte conficere. Ire se aiebat Miacum Nangasaquienses delaturum, quod suam ditionem turbarent, quod falsis chirographis nullum apud se sacerdotem degere iurati confirmassent, quod quotidie nouos ex se dimitterent, aliosque plures occultarent, viderint ipsi si quid inde in Remp: vniuersam mali erumperet, ipsos in se culpam conferre, in alium neminem oportere. Miacum iuit, quid dixerit non constat, nisi ex ijs quæ deinde sunt consecuta. Safioye quippe id temporis à Regia scripsit in hæc verba, literis ad magistratus Christianos destinatis. Dicebat se iam aliquoties monuisse, constare sacerdotes aliquos ibi delite-

fcere, & vnius folius latebras sufficere, vt toti vrbi solitudinem inuehant, extremamque perniciem, & vt ad hanc regulam suas moderarentur actiones, id se denuo & postremum iam admonere. Mandatur etiam ex Regia, vt Gonzocu Safioye nepos, Nangasaquiensis gubernator comprehenderet eos, qui se Patrum hospites professi Omuræ fuerant, & vinculis obtulerant, eorum bona publicaret, vxores ipsas ac filios in seruitutem redigeret, & ipsos hospites obtruncaret.

Comprehendit illico cæteráque fecit omnia, sed vinctorum mortem coactus est differre, quod tumultum vereretur, quanquam neophyti non alia ex causa sexcentis plures & sæpè septingenti carcerem cingerent, quam vt morituris adessent, & mortalitatis exuuias raperent, debito cultu prosequendas. Gubernator igitur cum professus esset ciues ipsos vrbi suæ excidium allaturos, quod ipse cum patruo tanto tempore iam & toties auerterat, supplicium distulit, donec tepescente paulatim ex mora neophytorum ardore, cum alia omnia suspicarentur, vinctos ad se adduci iubet velut eos auditurus, certisque de rebus percunctaturus, cumque illos ianua publica in domum admisisset, ad quam neophyti multi euentum præstolabantur, secretiore emittens nocturnis iam tenebris tectos in nauigium imponi iubet, & post tertiam leucam, in alto iam mari, capitibus minui, & cadauera vna cum capitibus in mare demergi, quæ omnia perfecta sunt priusquam neophyti aduerterent, aut se ad eos compararent persequendos.

Qui interfuere deinde narrarunt eos summa alacritate ferro iugulum præbuisse, & religiosissimè animas proprij sanguinis flumine deportatas in cælestem portum appulisse. Cum ad eos comprehendẽdos ministri publici in domũ irruerunt, in superiore contignatione religiosi tres Dominicani, cum ara sua erecta ornataque aderant, qui ne caperentur neophytorum, qui concurrerunt industria factum est, ministros enim diutius in inferiore aula detinentes in describenda suppellectile occuparunt, interim dum illi se subducunt, & quæ suspicionem mouere poterant è conspectu efferuntur. Viuebant hi duo Patrum Dominicanorum hospites in eodem vico, & ædes contiguas habebant, concluso igitur iam

cum

cum ijs negotio, cum vicinis agebatur. Nam vt supra tetigi, non multi anni sunt, ex quo in Iaponia, vt nihil secreti sit, cuius Dynastæ mox conscij non sint, mos inuectus. Decem proxima inter se ædes conueniunt, & iureiurando inter se colligatæ adstringuntur, quicquid ab singulis scitur aut agitur in commune conferre, & ad Dynastam, si res digna videatur referre, sin fecerint, ex eaque re mali aliquid oriatur; ad omnes æque culpa peruenit, inque omnes æque pæna diuiditur, hoc ipsi Iuningumi vocant, & colligationem sonat. Nangasaquij mos iam ille inualuerat, & Gubernatorum voluntate denæ quæque inter se ædes erant vrbe tota colligatæ. Hinc factum est, vt cum iam duarum ædium domini plexi fuissent, quod sacerdotes hospicio excepissent, aliæ octo familiæ superessent eadem pæna mulctandæ, nec diu dilatum est, mortuis illis, familiarum capita comprehenduntur, coniuges prolesque seruitute damnantur, bona omnia publicantur, idque tanto rigore perfectum est, vt decennem puerum comprehenderint pro familiæ capite, qui parentis demortui locum occuparet, oportet enim è singulis ædibus vnum familiæ caput comprehendi, quin etiam ethnicus qui forte ex eadem colligatione erat, vinctus est, non recepta quam ad se purgandum adferebat causa, esse hanc de religione, quam ipse non profitebatur, quæstionem, hinc enim ipsi culpam eius augeri non minui dictitabant, quod ethnicum cum Christianis grauius sit, quam Christianos inter se de silentio conspirare. Octo igitur illi hactenus sunt in vinculis, vt & Omurenses, quos supra numeraui, quid ijs futurum sit, nondum constat, postremæ quippe literæ etiam priuatæ annalibus posteriores nihil vltra commemorant.

DE CHRISTIANÆ REI STATV APVD Arimenses.

CAP. IX.

HOc biennio apud Arimenses quies fuit, non in vrbe solũ, sed agro toto, quem Tacacu vocant, quam proculdubio martyrũ

precibus acceptam ferunt, qui eam regionem suo sanguine purpuratam ita copiosè, vt annis superioribus vidimus, irrigarent. Eam excolunt è nostris quatuor magno labore, nec minore fructu; & licet regio tota, postquam tyranno Michaëli erepta est, sub Safioye fuit, etiam huius biennij magna parte, & qui census exigunt & gubernant, ferè sint è famulis Dynastarum, Figensis, Omurensis, Firandensis, tamen neophyti quieti sunt, & cum nostris, si quid de eorum latebris audierint, hactenus conniuetur. De his multa dicenda essent, si vulgaria & consueta commemorarem, hoc sanè fuit insolens & annalibus dignum. vxores pleræque neophytorum, cum arderet, anno superiore, tyrannorum furor, in syluas se cum puellis abdiderant, ne earum pudori, vt fama erat, petulanter insultaret militaris proteruia, postquam illæ se denuo receperunt, quæ mártyres maritos, quæ mancos, & vulnerum nondum clausis cicatricibus, insignitos inuenerunt, in Domino exultantes triumphabant, quæ verò integro corpore, quod animo nutassent, suos reperiebant, in planctum effundebantur, ac si mortuos reperissent, perfidos illos timidosque increpabant, nec cum ijs viuere inducebantur, etiam postquam cum Christo in gratiam redijssent, & scribitur aliquot etiamnum ab eorum, qui nondum resipuerunt contubernio abstinere. Supra ea loca, quæ martyrum sanguinem biberunt, scribitur etiamnum splendores, ijs maximè diebus, quos ipsi suo martyrio consecrarunt, apparere, permultisque visos, non dubiam fidem facere illius gloriæ quam sunt in æterna luce consecuti.

E Regno Ficonga in patriam redijt Arimensis puella, quam Fime Michaëlis apostatæ Iezabel, Daifu proneptis, secum abduxerat, quæ cum non ferret in suo gynicæo Christianam, sedulo curauit vt illa Christum eiuraret, nunc agebat promissis, nunc minis, nec illis minoribus. Sed ignes illos, quibus octo victimæ apud Arimenses viuæ arserant, puellæ intentabat, sed maior erat ignis in tenero pectore, amoris in Deum Christiani. constitit illa sibi perpetuo, suáque constantia tametsi speratum non impetrauit incendium, ignominiosè tamen è palatio dimittitur, & in patriam conuersa, redibat gaudens, quod ab ethnicorum consortio Christianis ritibus, quibus diu caruerat, redderetur. Chin-

Chingina Arimensis agri pagus est, ethnicis finitimus, in quem idololatriæ lues penetrans, semper aliquos inficiebat, ex quo factum est, vt cum præliandum fuit, permulti deficerent. Eo se noster sacerdos contulit, & diuina ope ducentos Christo reddidit, vixerat eo tempore apud pium Neophytum, qui secretam cellulam domi suæ in eam rem nostris extruxerat, Xistus vocabatur; Receperat se iam noster alio, cum ea res ad ethnicum vici moderatorem, nescio cuius indicio erupit. Is iubet Xistum comprehendi, quod cæteri neophyti non ferentes ad moderatorem adeunt, fere ducenti, inclamant Xisti culpam, si culpa est, communem esse, quòd hospitium Patri dedisset ex omnium voluntate, ergo vel omnes vinciret, vel Xistum solueret, quod cum dixissent, ex vniuersa multitudine duo audacter sanè vinculis Xistum exsoluunt, domumque reducunt, hoc factum apud Iapones est capitale, ergo non hi duo solum, sed reliqui etiam omnes ad mortem se comparabant, ad eamque rem Christi effigiem gestantes, & globulos precatorios decurrentes, in supplicantium morem prodierunt, ac si media in pace, non etiam turbulento Ecclesiæ tempore omnia agerentur, & in hunc modum sine armis omnes illi occurrerunt, qui ad eos plectendos aduenerat, sed ille denuo comprehendi Xistum iubet, eaque re satis sibi factum voluit, nihil vltra molitus. Ea res permouit cæteros, qui nondum à sopore perfidiæ excitati etiam tum in fide nictabant. Præ reliquis vnus è vici primoribus, qui cæteros impulerat ad ruinam, nec facilè surrecturus putabatur, qui hoc euentu permotus, donec se Christo redderet, nunquam conquieuit, effecitq; tandem qua valebat apud Iudicem gratia; vt Xistus impunè solueretur, totique rei silentium impetrauit, ea res vniuersum Arimensem agrum permouit, miratum quod ijs quos in pace timidos nouerant, in bello viderent animosos. Celebre fuit etiam perditi cuiusdam neophyti infortunium, quod cœlo vindice immissum nemo dubitauit, Is vt alienam vxorem raperet, duas leucas excurrerat, & cum infami præda lætus domum redibat, ex ijs factus, qui gaudent cum malè fecerint. & exultant in rebus pessimus, Sed breue gaudium fuit, nam in eo ipso itinere, nulla quæ quidem sciatur ex causa, subito moritur, stupefacta mu-

liere, quæ inuita rapiebatur, liberáque refugit ad maritum, narratoque & comprobato adulteri infortunio, magnus animorum motus in ijs fuit, ad quos culpæ ac pœnæ fama peruenit.

Commentario superiore constat ex Arimensi ditione in Regnum Fiunga Michaële translato, interim Safioye, vt iam dixi, fuisse commendatam. dum ad eam proprius Dynasta mitteretur, id hoc anno factum est 1617. Nam Xogun postquam est adeptus Imperium, inter componendum illius statum, huic etiam ditioni de proprio toparcha prouidit, is Mathucura Bungo, ex Regno Yamato oriundus, quod vnum est ex ijs quinque Goquinai appellatis. Is nobilis inprimis, & in bello strenuus habebatur, cæterum natura mitis ac facilis, & ingenij bonitate præditus in paucis, quem cum Arimenses ethnicum audierunt, nihil dubitarunt nouam sibi procellam imminere, ad quam solitis se ex Christiana disciplina exercitationibus comparabant, sed meliora prouidit Deus, & iam probatis quietiora permisit. Nam ille tametsi ab Imperatore discedens acceperit in mandatis, vt inter familiares & asseclas suos neminem adscriberet, qui eam legem profiteretur, sed neque vlli ex subditis eam legem sequi permitteret, habet se nihilominus cum omnibus humanissimè, professusque se nulli molestiam legis suæ gratia facturum, solum postulare, vt ab exterioribus suæ fidei demonstrationibus sibi temperarent, neque in se hominum obloquia prouocarent; quibus & ipse quoque prouocatus cogeretur eorum supplicijs, Imperatori persuadere, se illius mandata minimè neglexisse. Et quia non desunt ex Iaponensium sectarum præscripto, qui toto regno vagi peregrinantur, & pietatis prætextu quæstum faciunt, stipe vndique collecta. Sunt & alij, qui se dæmonem colere profitentur, eumque sacrificijs placare, ne mortalibus noceat, à quibus ipsi largitionem acceperint, & vtrique velut aliud agentes explorent, quicquid vbique rerum geratur, vt se ab hoc hominum genere liberum redderet; à quibus prodi poterat, quod Arimenses permitteret esse Christianos, aliud causatus, edicto publico illis omnibus toto Arimensi agro, magno illius bono interdixit; & nuper à duobus sacrificulis officiosè visitatus, rogatus est, vt stipendium sibi à Safioye ex ærario publico assignatum,

nouo

nouo diplomate confirmaret, satis lepido responso se & illos expediuit. Assignatos sibi ab Imperatore in Arimensi agro centum & viginti sex Orizæ saccorum millia, si post dimensos agros suos, inueniret se vltra Imperatoris censum habere aliquid, quo illis stipendium penderet se facturum; sin de suo, nihil imminuturum, sed posse tum, quo vellent ad pinguiorem fortunam per se proficisci, quod ille dixit, qui his quoque carere velit Syndicis, vt cum neophytis agat, quæ agenda iudicarit, nullo teste, qui possit oculata fide res suas calumniari, & hæc ille consilia Firoximæ à propinquo suo nobili illo, non fide minus quam sanguine fertur accepisse, quibus in spem venimus forè vt sensim in antiquum splendorem Ecclesia Arimensis reuocetur, & à tumultibus præteritis martyrũ, quos in cælis habet, patrocinio tandem aliquando conquiescat.

IN REGNO FINGO MARTYR VNVS, *cæteraq; ibi gesta.*

CAP. X.

ACceptum à parente Christiani nominis odium, Canziue filius, huius regni Dynasta nunquam dimisit, nec tamen impetrare potuit à suis, quin plurimi Christianam vna cum fide retineant pietatem. Eos nostri aliquoties modo Nangasaquio, modo ex Tacacu, modo aliunde vt res fert, interuisunt, eoque semper fructu qui speratur, Idem de Insulis Amacusa, & alijs quæ ad hoc regnũ spectant, intelligas velim, in hac nostrorum paucitate ac latebris nihil omissum, labore tempus bene diuisum subministrante. In ijs diuinâ prouidentia enituit in eo, quod iussu Dynastæ, septem octoue ethnicos viros primores, à quibus coloni, sed maximè Christiani vexabantur in redituum exactione, viderunt extremo supplicio luentes, quod iniustè exegerant, qua ex re mollior eorum conditio facta, plus aliquanto temporis in salutem procurandam dedit, Iamabazi nomen est eorum nebulonum, quos dixi dæmonis cultu terribiles, ab omnibus stipem extorquere. Ex ijs vnum Insulares neophyti magna constantia reiecerunt, nihil veriti Dynastæ sui furo-

furorem, à quo ille, vt hoc illi liceret, literas impetrauerat, quæ res ne ad aures Dynastæ deueniret, ab ipso ethnico gubernatore illius loci, largitione placato impostore, sopita est, ad quem eundem gubernatorem vnus è neophytis se contulit, quem iam apostasiæ suæ pænitebat, & eo vidente scripta abiecit, quæ impostores characteribus Sinensibus descripta, contra dæmones valere mentiuntur, eamque rem tacitus dissimulauit gubernator, ne in Christianos sæuire cogeretur.

Anni superioris 1615. res gestæ in Europam venerunt non vt solebant rebus per loca nostra dispositis scriptæ, sed in recenti nostrorum exilio nondum compositis rebus, illustriora, quæ certis auctoribus constitere descripta sunt, omissa multa, plura suis circumstantijs nuda prodierunt. Ex his vnum quod vel omissum fuisse credo, vel sane tactum solum, est Pauli Yasudayu martyrium sane nobile, animique ad grauissima quæque comparati illustre monumentum. Erat ille quidem è Regno Firoxima, sed multos iam annos in vrbe Cumamoto, quæ est Regni Figensis Metropolis, vitam sustinebat opificio, pixides bitumine illo suo illiniendi. quod opificium Europæi quoque nostri non immerito admirantur, hic in omnibus prælijs, quæ Christiani Fingenses multa pertulerunt, sibi semper æque constiterat, nec adduci vnquam potuerat, vt nutaret, sed continuo pietatis studio, quod minutim scribere longum esset, martyrij coronam è qua toties exciderat, à Domino tandem dici potuit extorsisse.

In hac igitur vltima velitatione sub Daifu, à quatuor totius regni moderatoribus vocatur in domum vnius, ad quam cæteri conuenerant, ibi vrgetur vt multorum exemplum secutus, sese tempori accommodet, sed cum modestè renueret, ac nihil proficerent, exhaustis iam promissis rationibusque, ad minas deuenerunt, scias igitur tibi moriendum esse. Ille verò nuncio lætus, præsto sum inquit, hoc vnum peto ne vltra mecum tempus teratis, nihil enim est in hac vita mortali, quod me possit à proposito meo deterrere. Age igitur, cum ita sis animosus, inquiunt, in domum perge moderatoris vnius è quatuor, quem nominabant, eo denuo conueniunt omnes & iam Paulus præuenerat, ibi denuo lacef-

lacessitus his ipsis verbis ad defectionem extremis prouocatur, atqui falli nolis, aiunt, nisi enim acquieueris, tormenta te manent, quibus atrociora nemo vidit Iaponia tota. atqui, respondet Paulus, animo iam efferuescente, videbitis etiam ea tormenta ferentem eo animo, qualem nunquam Iaponia vidit vniuersa, quod cum dixisset, irruentibus ad iudicum nutum ministris, Paulus reuinctis post terga manibus, & iniecto in collum fune, in carcerem abducitur, & cum eo priuignus illius raptabatur, qui metu iam certæ mortis consternatus in Iudicum se voluntatem turpiter inclinauit, ipsoque momento liber dimittitur, vt videas vel hinc qua Paulus ex causa caperetur; huius defectionis sensus athletæ nostri gaudium nonnihil temperauit, in carcere maximam temporis partem cum Deo terebat, reliquam fallebat opificio suo exercendo, submissis ad amicos neophytos ex eo munusculis, si quis ad eum adibat, colloquijs illius ita incendebatur ad retinendam in fide veritatem, facilè vt appareret hos ignes ex martyris corde prodire.

Ianuarij tandem nono supra vicesimum, quatriduo ante anni Iaponensis initium, quo tempore leuioris culpæ rei dimitti, grauiores plecti solent, vt carceres in publica lætitia vacui videantur. Paulus noster cum tormenta præstolaretur. Sibique iam grauissima fingeret, vsitata morte damnatur, voluit enim in eius corpore Dynasta sicam vnam probare, quam ille in pretio habere dicebatur, eo nuncio lætus renunciari voluit Dynastæ, se pro ingenti beneficio gratias habere ex animo, eoque ipso die sub vesperum in apertum aërem educitur ex ergastulo, vnde cælum liberè, quo tendebat aspiceret, totum iter ad martyrij locum, nunquam interrupta prece decurrit, sub vrbem erat locus, vbi ad concurrentes conuersus, admirabiliter de fidei nostræ sanctitate ac veritate, pro qua retinenda mori gaudebat, perorauit, tum fixis in cælum oculis intuens, mox illos ad amicum conuertens ait, abire tu iam potes, inquit, de me Deo meo libens hoc sacrificium offero, quod cum fecisset in terram ruens, caput in solum vsque declinauit, interim dum nescio quis scelerum suorum reus plectebatur, eo mortuo, Paulus in alterum latus reclinatur, & vt illi ægrius morienti facerent, priuignum apostatam cogunt, & illius affinem, vt alter pe-

des, alter brachia interim dum plectitur, contineret, subridente semper Paulo, & hilaritatem vultus ad omnium stuporem præferente, cum priuignus iam prope martyr, carnificis adiutor esse maluisset. Iacentem in hunc modum victimam, sicarius vno ictu, quod satis mirere, in duo frusta diuidit, infra cor, sica totum corpus penetrante. Ferunt eam corporis diuisi partem, in qua caput est, etiam post ictum, ter Iesum ac Mariam distinctè inuocasse. Carnifex nondum eo ictu contentus, repetitis ictibus in frusta quinque corpus partitur. quod amicus illius Magoyemo colligens, erat ille neophytus, in horto suo clam sepeliuit, quam ob rem ab vno è gubernatoribus increpitus, non ineptè se expediuit, quod diceret id à se factum, ne Nangasaquienses, harum rerum eximij raptores, alio, non sine iniuria Dynastæ, Pauli corpus asportarent, qua excusatione contentus gubernator, quod fecerat approbauit, ille verò nostris, cum primo tuto poterit, tradendum asseruat. Ea morte ferunt non solum non territos esse neophytos, sed quod semper fiebat accensos, nec paucos desertores hoc exemplo permotos ad Christiana castra rediisse.

Idem rerum status fuit reliquo tempore, multa bis visitatis neophytis perfecta, sed consueta, quæ inusitatiora selegi, hic subiungam. In eadem Fingensis regni metropoli, sacrificuli inter se dissentientes, propè in Christianam fidem inclinarunt vniuersos, Iconu vocantur ij, qui animam Amidæ putant in sacrificuli Ozacensis corpus, & in omnes deinde illius stirpis primogenitos demigrasse, quos ideo non secus atque Amidam viuum venerantur, ij cum viderent, quam decem legis nostræ præcepta passim tota Iaponia probarentur, ea ad verbum descripta in Amidæ libros inserunt, suique sequacibus eadem obseruanda proponunt.

Yabe vicus est inter asperos montes, vbi se neophyti conseruant adiuti potissimum à duobus eius loci primoribus, alter è sacrificulo factus est strenuus legis Christianæ propagator, alter pro Dynasta census exigit, estque regni gubernatoribus carus inprimis, à quibus cùm sæpius vrgeretur, vt Christum desereret, tandem, vt se semel expediret, ita respondit, vocate si vultis quotquot libuerit,

buerit, sectarum Iaponensium peritos, atque adeo sacrificulos, ego vos eligo iudices, si victus è certamine cum illis suscepto, abiecto; vobis acquiescam, sin; me ritu meo viuere permittetis, non abnuunt Iudices oblati certaminis aleam; rati hominem illiteratum nullo negotio à sacrificulis superatum iri, conueniunt euocati contra eum sexaginta non pauciores, partim sacrificuli, partim qui se pro Iaponensium sectarum peritis venditabant, venitur in certamen acre ac diuturnum, è quo noster non dubius victor pronunciatur, posteaquam conuictos silentio damnauisset. Verùm vt est peruicax huiusmodi sciolorum contumacia; Age inquiunt à verbis ad rem veniamus, si aliquid præter naturam admirabile in omnium oculis perfeceris, qualia multa in confirmationem vestræ legis facta iactitatis, næ tu meritò tunc omnium calculo victor iudicaberis. faciam, inquit ille, non vnum sed duo, quæ si vestrum aliquis facere potuerit, miracula non esse iudicabitis. An creditis me tanti facere vxorem, filios, fortunas denique meas, quanti Xogun imperium suum? tanti inquiunt, Ego verò infert noster, hæc omnia hodiè legis meæ causâ dimitto, ne illam dimittam, & hoc est primum, quod vestrum nemo faciet pro sua secta miraculum, Alterum est, quod non hæc quæ dixi solum dimitto, sed vitam quoque trado, qua nihil est homini carius, ne fidem prodam, quam profiteor, facite sodes & pro lege vestra vitam exponite, sin facitis, hæc vt verè sunt, pro miraculis acceptate, quibus cum nec illi, nec iudices haberent, quod vltra obijcerent, noster est non dubius victor appellatus, & tamen iudices re iam nimis publica, hominem liberum dimittere non sunt ausi. Sed ad speciem aliquot mensium exilio damnatum, in patriam deinde & munus antiquum libentissimi reuocarunt, ita tamen vt ex omnibus nemo, prout sunt tempora, satis probatam complecti veritatem auderet.

In Regnum Saccumanum, Iaponensium superstitionum arcem, hoc etiam anno noster sacerdos non sine periculo penetrauit. Præmissus est è fratribus nostris vnus indigena, qui exploraret ecqua via posset noster eo penetrare, quo explorato, exceptus est à neophytis instar angeli, iam enim aliquot annis eo nullus è nostris penetrarat, hospitium illi fuit in ipsis ædibus

matris illius, quæ vxor eſt Dynaſtæ, illa enim mater fidem Chriſtianam profitetur, quæ filiæ quamuis ethnicæ procul dubio perſuaſit, vt hoſpitem ſuum miſſo munere cohoneſtaret, & viciſſim ab eo peteret aquæ luſtralis vaſculum, & cereum ritu eccleſiaſtico conſecratum, peteretque vti ſe ac primogenitum ſuum regni hæredem, Deo ſuo commendaret, quæ res inter Chriſtianos vulgata, magnos illis animos dedit, ac ſpem fecit fore vt aliquando ſperare poſſint meliora.

Factum eſt etiam poſtrema in Fingo excurſione, vt matronæ omnes è Dynaſtæ gynicæo, quæ olim Chriſtum profeſſæ ac diu intermiſſa rei Chriſtianæ exercitatione ſylueſcebant, modum inuenirent, quo palatium clam egreſſæ ad pænitentiæ ſacramentum conuenirent, & denuo res Chriſtianas edoctæ conciperent animos nihil vltra admittere, quod ethnicos ritus ſaperet, Chriſtianæque fidei veritatem vlla ratione pollueret, huius generis multa omitto, ſed ex his facilè reliqua materiæ ſimilitudine æſtimantur.

QVÆ CHRISTIANÆ REI FACIES IN REgnis Chicuien & Chicungo.

CAP. XI.

VNus è noſtris ſacerdos horum regnorum neophytos curat, immenſo labore, magno fructu, hæc enim duorum regnorũ diſtantia, neophytorum multitudo, temporum iniuria huius agri curam perdifficilem reddunt; maximè in Regno Chicujen, cuius Dynaſta mirum in modum à Chriſti fide abhorret, & malè ſibi ab Regia metuit, & vniuerſæ ditioni. Nam cum in ſuperiore ſub Daifu fidei certamine, primus ipſe inter Dynaſtas totius Iaponiæ, Imperatoris edictum, duorum pugilum ſanguine fædaſſet, eo ipſo tempore neſcio qua ex cauſa delatus, fidei certamine, quod cum neophytis ſuſceperat, intermiſſo, ad res ſuas tuendas, in vtramque regiam excurrit, ibique annum totum detentus, tantum non excidit ſtatu, quem fuſo Chriſtianorum ſanguine ſtabilire moliebatur, nec mitior ab Regia domum reuerſus eſt, eo nihilominus noſter

ſacer-

sacerdos excurrens, nihil quod non ociosè visitaret, reliquit intactum, tanti est constantia res persequi, & prudentia moderari.

Facilior est in Chicungo conterminum Regnum excursio, & Dynastæ beneuolentia, qui tametsi edictis regijs parere se ad speciem præsefert, metu potius quam odio in Christianos incitatus, tamen ex eo quod adhibito studio, & iudicij bonitate assecutus est, & se assecutum profitetur, nihil esse in vniuersa Iaponensium sectarum superstitione, quod valeat ad salutem, aut dignum sit homine, qui cerebro præditus fuerit, in fidei nostræ, quam nondum tamen excussit, veritatem inclinatur, ex eo quod eius professores ad eam retinendam libenter omnia profundant, & quod multorũ obtrectationes incurrerit; quicquid enim bonum est ait, malorum inuidiæ subijci, & maleuolentia laborare necesse est.

In vtroque nihilominus Regno, magno fructu laboratum est, sed Neophyti maximè in retinenda fide enituerunt, quorũ certamina etiam ad sanguinem mortemq; sensim persequamur, sed prius admirabilem senis cuiusdam ad Christum conuersionem perstringamus. Is annos natus octoginta, cum Christum agnouisset, iussus est solitas orationes & doctrinæ Christianæ compendium ex more memoriæ commendare; verum ea iam per ætatem ferrea, nihil imbibebat, non sine magno Catechumini senis mœrore, maximè quod non defuerit ex ethnicis susurro nescio quis, qui eam rem ad salutem Christianis esse necessariam affirmaret, satius esse vt in antiqua religione persisteret, quam ad nouam sine fructu magno labore se inclinaret. Angebat ea res bonum senem, non satis distinguentem quid interesset, inter articulos fidei intellectos creditos, & eosdem memoriæ commendatos, neque se audebat sacerdoti à quo baptismum expetebat aperire. Ergo ad orationem conuersus, coram Christi seruatoris effigie, cor suum effudit supplex, vt sibi Deus significaret, num quæ vitio memoriæ sibi deerant, ita requireret ad salutem, vt sine illis eam esset negaturus, an fortè consultius esset in antiquis ritibus salutem quærere, quam sibi videbatur in ijs non posse reperire. Non distulit clemens Dominus candidi senis simplicem animum suo lumine collustrare. Non post mediam noctem etiam tum peruigil, & in oratione con-

ſiſtens, videre ſibi viſus eſt ad læuam iter præcipitijs aſperum, & ipſo aſpectu formidabile, ad dextram aliud, quo per gradus in amplas ædes veréque regias conſcendebatur, & hæc omnia videbat in magna luce, quæ inuita nocte, totum cubiculum illuſtrarat, cui viſo vox eſt addita, nec ſatis vnde ferretur aduertit, qua voce iubebatur bono animo eſſe, nec memoriæ vitio angeretur, fore ſi ad ea quæ iam audierat atque crediderat, diuinæ legis obſeruationem addidiſſet, vt in amplum illud palatium reciperetur. Ex quo bonus ſenex itineris ad læuam præcipitia exponens, nihil dubitauit vno ſectarum Iaponenſium perturbationem, altero Chriſtianæ fidei rectum ad vitam tramitem portendi, ergo reliquam noctis in gratijs Deo referendis decurrens, pergit in agnita veritate poſt ſuſceptum fidei Chriſtianæ ſacramentum.

Veniamus nunc ad illuſtriora Neophytorum certamina, quæ in duas partes diuidemus, primum ea perſequemur, quæ ſub Daiſu, tum quæ ſub filio contigerunt, vt enim iam antea monui, ex noſtrorum exilio factum, vt multa exciderint annis ſuperioribus, quæ iam conſtiterunt, & ne pereant alieno tempore reſtituuntur, cum aliena non ſint ab inſtituto.

Yanauagæ, Metropolis eſt Regni Chicungo, dum de Chriſtianis iubente Dynaſta inquiritur, ventum eſt in ædes Neophyti, Rochus dicebatur, quem tunc abeſſe fortè contigerat, ſed non defuit qui pro capite familiæ caput exponeret. Nam vxor nihil ægritudinem qua tum forte grauiter tenebatur morata, vna cum filiolo nondum ſeptenni prodijt in arenam, Quærentibus reſpondet Maria, ita enim vocabatur, totam familiam Chriſtum profiteri, ſe priuatim, vt erat, ægram offerre, vt pro ea fide, quod reliquum habebat vitæ perderet potius quam proderet ſuam fidem, quo dicto in lectulum ſe recepit, in ædium interiora, manſit in arena puerulus, Iacobum vocant, cum quo nihil omiſſum eſt eorum, quæ pueriliter illam ætatulam mouere poſſe putabantur, ſed reſponſa, quod in eo præcox erat, prodiderunt, viriliter impugnatus reſtitit; & cum ad ſuppliciorum minas veniretur, eo ſuggerente qui linguas infantium facit eſſe diſertas, ita reſpondebat, vt nec blan-

ditijs

ditijs cederet; nec minis moueretur. Longum esset illius responsa subijcere, quibus ministri perfidiæ, cum in desperationem victoriæ venissent, abierunt, & ad iudicem reuersi narrauerunt, quam inutilia cum puero prælia suscepissent, quem ille, si quando puerum habet obuium, minatur se in frusta discerpturum, vt ab eo responsum eliciat, quod est plerumque in hanc sententiam, vtinam ego me viderem in istis delicijs ad quas aspiro & suspiro, quæ tanto maiores futuræ sunt, quanto supplicia fuerint acriora, & reuera tantus est illi ad martyrium ardor iniectus, vt ipse sibi somnia fingat, & parentem suam inclamet, sibi visum esse in somnis, se sub sica carnificis ceruices inclinasse, quæ ille vota continuo fouens incendio, scribitur in quotidianas preces sesquihoram non pueriliter impendere, & ita viuere domi, vt foris etiam ad certamen ipsos lacessat sacrificulos, itaq; premat, vt propheticum illud confirmet testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis, det illi Dominus qui dedit initia, promissa perseuerantibus præmia.

Nihilo fuit inferior colonus neophytus, qui vici sui caput habebatur, is ad iudices vocatus rogatur an sit Christianus, & vt cæterorum, quos aiebant esse sexaginta, nomina proderet; ego quidam, ait ille, sum Christianus, de reliquis, nihil est quod quæratis, quamdiu vixero, conabor efficere, & perfecturum spero, vt nemo deficiat, quod si optatis, prima mecum prælia instituite, si me viceritis, fortasse potestis de cæteris non omnino desperare, quæ cum ille magno animo pronunciasset, & alios contra fidem tulisset insultus re desperata dimittitur, & modo cum suis viuit, vt vno verbo dicam Christiane.

In Aquizaqui, & Amaqui, vici sunt, regni Chicugen, sex neophytorum familiæ exilio suam fidem cohonestarunt, de quibus multa possem, sed ex vno Mariæ facinore cæterorum colligi velim. Illa quatuor iudicibus sistitur, blanditijs, promissis, precibus, minis, nulla non ratione, sed frustra tentatur, tum denique Iudices, cum facultas nobis facta non sit mulieres morte mulctandi, mitteris in vrbem Tucauoca, vt ibi negotium tuũ merito fine claudatur, sed eques mitteris pro dignitate, quibus illa, quo vultis ibo, sed pedes, qualem eam decet, quæ pergit moritura; illi sperni

se in-

se interpretati, pedes ibis age, sed & vestibus detractis, vt leuius incedas, imo illa, etiam pelle, si vultis, tum enim hilarior erit mihi ad mortem via, quo vltimo responso ita fracti sunt, vt nihil vltra exilium intentarint. Alia mulier rosarium, quod è collo pendebat, rogata; ceruicem obtulit, qua detracta, nihil rosarium moraretur, hæc Beatrix dicebatur.

Sed præ omnibus admirabile mihi videtur quod subiungo. Ad futuri certaminis famam Thomas neophytus quidam, cum vxore & septem prolibus communi consilio statuunt, vitam si res ferat in Christi causa ponere, & ad crucem modestè subeundam, vestes iam diu sibi consuerant, è prolibus viuebat in vicino pago filia, iam coniugio illigata, quæ cum audisset in parentum ædes venturos ministros, qui de Christiana fide quærerent, eo cum tribus filiolis suis occurrit, excubitores à marito dispositos, ne domo egrederetur fallens, dictitansque se ideo venire, vt de se & filiolis suis sacrificium Deo offerret in odorem suauitatis, quæ res non immerito in stuporem ethnicos qui aderant rapuit, tametsi trecenti satellites in eum vicum, cum suo iudice irruissent, & interim dum toto triduo vijs omnibus pusillus ille grex ad defectionem sollicitatur, puerulus nondum sexennis, crepundia sua cum æqualibus diuidebat, quod assereret ea sibi in posterum nulli vsui futura, quod pro Domino Iesu mactandus esset, ipsoque die in cælum penetraturus. Abeunt tandem infecta re desperationem secum referentes, quod è tot pueris nec vnum à Christi fide dimouere potuissent, ex ijs tamen satellitibus aliquot, ne nihil fecisse viderentur, è Thomæ filijs vnum solo affligunt, eique per vim sacram agni thecam eripiunt. & ibant iactabundi, quasi huic suam fidem rapuissent, verum ille cum assurrexisset, ad abeuntes recurrit, quærit ex ijs cuius rei causa missi essent, an vt se ad defectionem impellerent, an vt aliena per vim eriperent, sed abirent quo vellent, esse se & semper fore sine sacra theca vel cum illa Christianum, cauerent porro ne signum proditæ à se fidei, quod per vim eripuerant ostentarent, fore si id fecissent, vt ipse ad Dynastam pergeret, calumniam refutaturus atque protestaturus, se cum parente ac fratribus in fide persistere, & in posterum persistituros, & si ex fraude

pœnam

pœnam meterent, ne se deinde culparent, quo audito ita affecti sunt vt vel metu, vel potius virtutis admiratione permoti, suam adolescenti thecam restituerint, quam lætus recepit, nec vltra cum ijs certatum est, aut indicta pœna, ne familia nobilis cara periret. Verum anno deinde insequenti, Thomas idem alia ex causa certamen iterauit, & bis victor de hoste triumphauit.

Exigebat proprius loci Toparcha ab incolis omnibus, vt scriptũ, nescio quod, sui nominis scriptione ac iureiurando confirmarent, cum ad Thomam ventum est, ait se ex legis Christianæ præscripto prohiberi ab huiusmodi sacramento, se vsurpatum suis Crucis iusjurandum non detrectare, quod si Toparchæ non esset satis, posse illum de se ac suis pro arbitratu disponere, se morte etiam proposita aliud in hoc negotio nihil esse facturum, Impotentius tulit hoc initio Toparcha, & cum vxore Thomam iubet in publicam custodiam rapt.ri, exultantes, quòd fortasse optatam illis Dominus coronam ostentaret, sed aliter cecidit, nam Toparcha tempore mollior factus, vtrumque solui iubet, & Christiano contentus sacramento cum Thoma redijt in gratiam.

VARIORVM CERTAMINA SED MAXIMÈ Ludouici supplicia grauissima commemorantur.

CAP. XII.

PRiusquam ab Regia, secundus ab Xogun tumultus in Christianos erumperet, is in Regno Chicujen, non procul ab Aquizuqui, videtur crucis cuiusdam portento, præsagio cælesti prænunciatus. In altissimo & maximè arduo monte crux olim fuerat, quam cum reliquis, prioris procellæ turbo deturbarat, ea olim fuerat concurrentium turba celebris, & quamuis asperrimus esset ascensus, vel loci natura, vel silicum molestia, non deerant tamen multi, maximè per dies solemni Ecclesiæ totius ieiunio consecratos, qui nudis pedibus subeuntes in montem, ingentia saxa humeris gestarent, aut corpus suum ascensu descensuque flagellantes affligerent,

rent, iter vniuersum sæpius sanguinis sui vestigio notantes, de illa cruce certis auctoribus multisque narratur, sabbatho sancto anni 1616. sub noctem visum esse eo ipso in loco, quo nuper steterat ingens incendium, aut potius flammam, quam accolæ ethnici satis admirati, credebant fortasse excitatum ignem à concurrentibus de more neophytis, pellendo frigori exarsisse. Verum cum diutius arderet, visum esse ignem illum sensim diminui, & in medijs flammis, quæ rariores circumlucebant, crucem conspiciunt splendidissimam, quæ à superiore nuper exturbata nihil omnino differret, nisi quod hæc in ea ipsa magnitudine formaque ignea videretur, atque ita splendens, vt neophyti permulti ethnicique vltra leucam ipsum crucis titulum clarè distinguerent, quod prodigium minimum duas horas oculos multorum tenens, crucem inter flammas modo maiores, modo minores prodebat, ac subinde occultabat, quid illa portenderet, nouit ille qui facit. sed cum deinde persecutionis incendium denuo exarsisset, vix fuit qui dubitaret, & crucem & flammas hanc iniuriam temporum prænotasse, de quo iam nonnulla de multis seligemus, nam si priuata domi prælia, si eiectos à parentibus filios, si ab heris seruos, in hac causa commemorare aggrederer, ipsa rerum prolixitate lecturos deterrerem, & materiæ similitudine nauseam inueherem.

Ad inquirendum de Neophytis præses, cum armata satellitum manu circumcursans vbique certaminum vestigia relinquebat. Ad eum, vbi non scribitur, Fabianus, vir non armis nobilior quàm fide, vna cum Regina vxore vocandum se sperabat, & ad gloriosam mortem votis omnibus aspirabat; cum ecce tibi à Præside nuncius hæc ferè attulit, se quod diffideret de victoria, nolle cum eo certare, sed quod esset in eo Regno externus, iret quo maximè vellet cum familia vniuersa, nolle Dynastam in suis terris Christianos, sed nolle etiam externos alia pœna mulctare, aderat tum fortè in domo Fabiani vnus ex nostris, quem ille occultabat, ad eum se contulit mirè tristis, quod spe martyrij excidisset, certum sibi esse in metropolim excurrere, supremis iudicibus se sistere, & martyrij coronam vel ab inuitis extorquere. Laudauit noster animum, sed minus probauit consilium, quod longioris

marty-

martyrij pœnam in hac bonorum proſcriptione pateretur, & ne fortè cuiuſquam ex familia, quæ octodecim capita numerabat, conſtantiam in diſcrimen adduceret, non facilè ſua ſponte adeunda pericula, ne nimia confidentia lapſu aliquo caſtigetur. Acquieuit Fabianus, & profugus in magna rerum penuria vix inuenit mapale, quo ſe ſuoſque recipiat, ita oppreſſi ſunt vbique Chriſtiani.

Mulier alibi Chriſtiana maluit ipſa exulare & filium ſeruituti permittere, quam à fide vel verbulo declinare. Alij duo maritus Thomas, & vxor Lucia proſcripti non inueniebant vbi caput reclinarent, abiecti ab omnibus ſub nudo cælo auxilium cæleſte præſtolabantur. Illud fuit planè inſolens, nam ſacrificulus pœnas legum nihil veritus, eos excepit, & alienam miſeriam ſuo periculo ſuſtulit. Verum omiſſis ijs certaminibus, quæ ſine ſanguine geſta ſunt, ad atrociora veniamus. Cuſanum eſt Regni Chicungo non ignobile oppidum, in eo præſidis iuſſu tres neophyti in publica vincula conpinguntur, de ſingulis agemus, ac primum de fortiſſimo athleta Ludouico Sottaro, is in priore prælio ſub Daifu victor multa tolerat, neque hoc vltimum, quod erepta illi vxore, & in ſeruitutem redacta, ipſe ſibi noua prælia procurans, ex eo tempore continentiam imperauit; Is vbi de hoc vltimo tumultu inaudijt, primum omnia, quæ forte contraxerat debitorum nomina diſſoluit, res ſuas domeſticas compoſuit, peccatis ſe expiauit, ac deinde Iudici ſe ſtitit, ea paſſurus quæ nunc ſubiungã, quibus atrociora nemo in hac ſecunda tempeſtate pro fide tolerauit, ſed quia tandem liber cum vita dimiſſus eſt, & Nangaſaquij viuit, rogatus eſt vt propria manu diuina circa ſe mirabilia teſtaretur, quod fecit ille auctoritati noſtrorum cedens, qui eos colit vt magiſtros, & quamuis à noſtro ſacerdote & ab alijs fide dignis eadem ſcripta ſint, iuuat tamen potius ex eius ſcripto candidè ac fideliter rem excipere, & eum velut narrantem audire, Ita igitur ſe habet narratio ad verbum è Iaponenſi deſcripta.

Vndecimo die Lunæ poſtremum renaſcentis (cecidit is dies in 21. Octobris anni 1616.) ſexta quadam feria Cuſani,

cuius oppidi ego eram incola, edictum publicatum est, quo edicto Christiani, propositis grauibus pœnis, suam legem deserere iubebantur. Eo ipso die res meas composui, & sequenti sponte ad iudicem vrbanum me contuli, vbi mox multis prælijs lacessitus sum à multis, vt me à fide Domini nostri Iesu Christi remouerent, quibus ego respondebam, me neque cum vitæ periculo tantam perfidiam in Deum admissurum. Tum iudex iubet me inuolui intra stoream, è fissis arundinibus intertexto fune contextam, & inuolutum funibus exterius tota ferè storea conuolutis stringi, & ita nudum, in medium vicum ad ignominiam proijci, in quo tormento perstiti totum eum diem reliquum, ad mediam noctem, vrgentibus interim qui adstabant, vt Christum eiurarem. Primo diluculo insequenti, dies erat Dominicus, Yanauagam Regni metropolim vinctus abducor, & asseruari iubeor in ædibus præfecti, cui Cusanum, eiusque ditio est commendata, is Vacajadonus vocatur; qui totus in eam curam incubuit, vt me de proposito deturbaret, sed cum videret me per Dei gratiam nihil suis persuasionibus commoueri, iubet me ad vnum è supremis regni moderatoribus abduci, is Tonaca Dayendonus vocatur, vbi vinctus in atrio ab astantibus multis, & maximè ab adolescentibus nobilibus vrgebar nunc blanditijs, nunc minis, nunc alijs rationibus, vt sententiam mutarem, quo in negotio supra duas horas me frustra tenuerunt. Tandem prodijt ipse gubernator, qui nihil reliquit intactũ, quod non ad me de proposito deijciendum adhiberet, sed ad omnes res, hæc vna mea deinceps responsio, nihil esse quod se vltra fatigarent, esse me Christianum, cum viuo, fore me cum moriar, æque Christianum.

Hoc extremum responsum grauate tulit gubernator, & vultu ad seueritatem composito dixit, se mihi ea supplicia inflicturum, quæ me fortasse ad huius contumaciæ pænitentiam inducerent, ac deinde me in yendo Regiam amandaturum, vt ibi extremas perniciaciæ pœnas darem. Respondi posse illum quicquid vellet facere pro arbitratu, sed tamen longè abfuturum ab eo quod maxime cuperet, vt me ad negandam legem meam adduceret, & mox Domino Deo me commendaui, petijque vt à me peccatore manum suã mini-

minimè remoueret, sed potenti suo brachio infirmitatem meam sustineret, quoniam pro sanctissimo eius nomine persecutionem patiebar. Et tunc in animo meo sensi magnum robur & solatium. Deinde me in priorem domum reduxerunt, vbi denuo vrsere me vti tandem aliquando desisterem, neque ita essem cerebrosus in eo maximè negotio, quod mihi tanti erat, sed nihil aliud respondebam, quam ne quid in Deum meum peccarem, me omnia quæcunque contingerent toleraturum.

Cum igitur iam demum intelligerent, me per Dei gratiam, nihil eorum verbis commoueri, ad opera venire constituunt, nam abducor in eum locum, vbi reis tormenta infliguntur, ibi ex trabe funem crassiorem suspendunt, & me manibus pedibusque in vnũ colligatis instar globi vincientes, ex eo fune, de trabe suspendunt. Tum carnifices magna celeritate me in gyrum rotant, donec intortus funis ad ipsam me trabem eleuaret, tum laxato repente fune, in aduersum reuoluor ea celeritate, quam intortus per vim funis & corporis pondus efficiebat, & tum ita caput turbatum est, & oculi defecerunt, vt cordis agoniam, quam tunc sensi nullis valeam verbis explicare. Quieto iam fune, cum mihi præsens non essem, leuiter aqua perfundor, vt mihi restituerer, & tum vrgent denuo vt Christum eiurem, sed cum negarem me facturum, denuo intorto fune conuoluor, & quia ex illo primo tormento ita defeceram, credidi me ex secundo moriturum, verum inuocatis SS. nominibus Iesu & Mariæ, ita mirabile robur sensi, vt magna illud secundũ facilitate tolerarim, quo perfunctus, iterum vrgeor ad defectionẽ. verum Dominus Iesus vires mihi dedit, vt semper in sanctissima fidei confessione constans permanerem.

Tum igitur vinculis exsoluor, & pronus in terram abiectus, denuo vincior in globum, manibus ac pedibus inter se à tergo colligatis conuolutus, ad eum modum iterum ex fune suspensus in gyrum agor, hoc solum discrimine, quod nunc à dextra in læuam conuoluebar, & ad eum modum, quo supra eleuatus ac demissus celerrimè reuoluebar, sed in hoc tormento sanctissima Iesu ac Mariæ nomina, quæ nunquam nec ex ore nec ex corde dimittebam, vnicum solatium fuerunt. Id tormenti genus tormentum furunganum appellatur.

 Vbi

Vbi nihil hoc tormento impetrare se vident, in atrium abducor, vbi duo carnifices magna vi os tibiæ sinistræ intra duas scloporum fistulas arctissimè includunt, idque per longum spatium, continuis interim me interrogationibus lacessentes, num Christum abdicarem, & cum me facturum negarem, adfertur arundo non crassa, quales eæ sunt ex quibus sagittæ conficiuntur, ea crus dextrum sensim perforare aggrediuntur, ad modum terebri arundine conuoluta, & arundo sensim in carnem penetrans, eam quoque carnem intra vacuitatem sua recipiebat, tunc extrahentes arundinem, carnem, quæ pro medulla erat, subducebant, & in idē foramen arundinem immittentes vltra perforare pergebant, donec ad os ipsum peruenirent, à quo nonnihil discedentes secundum os arundinem circumuoluebant, semper interim sciscitantes num Christum abiurarem, & negantem me duobus in locis, in dextero crure, ad eum modum terebrarunt, cum interim tibia læua intra suas fistulas arctaretur.

Finito hoc tormento vices permutarunt; nam soluta tibia læua, dexteram ad eundem modum intra fistulam coarctarunt, & crus sinistrum eadem arundine, duobus in locis, vt supra terebrarunt, interim interiore solatio perfundebar, quod hæc omnia paterer pro sanctissima fide Domini nostri Iesu Christi. Ad hunc modum cruciatum & cruentum duo tresue carnifices in interiorem me domum retulerunt, neque enim pedibus consistebam, & cum nescio quis, ibi ex astantibus diceret, tibias intra suas fistulas non satis arctè laborasse, carnifices responderunt se ita strinxisse, vt crepitum dissilientis ossis audirent, & reuera ita fuit; tum alia grauiora & atrociora tormenta minaces intenderunt, quibus singulos manuum ac pedum digitos per vim se extracturos iactabant, quæ cum dicerent, sensi me quodam sudore perfundi, qui permixtus sanguini, quem vulnera emittebant, in memoriam mihi reuocauit sudorem sanguineum, quem Dominus in horto expresserat, eaque meditatione admirabile sensi animæ meæ robur & solatium.

Tum præses ad me conuersus, alia multa tormenta me manere

nere pronunciauit, eiusque iussu baiulorum humeris in custodiam publicam deferor; ibique pro foribus, vestibus planè omnibus exuor, & in terram abiectus ibi semiuiuus relinquor, sed alij duo neophyti, qui in eadem fidei causa tenebantur, me in inferiora ergastula receperunt, ibique tres tenebamur propè nudi, nisi quod intimam nobis vestem tenuem illam, & tegendo corpori magis quam arcendo frigori accommodatam reddiderunt, cibus noster erat Orizæ paululum, nec plus aquæ, in diem semel vtrumque, quantum ad mortem arcendam non ad vitam sustinendam satis esse videretur, & ne quid nobis aliunde suppeteret, vigili excubitorum custodiâ, caritas omnis arcebatur. Denique Cusanæ ditionis in metropoli iudex Cusanis me reddidit asserens quod à supremis regni moderatoribus vt viuerem impetrarat. Hactenus Ludouicus qui modo Nangasaquij viuit, non lætior eo quod passus est, quàm tristior ex eo, quod viuere, sineretur.

Alij duo neophyti, quos initio dixi, Cusani comprehensos, Ioannes Rocayemon & Leo Quezayemon dicebantur, vterque in his pro fide prælijs veteranus, multisque iam certaminibus nobilis, & qui iam aliquoties coram iudice bonam confessionem confessus, vincula sua quibus iam diu tenebatur, cohonestarat, vix dici potest quam acriter horum Christi pugilum constantia sit oppugnata, nihil blanditiæ, nihil preces, nihil adductæ rationes, sed nec minæ poterant, tametsi in ea nuditate, in ea penuria, in eo carceris pædore, in ea vinculorum molestia detenti audirent, eam rem fore perpetuam, in cuius condimentum varia deinde supplicia se addituros minabantur, quam eorum firmitatem ethnicus nobilis qui criminum suorum reus ijsdem vinculis tenebatur, cum attentius intueretur & diuturnitate temporis stuporem confirmaret, tandem apud se statuit eam alacritatē, eam vitę integritatē, illud patiendi desiderium aliquid habere supra mortale, nec sine arcano aliquo mysterio posse constare, rogauit vt id arcanū atq; mysteriū doceretur, Ioannes in pręlectionibus catechisticis probè eruditus, Christianis mysterijs hominem imbuit atq; adduxit, vt ad baptismi fontē anhelaret, quē Leo illi aperuit, & Ludouicus eū de sacro fonte susce-

suscepit, ita quod erat inchoatum omnium opus, omnes perfecerunt, alium etiam, qui iam olim infans ablutus fuerat, & ethnicorum consortio se deinde polluerat, horum eorundem opera se inspexit, & ijsdem prælectionibus imbutus, cœpit esse, quod esse se nesciebat.

Nocte quadam eorum alter eductus vinculis ad Gubernatorem aut ad mortem rapi se cogitabat, sed ecce ad suos omnes qui ex composito conuenerant adducitur, ibi mater, ibi frater, ibi vxor, ibi filij, ibi cæteri propinqui cum eo pugnaturi aderant, rogabant, supplicabant; obtestabantur, modò singuli, modò simul omnes, vt tandem de pertinacia decederet, vt sui, vt cæterorum misertus, omnium gratiæ ne verbulum negaret. verum ille non respexit ad carnem & sanguinem, sed omnia tela nequissimi ignea scuto fidei excepit ac repulit, quod cum eius frater vidisset, in furorem versus pugionem strinxit, & arreptam vtriusque parentem se confossurum inclamat, ne diutius tanto filij dolore contabescat. Interim noster pugil veritus ne fratris furor in parricidium verteretur, nihil nisi SS. Iesu ac Mariæ nomina inuocabat, nec adductus est vt alieni periculi metu æternam sibi mortem inferret, Christoque negato animo non corpore moreretur. Quibus Gubernator auditis, de victoriæ spe deiectus, cum mortis inferendæ ius à Dynasta nullum haberet, etiam à tormentis abstinuit, Ludouici exemplo doctus, minus hæc quam reliqua valere, ad eos de proposito dimouendos; quod supplicia horrere nescirent, qui ea tantopere affectarent, dimittit igitur liberum vtrumque satis mæstum, quod cupientes dissolui, & esse cum Christo, vinculis mortalitatis, è quibus iam prope se expediuerant, adhuc tenerentur.

Horum exemplo accensus Andreas ita efferbuerat, vt sua sponte ad Iudicem pergens profiteretur, se in eadem lege viuere, cuius causa tres illi dicebantur comprehensi, petere se, vt si hoc crimen erat, eadem cum illis pœna plecteretur. Ad hæc Iudex inquirit de patria, cúmque externum didicisset, damnat exilio, professus ita se habere in mandatis, & ad sua conuasanda triduum illi attribuit, Incredibile est quanto mœrore sententiam exceperit, quod mori pro Christo cuperet, & viuere cogeretur, ad nostram

itaque

itaque sacerdotem accurrit & totus in lachrymas effusus, suam sortem deplorabat, ac si non de vita, sed de morte lugeret, admisit tandem solatium & nondum planè desperans spreta exilij sententia, Christi milites cum Cusano Yanagauam ducerentur, statuit comitari, in eorum consortio sperari fortasse id, à quo nuper exciderat, sed ibi spem ludens Cusanum redijt, nec fuit qui neglectam exilij sententiam causaretur, sed viuit quietus in martyrij occasionem quamlibet nitentus aut potius anhelans.

IN REGNO CHICVNGO MARTINVS SVquimoto Christi fidem sua morte cohonestat.

CAP. XIII.

MArtinus Suquimoto natus in Regno Chicujen, in pago Votanomura, parentem habuit auumque Christianos, ipse infans Christo aggregatus, in hac renouata sub Xogun tempestate, facto vitæ naufragio, martyrij tabula delatus, in cælestem portum enatauit. Id quomodo acciderit ad Christianam fidem confirmandam sanè gloriosè, hoc capite videamus, rem totam altius repetentes.

Cum primo Daifu edicto Christi fides impeteretur, & edictorum atrocitas in Chicungo regnum irruisset, Martinus tum gubernatori ditionis vnius seruiebat, & ab hero euocatus monetur, vt ex edictorum sententia Christum eiuret, & quam maximè Iaponensium sectarum velit eligat, nec dubitet in hoc tanti momenti negotio consilium sequi, quod ipsa rei magnitudo secum adfereat. Ad hæc Martinus respondit: negotium salutis æternæ tanti st, vt non malè monueris, illud consilium sequendum, quod ipsa rei magnitudo secum affert. quod dudum iam ipse secum statuerat illies videlicet mori potius, quam eam legem deserere, in qua est solà salus æterna, quam ego inquit, ab ipsis cunis acceptam, per vitam vniuersam retinebo. Nihil habuit ethnicus quod redderet, sed à furore consilium sumens, in Martinum inuadit, & in terram iectum, rosario serto quod è collo gestabat, exuit ac si vna fidem

Martino rapuiſſet, qui ſatis ſimpliciter aliquot dies mæſtus dubitauit, num quid ea ſibi rapina herus de fide detraxiſſet, ſed tandem ſe colligens, nihil deinde dubitauit culpam ſine conſenſu nullam eſſe, neque Chriſti fidem ita iſtis externis pietatis auxilijs contineri, vt ijs carere non poſſit, ſine contemptu prætermiſſis, multoque magis per vim ereptis; & tamen, vt eſt tenera rectè factorum conſcientia, renunciari iuſſit hero per contubernalem; nihil ſibi de ſua fide cum globulis peccatorijs rapuiſſe, quæ non erat neceſſario illis ſignis illigata, eſſe ſe non minus, ac ſemper fore Chriſtianum. Quin etiam conquiſito ſacerdoti rem exponens, in ſua firmitate confirmatus eſt, ne tamen vltra cum Religionis ignominia ad eum modum luctari cum hero cogeretur, ab eius famulatu deſciſſit, & ad alium tranſit ethnicum, etiam alterius ditionis moderatorem, à quo præficitur cenſuum exactioni neſcio quibus in pagis exercendæ, quod munus cum vix exerceri poſſe videret & cum heri gratia, & cum vitæ puritate, maluit & hunc herum relinquere, quam huius gratiam diuinæ præferre, quantumuis ne id faceret ab hero, cui iam eſſe carus cæperat, impensè rogaretur, ergo inpoſterum ſibi Deoque viuens egregiè ſe ad futura prælia comparabat.

His occupatum pietatis exercitationibus, altera tempeſtas, de qua nunc agimus, deprehendit, & quoniam nulli non erat notus hoc nomine, quod eſſet cum multis, & præ multis Chriſtianus, in eum Iudex deſignatus primum & maximè detertauit. Ergo ad ſe euocatum his, vt ſcribitur, verbis non malè ad perſuadendum compoſitis compellat, non eſt, inquit, Martine, quod tibi exponam, quanti referat ad Regni ac Dynaſtæ res tuendas, in eius ditione nec vnum cenſeri Chriſtianum, quod ita exactè præcipit, ac procurat Imperator, velim vt maturè diſpicias, quid è tua re ſit, an in tua ſententia pertinacem mille te moleſtijs immergere, an iter ſequentem regium, quod in Iaponia tot iam ſæculis ſupremi infimique terimus, barbara lege ac peregrinis ritibus abiectis omni te metu ac moleſtia liberare. Ad hæc Martinus in his prælijs veteranus, ita reſpondit breuiter ſed neruosè; mihi iam diu conſtitutum eſt, nullo periculo propoſito, perfidiam in Deum admit-

nittere, Christianus sum, & id esse coram vniuerso orbe pro-
bor, quo dicto abijt è conspectu, & salutato iudice domum
m se recepit. Non satis se expediebat Iudex, quid in hoc nego-
consilij caperet, ne spretus fuisse videretur, demum ad se loci
fectum vocat, iubet vt omni arte Martinum expugnet, adhibe-
ue si solus non potuerit, contra vnum vniuersos, quod si nihil
etraret, tum demum toto Regno pelleretur, Concurritur ergo
Martini domum, & pro se quisq; exaggerat, quam carus sit om-
us, & quam cupiant ipsius res in melius semper crescere, vnum
ere, quod ipse nimium propositi tenax, euocet sibi magnos la-
es, quos omnium consilio, votis, precibus à se auertat, & cedat
uando de sententia, neq; pertinax haberi velit, qui constans ha-
ius videri potuisset. Quibus Martinus primo responso, spem
nem victoriæ præripuit in hunc modum. Nihil est inquit, quod
illum verba teratis ac tempus, in ea, quam vos opinionem meã
ertinaciam appellatis, ita sum saxeus vt, tametsi ad me ex ea de-
endum tres filiolos meos in oculis meis in frusta membratim
indatis, non erit hoc satis ad impetrandum vt vel tantillum
ciam à lege Dei mei, in qua velle me viuere & mori pro
or, quo responso tota ea turba ita obstupuit, vt suo silentio ma-
daret.

Vix bene finierat Martinus, cum ecce tibi à Iudice nuncius sci-
ens ecquid Martinus de sententia discessisset, si nondum, intra
eam è fissis arundinibus contextam inuolueretur, & ad ignomi-
a suppliciumq; in publicum deportatus abijceretur. Proferun-
extemplo storeæ duæ, cum demum exultante Martino, sed mu-
repente consilio, in alium pagum abducitur, irridente nostro
ile, quasi esset cum loco sententiam mutaturus, verum deinde
o loco, cum sibi relictus esset, redijt ad priorem cum vxore &
, quod illius pagi incolæ, nescio quos eius causa metus conce-
nt, & quoniam in dies incrudescebat malum, Martinus iam
stianæ militiæ dux factus videbatur, vicina loca circumcur-
omnes, vt sibi constarent hortabatur, nec eo regno contentus,
io degebat, cum audisset Facata, quæ Regni Chicujen est me-
olis, vrgeri Christianos, eo accurrit. Degebat ea in vrbe Paulus

 Mar-

Martini frater, fratri simillimus, aberat tum fortè domo, cum ad eam vrbanus gubernator suos ministros destinauit, Paulo mandata ferentes vt à Christo deficeret. Quibus Martinus abesse fratrem ait, posse nihilominus responsum ei dare, à quo mittebantur, se illius nomine negare facturum quod videbatur, in eo quod ad legem spectabat immutandam, cui ministri nihil aliud de eo suspicamur, ita futurus vix à quoquam dubitatur, & tandem Paulus cum aduenisset iubetur exulare.

Ita fluebat tempus interim dum adhuc Martini causa pendebat, donec altero die lunæ decimæ, cum intellexisset gubernator eum non tantum non toto regno exulare, sed etiam intra ditionem suam commorari, excanduit, & alteri demandat, vt de tota re inquirat, reosque castiget, qui loci Præfectum aliosque ex eodem pago multos comprehendit, quod renuentem à fide deficere, toto regno non eiecissent, prout habuerant in mandatis; neque illos comprehenderat, sed etiam velut grauium criminum reos, iniecto in collum fune ac reuinctis manibus detinebat, nec adduci potuit vt solueret vinctos tametsi ad culpam eleuandam, pœnamque deprecandam aliquot illius loci seniores ad eum accessissent, dixissentque collaborasse omnes vt Martinus expugnaretur, sed eum ita esse pertinacem vt ne verbulo quidem, saltem vt fingeret potuerit impetrari, quibus Iudex respondit, eam culpam suique contemptum, in ipsum Imperatorem cuius spernerentur edicta redundare, pro quo Martinum dedisse iam legibus pœnam oportebat.

Hoc ipso tempore apud fratrem Facatæ diuersebatur, qui accepto nuncio mirè lætus ad suos recurrit, & cum ex itinere ad ethnicum ditionis cuiusdam Præfectum, amicum suum diuertisset, accepit clarius quam multi eius causa vinculis tenerentur, teneri eum vrbanitatis legibus vt in vincula se traderet, innoxios liberaturus. Cui Martinus ait se illius rei causa venire, neque aliud in votis habere, quàm ipsam mortem in Christi causa subire. Comprehenditur ergo Martinus vna cum vxore tribusque filiolis, & quidem bono vt augurabatur omine, quod is vinculorum dies B. Martino patrono sacer esse abeo non nesciretur. Primogenitus eius

eius Michael, nondum duodennis, parenti cariſſimus, quod ingenij ac naturæ bonitate multa promitteret, is igitur cum in conſpectu parentis vinciretur, ita eſt ab eo compellatus. Has manicas, quibus manus, hunc funem, quo collum induiſti, ne arbitreris te mei cauſa induiſſe, pro Chriſto Ieſu Deo ac Domino noſtro captus es, exulta fili, pro beneficio ac felici ſorte, ne formides fili, nam curriculum erit breue, ſed præmium ſempiternum. Cui puer agnoſco parens quæ dicis omnia, nulla te mei cura angat, ego te ad mortem vſque comitabor, quod eo vultu dixit ac animi firmitate, vt ſtupuerint, quotquot aderant vniuerſi, dicebantque inter ſe ſubmurmurentes, pueri ad ſicæ conſpectum tremunt, hic iam propè de morte certus exultat, quid illud eſt, quod in hac lege arcani latet, è quo tanti animi ſuppeditentur?

Dies nouem vna cum ſuis ergaſtulo detentus, prælia Domini nulla intermiſſione præliatus eſt, nam cum omnibus carus eſſet, amicitiæ dare ſe putabant, ſi eum de ſententia deturbarent. Dicebant igitur alius poſt alium, renouato in horas certamine, hanc edictorum atrocitatem ventorum turbinem poſſe appellari, quem illæſus exciperet, ſi ſe tantiſper inclinaret, ſi reſiſteret frangeretur: videret quantum famæ ſuæ detraheret, quod vxoris ac filiorum vitæ ne verbulum quidem daret, quam hoc ab omni naturæ ac vrbanitatis lege eſſet alienum, quibus Martinus gratias agebat pro propenſa omnium in ſe voluntate, neque ſe mirari aiebat, quod, ignoratâ ſalutis æternæ viâ, ſe ab ea conarentur auertere, ſed attenderent omnes eſſe mortales, nec omnia cum huius vitæ breuitate finiri, æternam manere vel vitam vel mortem, quis eſt ſatis mentis compos, qui breuem æternæ morti vitam anteponat, his ac ſimilibus colloquijs importunos à ſe hortatores repellebat. Quod reliquum erat ab his prælijs temporis, totum illud Martinus in preces expendebat. Die porro quadam vxorem ſuam Magdalenam, ita fertur allocutus. Nihil eſt quod me hoc rerum ſtatu ſollicitum habeat niſi tu, ſi fortè quod Deus auertat, præſentis mortis metus te deijciat, atque ideo pro te virginem Mariam precor, vt à filio ſuo tibi talem animum impetret, vt eo confirmata hoſtium acies, nudas ſicas, vibrata tela non horreas, nec animo permouearis, ſi te

præsente filioli nostri membratim lacerentur, quibus illa ita respondit, vt maritum magna sollicitudinis huius parte liberaret.

De fratre iam vincto, in pago Tanuximiru, Paulus interim audijt, eoque accurrit fratri suo vicem redditurus, cui Martinus, ego inquit, cuius rei causa teneor iam inaudieris, non arbitror me indignissimum in eam fortunam venire, vt pro fide mea vitam prodigam; qui Cusani capti fuerant, & Yanagauam abducti dimissi sunt, quid est vltra, quod sperem quàm mori, abire poteris, teq; ad tua recipere. Cui Paulus tametsi satis scio, nihil opus esse currenti calcar addere, rogo te tamen vt consummes cursum tuum, neq; committas, vt te ego fratrem dedigner, imo & salutatione indignum putem, quod omnino contingeret, si spem meam falleres repentè immutatus: subrisit Martinus, sperareque se ait eum qui hactenus vires dedit, inposterum minimè negaturum. Ille cui gubernator eius ditionis, in qua degebat Martinus, hoc negotium commiserat, eum monuit, se Martinum cum vxore & filijs in vinculis habere, iuberet quid ijs fieri vellet, ille pro ea maleuolentia, qua persequitur nomen Christianum, tametsi à Dynasta non haberet in mandatis vt quemquam morte mulctaret, ex ijs qui deficere renuissent, sciretque supremos Regni moderatores in metropoli à sententia mortis nuperrimè sibi temperasse, nihilominus in Martinum sententiam capitis pronunciat, vxorem cum liberis liberam dimittit, non illa quidem sua voluntate, sed multorum precibus adductus id permisit. Quam hilaris laureatæ mortis nuncium exceperit noster, non facilè est exprimere, liberis vxorique vitam impetratam grates habuit intercessoribus, dixit tamen gratius sibi futurum, si omnes in sacrificium præmisisset, sed sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat. Cum educerentur inuiti è vinculis, in eum eiulatum cum liberis Magdalena prorupit, vt intuentium oculis lachrymas imperarit, solus maritus sereno vultu, nullum ex oculis imbrem depluebat, & siccus postrema illis mandata, quæ semper fuerunt illi prima, de retinenda fide commendauit. Eodem tempore Cosmam Neophytum, qui ad eum in hoc agone confirmandum vnus accurrerat, breuissimo scripto salutauit in hæc verba; In diem huius Lunæ nonum indicta erat mors mea, biduo dilata est

in hunc vndecimum, quod ad me confirmandum veneris, gratias habeo, magnique æstimo quod tuis consilijs edoctus ingressurus mihi videor in eorum numerum, qui gloriæ Domini participes sunt. Vale.

Aduenit tandem optatus martyrij Lunæ decimæ, dies vndecimus, Nouembris nostri 19. anni 1616. sub noctem, quæ illi fuit æternæ lucis aurora, veniunt in carcerem magno satellitio stipati tres è senatoribus, & magna quiete præstolantem reperiunt, vincitur manus post tergum reuinctus, in collum funis inijcitur, vix præ orationis intensione aduertenti, & cum ad se redijsset exclamare cæpit, nescire se quo suo merito vincula & mortem in Christi causa pati consequeretur, hoc à Deo beneficium, non aliunde prouenire. exijt igitur à suo ergastulo, comitantibus ethnicis amplius trecentis, Neophytis omnino 12. è quibus duo, Cosmas & Gregorius non nihil præeuntes latus dexterum affini eius Dominico, sinistrum Paulo fratri reliquerant, hic cereum accensum manu gestabat, Martino eum traditurus, sed vincula non permiserunt, idem fratri agni sacri effigiem cercam, deosculandam dedit, tum denique se totamque familiam ipsius precibus, cum in cælum mox venisset, commendabat. Cui Martinus modestè respondit, se martyrij corona indignum, si tamen ea potiretur, fore vt petitioni non deesset. Venitur interim in sacrificij locum, & Martinus ad ortum conuersus in genua ruit, cumque breui oratione se tacitus collegisset, elata voce ter Iesum ac Mariam inuocat, Deoque gratias agit, quæ verba cum repeteret amputatis ceruicibus vox nondum interrumpitur, sed quæ dicere cæperat accuratè pronunciauit, deinde in truncum cadauer immanes carnifices nondum sæuire destiterunt, sed Iaponiensi barbarie sicas & neruos ostentantes membratim conciderunt, frusta Nangasaquium delata Ecclesiæ pacem colenda præstolantur. Ea mors multis hominum sermonibus causam dedit non satis capientibus, quid esset in lege Christiana, cuius causa Martinus vxorem, filios vitamque lætus exposuerat, quod nemo faceret ex indigenis sectarum suarum, non tanti pendentibus vanitatem.

DE BVNGENSIBVS AC BVGENSIBVS Neophytis & vnius martyrio.

CAP. XIV.

BVngensis ac Bugensis Regnorum Ecclesiam è nostris duo procurant, maiore quam alibi labore, quem neophytorum multitudo, locorum distantia, regionis asperitas tenuitasque auget, quibus etiam hoc biennio accepit Fiungæ Regni ea pars, in quam Arimensis tyrannus & apostata Michaël translatus est, ad cuius familiam, in qua multi sunt Christiani, altero annorum vnus ex alumnis excurrit, altero etiam sacerdos noster, fructus ex tota messe collectus spem colonorum non fefellit, & ipsam laborum magnitudinem sua copia cumulauit, verum ad priuata quædam descendamus pauca de multis seligentes.

Vrbis cuiusdam Præfectus ad Neophytum adolescentem nobilem, qui Leonis nomen, fortitudinis omen acceperat, se contulerat. Hunc oppugnaturus, sæpe repetitas artes admouit, cui Leo beatum se fore dicebat, si in causa fidei moreretur, qua re nihil esset in hac mortali vita, quod cuperet ardentius. Age igitur Præfectus inquit, quoniã cõtumax es, & in hac tua sententia obfirmatus, scribe sodes te in hoc tuæ legis negotio nec Dynastæ nec Imperatori Daifu parere: scribo ait Leo; nec mora scriptum tradit, quã adolescentis constantiã cum creuisset oppugnantium furor, in interiorem domum irruunt, quærentes si quid sacrum reperirent, nec aliud occurrit (cætera enim iam domestici seposuerant) præter papyraceam imaginem ipso tempore propè laceram. Tum in adolescentem irruunt omnes, arreptamq. illius manum per summam vim cogunt, scribere, se à Christo deficere, nomenque expresso sanguine è digito subscribunt. verum ex ipsis scripti lituris & malè formatis characteribus, facilè vim homini factam esse apparebat, & licet iam liber reclamaret, abiere nihilominus cum scripto impostores. Id cum primario moderatori & huius causæ iudici traditum esset, facilè patuit fraus, maximè illi qui Leonem nouerat, vinci non ita facilè potuisse. Mittit igitur qui à Leone quærat, nunm

um Christi fidem scripto à se abdicatam fateretur, negauit ille se
l etiam cogitasse, simul aperuit fraudem, quæ seipsa prodebatur,
idex tamen hoc accepto responso conniuet, & victor Leo anti-
uam retinet Christianæ viuendi consuetudinem.

Casa locus est Regni Bungensis, quo cum furor ethnicus de-
enisset, inuenit Christiana pectora, quæ intrepidè repugnarent,
d præ cæteris nouem excelluisse scribuntur, qui intra saccos,
'riza detracta, arctissimè alligati (prout varijs in locis fuerat iam
surpatum) abiecti sunt in desertum locum, additis custodibus,
ui prohiberent quenquam ad eos ex vrbe diuertere, ergo sine ci-
o potuque lupis expositi, quos ea in regione ferunt esse permul-
is, dies quatuor, noctes quinque mortem læti præstolabantur,
que inuicem hortabantur non viri solum & fœminæ, sed & pue-
, quos præ cæteris scribitur fuisse continuos hortatores, è quibus
ius nondum quadriennium totum vixerat, vt verum esset quod
ribitur, ex ore infantium perfecisti laudem, qua ex firmitate iu-
x ne victus videretur, seruo suo cuidam mandat vt eos interfi-
at, sed ita mandat, vt famulus intellexerit, gratius illi fore si sol-
intur, ergo ad eos famulus cum perrexisset, funes maluit quam
sos truncare, dimissi à famulo iubentur exulare; conniuente in
osterum iudice, nec vltra de reis inquirente.

Melior fuit alterius fortuna, qui suæ constantiæ præmium
artyrij lauream est assecutus, in Regno Bugensi; è Bungensi ta-
en oriundus, è familia supra vulgarem, Christianus factus, ita
xerat, vt exemplar esset cæterorum, nam orationi deditus erat
ipense horis præsertim nocturnis primoque diluculo, solemne
i sextæ feriæ sabbathique ieiunium; alterum Christi tormentis,
terum colendæ virgini dedicatum. Is in primo impetu non tan-
im non nutauit, sed neque Iudici cessit, neque amicis defectio-
im vrgentibus, quod molestè ferens vnus è propinquis eius, So-
ro appellatus, chirographum clam concipit, quo chirographo
Christum abdicare profitebatur, Romani manum quoad potuit
nitatus; delatum est illud ad Iudicem, inscio planè illo, cuius
iaximè intererat, donec tandem indicio Neophyti, fraus Roma-
o prodita est, satis indignanti, quod à suo propinquo ad eum mo-

dum infamia notatus sibi videretur, sed ea, si quæ fuit, quam diu fraus latuit, eà prodita facilè compensata est tot officijs, quæ ad eam delendam sunt à Romano procurata. Nam primum ex ea die globulos precatorios è collo gestauit, domi suæ in aula, quæ prima ingredientes excipit, crucem exponit, nec adduci vnquam potuit neophytorum etiam consilijs, vel precibus, vt hæc externa religionis signa semoueret, dicebat enim id ijs licere, in quos nulla proditæ fidei suspicio cecidit, se ad offensionem tollendam, inustæ sibi calumniæ teneri ad id quod credebat, externis signis profitendum. Nec his contentus ad Iudicem pergit, fraudem aperit, de iniuria quæritur, & quid credat, quam legem sequatur, ac semper fuerit secutus, exponit.

Iudex hominis libertatem, sui contemptum interpretatus, Romano inijci vincula imperat, & in publicam custodiam abduci, ibi varia prælia ab hostiliter amicis, quin ab ipsa sua coniuge & socru tulit fortiter, ac generosè, deinde in arctiorem custodiam compingitur, ac tandem post menses 8. Martij 21, anni 1616. morte damnatur, admirabili gaudio perfusus, quod in votorum suorum apicem euasisset. Educitur ergo in locum supplicij, quod iter & longum & asperum, vt aliter quàm nudis ac deinde laceris pedibus emetiretur impetrari non potuit, cum neophyti sæpius calceamenta obtulissent. Totum illud iter tacitus, & cum Deo vno colloquens ita confecit, vt nemini etiam quippiam quærenti responderet, nisi fortè semel cum duo neophyti eum, vt ad finem sibi in retinenda fide constaret, hortarentur, respondit enim, vt sine cura essent, daturum se cum diuina gratia operam, vti ne deficeret. Fortè cum ex itinere nobiles aliquot in eum adolescentes incidissent, quærunt ex ministris, cuius rei gratia moreretur, cum illi respondissent, mori quod esset Christianus, intulerunt miseros esse ac mente captos Christianos, si qui essent in Iaponia vniuersa, quippe quod legis suæ causa morerentur, in quos Romanus intuens subrisit, tum oculis in cælum sublatis dixit, Benedictus Deus, ac si diceret. Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Inter hæc venitur ad locum, in quo velut in ara, victimam mactari oportebat, ibi

fixis

xis in terra genibus vltra horam orando absumpsit, donec carni-ci venit in mentem nihil vltra præstolari, oranti enim caput pri-o ictu decussit, in ea ætate qua Christum Dominum pro nobis ucem subijsse vulgò creditur, & alia quoque re similis Domino io, quod eandem cum sontibus insons tulerit sententiam. Cor-ıs propinqui asseruandum sibi velut sacrum, quod erat pignus ceperunt, & vt certius constet, qua in causa sanguinem fuderit, nitti non debet illius testimonium, cuius erat rerum causas reui-ere, is porro Zozayemon dicebatur, cuius rei causam Romanus pite luisset, quod Christianus esset, nec desierit se talem profite-, & addidit Christianos in lege sua retinenda videri nimis duros. m ille, qui quæsierat, Didacus Faitodono, fælicem igitur illum ter fœlicem, quam felicitatem ethnici risu exceperunt, ignari id tali morte Christi pugiles consequantur.

ALIA NONNVLLA IN IISDEM REGNIS.

CAP. XV.

TAmetsi multa passim omitto similia refugiens, aut vsitata, non possunt tamen omitti casus aliquot euentu mirabiles, & va-etate materiæ diuersi. A Christo defecerat neophytus vnus ali-iis, Daifu fulminate, is ex eo tempore subinde eo furore corripie-tur, vt nemo illi impunè occurreret, ac si quando monebatur sum ac Mariam inuocare, in blasphemos clamores prorumpens, nidam eructabat. Contigit die quadam vt velut aliud agentes ophyti quidam, hominem in ædem alterius neophyti deduce-nt, pro eo preces ad Deum facturi, verum in limine restitit iam itiens quid ageretur, & è manibus omnium elabens, in domum i recurrit. Non multi dies abierant cum nocturnis horis, per ma-os imbres domo erumpit quem eius frater, quoad potuit conse-tus, demum & nocturnis tenebris & imbre fatigatus, cum extra nspectũ se proripuisset, domum redit satis metuens aliquod bac-anti infortunium. Die insequenti cum nusquam compareret, ad m vestigandum multi oppido egressi, ne vestigiũ eius repererunt, rum post quintum diem, duas leucas à domo dissitus reperitur,

ad rupis pedem mortuus, horribili aspectu formidabilis, è qua rupe videtur ille præcipitem se dedisse, aut à dæmonibus præcipitem datum defectionis suæ pœnas luisse, qui casus omnes terruit, nec parum aliquos in retinenda fortiter fide continuit.

Ludouica matrona nobilis illa, cuius epistolam initio retuli, cum de nostris agerem vniuersim, illa inquam, imminente partu, insolitos dolores experta, toto etiam corpore intumuit, eoque res deducta erat, vt iam extra spem vitæ posita videretur. Ergo quoniam domi suæ nostrum sacerdotem habebat, peccatis expiata, sacro etiam pane ad viaticum confirmatur, & quia nulla ei spes ex artis medicæ subsidijs supererat, ad diuina conuertitur, acceptam à nostro sacerdote reliquiarum thecam, in qua de S. P. N. Ignatij sacris mortalitatis exuuijs nescio quid, seruabatur, maritus è mulieris collo suspendit, nec mora, nullo negotio partum emittit, totoque corpore breui conualescit.

Magis admirabile videbitur fortasse eiusdem S. P. Ignatij contra dæmonem in energumeno subsidium, senex ethnicus ætate iam vltra 70. annum inclinata, in grauem morbum inciderat, rogatur is à neophytis propinquis vt in ea saltem ætate vitæque periculo de æterna salute cogitaret, annuit senex & euocatur catechista ex alumnis nostris, qui prælectiones solitas aggrediens eodem labore 14. alios instruebat. Iam biduum tenuerat ea prælectio, cum catechista eorum quæ dixerat rationem exigens, de Christi Domini tormentis sermonem ingesserat. Ecce tibi senex improuiso furore corripitur, os vultumque ita contorquens vt terreret vniuersos, multa etiam extra rem effutiens, vix id ætatis & æger à multis poterat contineri, Ingesta illi per vim in manum agni cerei theca, quam ille tolli sibi exclamabat, quod ea sibi sentiret manum perforari, & quia dextro humero fortior videbatur, in eum eandem thecam transtulerunt, quod ille sensit extemplo & miserabiliter eiulans, querebatur quid esset, quod se probum & honoratum virum sine causa mactarent. Cum igitur catechista aduerteret energumenum nullà re conquiescere, profert è libello S. nostri parentis effigiem, & eam fronti applicans iubet vt in nomine Dei omnipotentis, per intercessionem illius sancti, qui societatem Iesu

primus

primus fundarat, edicat quis sit. Energumenus ab imagine vultum auertens respondet tandem se vnum esse de malignis spiritibus, qui Canis rufus appellatur, hoc enim sibi canis nomen dæmones in energumenis vsurpant, quin ipsa lingua Iaponensi dæmon Tenga appellatur, quod cælestem canem sonat, fatebatur se ex ano quodam prodijsse ac redire velle, si qua re donaretur, quam d socium in eodem fano commorantem referret, quod abiens illi facturum spoponderat, abijt tamen inuitus & indonatus, & sex conquieuit ipsa lassitudine in soporem lapsus, qui deinde cum uigilasset, omnium immemor, satis mirabatur ea quæ à se facta dicaque dicebantur, hoc spectaculum efficax fuit ad catechumenos ælectio, qui omnes vna cum ægro ritè iam edocti baptismum suceperunt.

Inciderat in puerilem variolarum morbum quadrima nondum puellula, cuius parentes à fide defecerant, & nondum persiæ maculas pænitentiæ lachrymis eluerant, eos voluit Dominus puellula erudiri, & sui periculi admoneri. Nam nullo modo febat, vt se vlla mulier, nec ipsa quidem mater, nisi esset Christia contingeret, non ferebat ab alijs quam à neophytis visitari, m quibus illa præ gaudio gestiebat, chartulas nescio quas & perstitiosas schedulas exhorrebat, si sacram cerei agni thecam manus illi dares, venerabatur, & in caput erigebat, vnum ex ijs hedulis parentes intra vestem, illa inscia, consuerant, sed illa nec eam proprijs manibus laceraret, nunquam conquieuit. oritur tandem sed eo vultu, quem adstantes prodigij loco haerunt, è quibus aliqui hoc solum aspectu permoti, Christi fidem sceperunt, quin ipse parentum herus à Magistratibus, vt puellæ nus Christiano ritu curaretur, hoc enim per hanc procellam ophytis est interdictum, tametsi non vbique, impetrauit. Cuius causa cum quidam Parentem suam ecclesiastico ritu sepelisset sus est à magistratibus sacrificulos euocare, & funus ex eorum mpa denuo procurare, quod ne facerent exilium potius elegent, quotquot ad eam familiam, supra quadraginta capita censeatur, aliquo modo pertinebant.

Ad eum fere modum apud Biungenses Bugensesque res Chri-

stiana currebat, cùm nondum benè serenato illo turbine, qui sub Daifu multa turbarat, nouus ab Xogun excitatus nunciatur, cuius strages non vbique fuit æqualis, ideo quod à varijs Toparchis variè hæc edicta curabantur, prout quisque in rem Christianam beneuolentia vel maleuolentia incitatus habebatur. Multa fuerunt neophytorum prælia, sed ea ferè alijs simillima, vnum commemorabo priusquam in vicina regna digrediar.

In oppido Taqueta, viuebat antiquus Christianus, & idem annis non malè in Christiana disciplina collocatis venerabilis, Paulus Quizayemon dicebatur, vocatus ad Præsidem solitis artibus oppugnatur, sed ab eo consueta Christianis firmitate repugnatur, cui cum deinde Præses vnum diem deliberaturo daret, ita respondit noster veteranus, nihil est opus ad deliberandum tempore, idem responsum hodie, cras idem, postridie erit idem, Christianus vixi, Christianus moriar, tametsi me frustatim laceretis, quo ex responso cum spe victoriæ excidisset, ad Dynastam res refertur, is iubet Paulum extemplo mactari, & iam se hilaris ad mortem comparabat, cum mutata repente sententia iubetur exulare, sed detracta sibi cum liberis coniuge, cuius non inferior fuit constantia. Illa enim sua sponte ad iudicem pergens professa est, se, si spe defectionis impetrandæ retineretur, minimè adducendam, vt etiam proposita morte à Christo desciscceret, in cuius rei testimonium, ipsa inposterum precatorios sibi globulos è collo suspenderet, & Christi seruatoris effigiem publicè domi exponeret. Cui iudex age prout libuerit ait, nam & tu quoque extra ditionem proscriberis. Huic simillima fuisse videtur alia, quæ absentis mariti nomine iussa defectionem à fide scripto concipere, fortiter renuit, & neque se facturam, neque se auctore maritum est protestata. & cum illi ex eo responso periculum immineret, à parentibus ethnicis clam educta inuita coronæ subducitur, sed illa tamen in medijs infidelium tenebris, Christianæ legis exemplo prælucet.

DE CHRISTI ECCLESIA IN REGNIS Chungocu.

CAPVT XVI.

REgna Aqui, Suuo, Nangato, Iuami, Bingo, Bigen, Farima, Ninafaca, Yo∫ & Sanaqui, vno nomine regna Chungocu appellantur. In his omnibus ſunt plures paucioreſue neophyti, ad quos excolendos à noſtris ſacerdotes duo collaborant, & incredibile eſt quanto labore, factum eſt tamen vt intra eundem annum omnes viſerentur magno ſolatio, magno fructu, nec vniuerſim ijs in regnis ea ſunt, quæ alibi rei Chriſtianæ anguſtiæ, quod alibi Dynaſtæ, alibi Iudices in rem Chriſtianam minimè maleuoli, ad ſpeciem duntaxat, Imperatoris edicta exequantur, ſed hæc melius conſtabunt cum ad ſingula deſcenderimus.

In regnis Suuo & Nangato, & maximè in vrbe Yamaguchi neophyti ſuam retinent firmitatem, quod ſatis mirum eſt propter odiū plusquam capitale, quo Moridonus horum Regnorum Dynaſta, etiam nomen ipſum perſequitur Chriſtianum. Ibi degebat ſacrificulus quidem, qui eam erat ſanctitatis opinionem conſecutus, vt etiam Amida viuus appellaretur, & allatæ ſtipis vndequaque copia abundaret, is vrgente malefactorum conſcientia, facilè totius rei conſequebatur vanitatem, & quia non planè depoſuerat animum, ingeſſit illi Dominus cupiditatem Chriſtianæ rei penitius excutiendæ. Ergo clam inſtar Nicodemi ad noſtrum ſacerdotem, cum eo veniſſet, excurrit, interrogat, audit, diſputat, & tandem eos diuinæ lucis radius admiſit, vt manus daret, nec infirmior fuit in amplectenda, quam acutior fuerat in dignoſcenda veritate, nam detracto ſanctitatis fuco, ſpretaque vulgi opinione, imo & abiectis rei familiaris commodis, maluit vni Deo ſe probare, quam agnitā ſemel ſalutem negligere, & modo viuit minore quidem nominis celebritate tenuior, ſed tamen quod vnū eſt ſatis viuit Chriſtiane.

Non æque fæliciter cecidit quod ſubiungo. Conſtanti fama creditur apud Iaponios, eos qui Dæmonem præ cæteris numinum nominibus venerantur, Yamabuxis vocant, habere in homines dæmonia immittendi facultatem, neque fortaſſe planè falſum eſt, ita Deo permittente, ad plectendam cæcæ illius gentis credulitatē. Ex ijs venefica mulier in Regno Suuo, in vico Inacuni, ſuis carminibus omnia implebat dæmonijs, nemini parcebat, ne nobiliorum

quidem

quidem & optimatum filijs, eaque re tantum sui terrorem sparserat, vt nemo illam plectere, tametsi id omnes & maximè Dynastæ cuperet, ausus fuerit. Quod neophytus quidã inaudiens, non negligendam Christianæ legis cohonestandæ occasionem ratus, statuit apud se diuino fretus auxilio Rempub: suam communi metu liberare, ergo in eius domum pergit, Deo fidens, veneficam interrogat, num in mortales dæmonia immittendi habeat facultatem; annuit illa, rata, se vt id alicui faceret lucro inuitandam, Tum Neophytus immitte igitur in me si potes, & cum hoc diceret, sicam educens primo illam ictu ad suos dæmones amandat, quam rem omnes miris laudibus comprobauerunt, tametsi non defuere qui audax facinus putarent non impunè transiturum. primis diebus obseruabant hominem, & si quid fortè præter ordinem vultum aut os contorsisset, iam energumenum fieri suspicabantur, sed ille vanos metus irridens etiam dæmonibus insultabat, quo factum est vt tandem dilata pæna pro sublata teneretur, magnaque inde in omnes Christianæ legis admiratio, quod maximè neophytus intendebat, cum summa comprobatione sequeretur.

In Regnum Mirasaca cum sacerdos noster excurreret, habuit obuios magno numero neophytos, qui antiquam retinent libertatem, quasi reliqua Iaponia nullo persecutionis igne conflagraret, cum enim eo quoque edictorum fulmina communis turbo detulisset, Toparcha nihil innouauit, asserens id hominum genus in suis terris minimè reperiri, quod ille ex beneuolentia magis quã ex ignoratione asserebat, sub vrbem quippe neophyti cæmeterium concinnarunt, & in eo elegantem crucem ad sesquipassum erexerunt, imo & in singulis neophytorum tumulis exigua crux assurgit, quod sacerdoti nostro magno solatio fuit, crucique gratulatus dicebat, Dominare in medio inimicorum tuorum; Cum missæ sacrificium in eius regni metropoli Teuyama sacerdos noster faceret, incredibile est quantum neophyti exultarint, neque enim alias ea in vrbe simile quid viderant, & multi ne viderant quidem per vitam vniuersam.

In regno Yio Neophytus quidam nobile cum dæmone certamen iniens victoriam reportauit, Energumenum ibi ethnicum

neo-

neophytus visitauit, ex eo quærit quis sit, & vnde veniat? negat se esse Dæmonem, sed neophytus, efficiam vt quis sis dicas, & rosarium sertum proferens solo conspectu fecit vt tremeret, sed cum illud in collum sensit iniectum, tum demum bacchari cæpit ac fugere. Tum neophytus, si precatorijs his globulis ita torqueris, quid est quod eos nō ab jcis? næ tu bardus es & mentis inops inquit Dæmon. si ligatas habeo manus, quî vis, vt abijciā? quis eas ligauit? refert ille. hocipsum tuū rosariū ait dæmon, Itáne verò! atqui scias ait neophyt⁹ me hæc vincula minimè tibi detractură, nisi prius edixeris qui sis, & vnde venias? è regno Sanuqui ait ille, Combria vocor, nomen illud est simulachri celebris, quod in eo regno impensè multi venerantur, Abi ergo ait neophytus & hunc hominem mitte, abibo respondet is, si prius me meis vinculis exsolueris, exsoluam ait noster, sed ea lege, vt nunquam post hac in hac ditione compareas, quod cum spopondisset, neophytus sertum suum energumeni collo educit, & simul dæmonem, qui primo fractum corpus reliquit, sed mox in pristinam redijt sanitatem, eo euentu & neophytus ipse in sua fide confirmatus est, & ethnici in Christianæ legis admirationem versi, quam plures non illibenter complexi fuissent, nisi edictorum minis territi distulissent.

Eodem in Regno, in ædibus Toparchæ, cui paret magna ex parte Regnum Yio, puella viuebat ab ipsa infantia Christianis sacris eluta, sed inter ethnicos perpetuo educata, cui nondum licuit nostrum adire sacerdotem, tametsi id illa serio procurarit, quoties eo noster excurrit, sed intra arcem inclusa, Iaponensis nobilitatis solitudine detinetur, in filiæ Dynastæ ipsius famulatu. Huic Monicæ, ita enim vocatur, casus nuper incidit, satis admirabilis, nam cum agni cerei thecam è collo eduxisset, & non aduertens, nesciret vbi reliquisset, breui disparuit, euerrit illa domum primum vniuersam, deinde socias eiusdem gynicæi puellas rogat, vt sibi sua restituant, si fortè ioci causa, erant enim ethnicæ, religionis suæ pignus subduxissent, sed neque sic quod quærebat reperit, ergo heram quoque suam interpellat, cuius authoritate theca vbique conquisita, etiam tum latebat. Cum ecce tibi repentè ancilla ethnica morbo corripitur ac moritur, in cuius sarcinis thęca iam minimè

quæritur, inuenta eſt, ſatis attonitis eo caſu omnibus, quem illi ſacrilegio non dubie imputabant, ex eoque die maior haberi Monicæ ſacris rebus veneratio cœpit, & ipſa ſuo ritu liberè viuere permiſſa eſt.

In Regno Bingo, Tomo pagus appellatur, viuit neophytus cum vniuerſa familia Chriſtianè, huic vxor moritur, ad cuius funus procurandum, quod eſſet vir copioſus, accurrunt ſacrificuli, ſed ille ritus ethnicos deteſtatus, reiecit importunos, aſſerens ſe Chriſtianum, & vxori æque Chriſtianæ non niſi Chriſtianè funus procurandum. Ergo domi ſuæ in aula interiore Cenotaphium extruit non inelegans, in eo ſarcophagũ deponit, & circum 30. cereos accendit, & ipſe cum Neophytis eius loci paucis, triduo toto continuas preces fundi curat, & ſi quis de more comploraturus adueniret, eum exteriore aula exceptum dimittebat. Exacto triduo voluit clam corpus humare, ſed impetrare ſecretum non potuit, erupit res ad propinquos ethnicos & familiares, qui & ipſi cum ſuis laternulis, cereis, facibuſque incenſis concurrentes ſeſe neophytis addiderunt, & noctem illam non ſine pompa colluſtrarunt, excluſi tamen ſunt ſacrificuli, quos rabies inuitos domi rodebat, è quibus vnus celebrior cæteris ad loci moderatorem venit, queritur de Chriſtianis, quod antiquam libertatem retinentes, edicta publica ſpernerent, palamque cum hac nouitate prodirent, verũ ille nihil eius oratione commotus factum ſatis leuiter eludebat, qua re ſacrificulus indignans dixit, fortaſſe quod impunè per ſe hæc liceant, omnia in te poſtea recidere pænitebit, quas minas non ferens gubernator, ſacrificulum contumelijs exceptum domo pellit, qui duplicem iniuriam intra ſtomachum cocturus ad ſuos ſe recepit, exultantibus contra neophytis, quod ſuæ cauſæ patrocinium gubernator ipſe ſuſcepiſſet.

In Regno Farima, magna eſt neophytis quies, ex eo maximè quod proximi pluriũ pagorum moderatores, qui annuos cenſus exigunt, ipſi quoq; Chriſti fidem colunt accuratè, quos Dynaſta vbiq; fidos induſtrioſque retinet, nec aliud ab ijs exigit, quam Chriſtianorum propoſita cruce iusjurandum. Eo igitur in Regno Chriſti grex conſeruatur, & creſcit etiam, nam poſt bellum Ozacenſe, eo diuertit

neophytus,rei Christianæ peritus in paucis,ex eo quod domi nostræ plures annos fuerit commoratus;Is ad Christum adduxit quamplurimos, dū quod didicit impensè docet. Neophytos inter vnus est, Ioachimū vocant, qui ad Christum adiunctus est eo tempore, quo potuerat alius separari. Nam cum ex orta inter Arimensem Regulū & Paulum Daifachi Neophytos lite, multi imperatoris exemplo, quod alias scriptū est, Christianæ fidei obloquerentur, voluit ipse tum rem totam diligenter excutere,cumq; deprehendisset nihil religionis vitio,sed duorū,qui eam sequabantur esse peccatū, Christo nomen dedit ita ex animo, vt breui se supra multos eueheret, & cū nuper vrgente suo Toparcha,in sententia nihilominus persisteret, ausus est dicere,se in omnem profundendi sanguinis occasionē intentum, hac oblata gaudere, quo responso fractus est ille, & cum deinde conniueret,denuo est à Ioachimo lacessitus, quod vellet liberè, si liceret, Christum colere, sin,pro eo mori, & prius ab hero suo, cui erat perutilis, impetrauit.

In huius Regni metropoli Fimegi appellatur, nobilis neophytus sacerdoti nostro in interiore domo parauit,in quo lateret,hospitiū, idem fecit in proximo pago sibi comendato, in quo multos habet Christus asseclas, is ita incensus est pro fide sua patiendi desiderio, vt si quando proscriptum aliquem audiret,aut occisum in hæc verba prorumperet, nunquam ne mihi ea sors obtinget, vt ad me proscriptionis aut mortis nuncius laureatus aduеniat! mea me peccata præpediunt,indignus sum qui Christi causa patiar,prout alij multi qui ab eo diliguntur. Verum ille tandem voti compos factus est, hoc enim ipso tempore,martio mense,anni 1616. Toparcha ille in cuius erat obsequijs. ad eum misit qui suo nomine iuberet eū Christi fidem abdicare, & quia non imparatum pectus erat ad insultus huiusmodi repellendos, respondit se id non esse facturum, tametsi membratim discerpatur, cuius responsi sibi conscius,ad mortem se cum vniuersa familia comparabat. Verū Toparchæ satis fuit eum è sua familia excludere, & quem illi subministrabat censu priuare, quod ille libens pertulit, hoc illibens quod parum in ea causa profudisset,qui nihil sibi reseruabat. Eandem fortunam tres alij ex eodem Toparchæ comitatu subierunt, quibus adde, quem, nisi seipsum prodidisset, Toparcha nesciebat esse Christianum.

FIROXIMÆ NEOPHYTVS IN CRVCEM agitur.

CAP. XVII.

FIroximæ Christiana res etiam in hac persecutionis pruina floret inprimis, non numero solum ac nobilitate, sed etiam quiete plerumque maiore, quam præsens rerum status sperandum exhibet, Tayudono quippe huius (quod Aqui dicitur) & Bungensis regni Dynasta non ignorat, quam iniustè res Christiana iactetur, nec dubitauit nuper in conuiuio perstringere nimiam in Christianos immanitatem, quos vitæ suæ prodigos tractare lenius oportebat, ac nisi communi metu teneretur, non videtur solo fauore rem Christianam prosecuturus, sed etiam de ea sibi eligenda tractaturus, cuius prælectiones, cum olim paucas audiuerit, ita captus est, vt eam sectis Iaponensibus ad vnam omnibus longè præferret, quin ipse Firoximæ, quæ metropolis est, Gubernator exemplum Dynastæ & auctoritatem secutus, nihil nisi Ecclesiæ pacem, vt Christo se adiungat auidè præstolatur, Ex his fit, vt sacerdos noster Firoximæ diutius quam alibi commoretur, eoque neophytos tuto euocet ad ea peragenda, quibus ne siluescat Domini vinea excolitur.

Ita fluebant res Firoximæ ad Octobrem vsque anni 1616. quo renouatis ab Xogun edictis, cedere coactus, ædes nostras, quæ hactenus steterant diruit, sed ædem sacram reueritus tangi vetuit, ne quod sibi, vt aiebat, infortunium accerseret, ex eo quod sacri Christianorum ritus eum locum consecrassent, his etiam satis inuitus neophyti mortem addidit, quod is publicè delatus æmulorum inuidiæ materiam subministrare posse metuerat, cuius gloriosum certamen in quo nihil minus sperans, heroicè decertauit, describamus.

Cum Firoximæ publicam sedem figeremus, baptizatus est iuuenis honestis natalibus ortus, & indole iudicijque bonitate spectabilis, is in baptismo Dominicus est appellatus, Iaponensi cognomine Catzo dicebatur. Cæpit ille breui, exemplo suo etiam antiquioribus prælucere, & quoniam parentem & nouercam habebat ethni-

ethnicos multa domi prælia passus, & ne Christum negaret, tertio quartoue paterno domo eiectus, sponte cœpit exulare, & primum Nangasaquium venit, ad eum sacerdotem, à quo fuerat salutari fonte Christo initiatus, cum eo sua prælia, suasque victorias contulit, & expiatis peccatis sacroque pane refectus, in iter se dedit quocunque eum Dominus duceret. Delatus est in Insulam Xicocu, & in Regno Yio ethnico Toparchæ adhæsit, ab eoque moderato censu donatus est, sed cum eò sub Daifu edicta in Christianos deuenissent, ab hero tandem eiectus est, quod Christum eiurare noluisset, sæpius ac sæpius ab eo rogatus, quod illi percarus nec inutilis esset.

Audijt id temporis parentem ætatis vitio maximè laborare, redit ergo Firoximam, tentaturus an obfirmatum eius animum posset Christianæ fidei præceptis mitigare, sed frustra, moritur ille magno Dominici sensu, quem iam ex Christiana disciplina non latebat quam suppliciorum æternitatem incurrisset. mortui parentis hæreditatem munusque quod gerebat, adnitente nouerca, frater eius iunior nouercæ filius adierat, eam rem Dominicus, vt erat, iniustam ratus, cum nihil iure impetraret, statuit recurrere ad Dynastam, & concepto quam aptissimè potuit libello, eum ad Regulum defert Nouemb. 26. anni 1616. perlegit libellum Dynasta, & cum responsum pararet, ex eius comitatu nescio quis, nouercæ vt apparet largitione corruptus, Dynastam præuenit, dicit hunc adolescentem minus aptum esse, vt parenti substitueretur, non solum quod altero crure claudicaret, & animo satis vilis, ac minimè generosus, sed maximè quod Imperatorijs edictis suscepta & obstinata retenta Christianorum lege repugnaret, nec vlla parentis aut amicorum consilia de barbara religione dimittenda admisisset, dicta sunt hæc pro tribunali palam, non negante Dominico, ergo Dynasta in recenti edictorum feruore, non est ausus negligere quod audiebat, ne apud Xogun deferretur, quod eius auctoritatem tueri publicè neglexisset, Præcipiti igitur consilio Dominico actutum mandat, vt more gentis ventrem sibi laceret, verum ille sibi Christiana lege nefas esse respondit; tum Dynasta relictis alijs,

vnam religionem causatus, increpuit Dominicum quod contra Imperatorum edicta Christi fidem obfirmatè retineret, quod si facere pergeret, in crucem, quam tanti faciunt Christiani, protinus ageretur.

Non capiebat se præ gaudio Dominicus, cui pro patria hereditate litiganti, funes ceciderant in præclaris & dicebat hæreditas mea præclara est mihi, ergo interim dum crux paratur, abducitur ille in vicinam arci domum, in qua Dynastæ affinis morabatur. Ibi Dominicus Deo sua beneficia, sibi suam sortem gratulabatur, quod & pro Christo mori & in cruce mori se videret, cum id minime sperandum putauisset, sed non longi temporis interiecto spatio ad Dynastam reuocatur, Deo ita disponente vt constaret euidentius cuius rei gratia moreretur, sperabat autem Dynasta, quia cupiebat eum mortis metu subito consternatum, deficere à Christo potuisse, quod si fuisset, præcipitem illam de morte sententiam ipse reuocaret, reducitur ergo in arcem, alio iam habitu, manibus post terga reuinctis, & iniecto in collum fune, spectaculum factus Deo, angelis & hominibus. Ad eum mittit Dynasta familiarem suum, quem maximè carum habebat, iubet ex eo quæri, num in eadem persistat de sequendo Christo sententia, posse si eum abiurasset, & viuere & patriam hæreditatem recipere, magnum telum esset ei quem nondum diuina sibi gratia præuenisset, cui noster inuictus miles, ita respondit: Christianus sum & semper ero, cuius rei gratia nemo est, qui nesciat me parentis gratia excidisse, eam fidem non ex corde solum, sed nemo est etiam, qui mihi ex ore eripiat, vitam mihi eripiet, qui voluerit, certam mihi salutem in Christi fide esse persuasi. Illustrem nostri pugilis professionem Dynasta indignabundus excepit, eam igitur responsionem extremam interpretatus, iubet vt extemplo in crucem agatur, eo in loco qui reorum supplicijs infamis habebatur, sub vrbem, ad iter publicum, ne quid esset quod vltra noster martyr optaret, si Christo simillimus esse optaret.

Educitur itaque ex arce, habitu quo supra, spectabilis; præibat satelles cum inscriptione, quæ literis cubitalibus expressa his verbis

verbis legebatur, Iubeo hunc hominem mori, quod se Christianum fecit, contra Imperatorum edicta, & quod nullis consilijs de illa lege relinquenda, ne parentis quidem ac fratrum acquieuerit, sed Nangasaquium iuerit & huc deinde redierit. Improuisa in Dominicum sententia pauciores ad eius mortem neophytos euocauit, totum iter in agendis Deo gratijs exhausit, quod se ad mortem, mortem autem crucis adduxisset. venitur interim in Caluariæ locum (quid enim impedit quin à similitudine ita nuncupetur) vbi cum crucem suam humi iacentem conspexisset, in genua ruens maxima illam religione veneratus est, alterum Andream videre te dixisses, deinde instar agni mansuetissimi brachia crucis brachijs illiganda tradens, in altum erigitur, & interim dum ipsa crux intra suum foramen aptatur ac firmatur, cœpit noster pro suis rostris ad circumfusam ethnicorum multitudinem de fidei nostræ veritate ac sanctitate perorare, pro ea se mori, nec extra illam salutem esse.

Deinique



DOMINICVS CHRISTI CAVSSA IN CRVCEM ACTVS.

Denique fixis in cælum oculis cum SS. Iesu ac Mariæ nomina inuocaret, lancea de more quater impetitur, & in sui sanguinis fluuio in cælestem portum anima deportatur, eo ipso die & anno, quem dixi, cum ageret ille ætatis 23. vel 24. in professione verò fidei Christianæ vix octauum, mox vt fluere cæpit sanguis, concurrere neophyti, neque à satellitibus, quin magnam illius partem exciperent contineri potuerunt. Corpus verò non nisi post octiduum quo toto excubitores adhibiti, sacrum furtum vetuerunt, de eo rapiendo consilia inierunt, & iam perfecerunt, Firoximamque suam sacro hoc pignore nobiliorem reddiderunt.

QVID IN CAMI HOC RERVM STATV agеretur.

CAP. XVIII.

Regna aliquot circum Miacum, Ozacam, Saeajum, Fuximi nobilissimas vrbes, aliasque permultas Cami, vel Goquinai vno nomine nuncupantur, in his magna vis est Christianorum, quibus instruendis è nostris hoc tempore quatuor sacerdotes dant operã. Longum esset horum excursiones, sudores, pericula, sed & fructum commemorare, pauca de multis more nostro seligemus.

Neophyti multi, quos in vinculis nondum damnatos, priore de Iaponijs triumphis commentario reliquimus, annum propè totum ibi detenti sunt, tanta vitæ sanctimonia, vt carcerem in ædem sacram diceres commutatum, bis intra octauum quemque diem ieiunabatur, quotidiana erat corporis flagellatio, oratio, de diuinis rebus collocutio, quasi verò non sufficerent vinctis sua vincula, pædor, angustia, fames, aliaque sexcenta incommoda, sed in his cum Apostolo dicere poterant, superamus propter eum qui dilexit nos. Impetratum est tandem vt soluerentur, sed dato sponsore, qui eos quoties accersirentur exhiberet.

Ozacam, vt initio dixi, nostri duo quam occultissimè excurrerant, continuis precibus euocati ab ijs neophytis, qui plurimi sub Fideyori militabant, ij intra vrbem stragis & excidij tempore deprehen-

prehensi cum vita euaserunt, sed tot perfuncti periculis vt vtriusq; literæ totius rei narratrices non videantur omittendæ. Alter ita scribebat: cum inimici Ozacam victores ingrederentur, ego in ædibus Acaxicamon Ioannis morabar, & mox vidi me flammis cinctum, quod ædes ipsius non procul distarent à loco certaminis. Ibidem aderat Monica mater Acaxicamon, cum eius filia Catharina & alijs nobilibus matronis, quæ omnes ea dicebant eiulantes, & filiolos complexę, quibus adamantina corda concuti potuissent, eo ipso tempore aliquot ethnicos, qui me rogarunt, baptizaui, adiutore alumno meo Michaële, qui hoc postremū officij sui munus exercuit, paulo post moriturus, substiti horā propè integram, quod dicerent, victores primo illo impetu obuios omnes nullo delectu mactare, sed posteaquam ad nos propius accessit incendiū, & famuli Monicā in sella gestatoria nescio quo extulissent, aiebant se in arcē tendere. Ego tum cum meo Michaële, & alio Neophyto Xoam domo exij, neophytus iste, tum angelus mihi tutelaris fuit. Vix exijmus cum incidimus in fæcem exercitus, calonum & lixarū turbam. Exierunt nobiscum fœminę aliquot, quas cum illi vidissent, nobis relictis in eas irruerunt strictis gladijs lanceisque, quod illæ videntes in ædes suas Acaxicamon inquam recurrerunt; nos iter nostrū prosequuti cadauera calcamus aut adhuc spirantia corpora vel potius trunca membris monstra, quorum lamentabiles eiulatus audire vix proprij periculi præsentia permittebat; nondum tertium vicum egrediebamur, cum in oculis meis Michaël alumnus noster, cæsim concisus vulneribus occiditur, ego interim præstolabar idē mortis genus, nam in me quoq; irruentes strictis gladijs pecuniā exigebant, ac deinde etiam rapiebant, nec illam solum, sed ipsa quoque scripta mea quod grauius sensi, quod ea multorum annorū labore conflauissem. Deinde vestibus omnibus ad nudam toto corpore carnem exuor, non pileum, non calceos, non ipsam sacram mihi thecā reliquerunt, & tandem quia senex & externus, viuus dimittor. Cum me ita nudū conspexissem, quod non potui corpus vestibus tegere, proximo mapali occultabam, certus ibi mori siue incendio grassante correptus, siue cuiuslibet ingressuri manu. Interim socius meus Xoam, & ipse nudus, vtriusq; nuditati remediū qualecunq; vestigabat, cum ecce pauperis abiectū temere centonem reperit, eoq;

me

me induit, nihil eius breuitatẽ moratus, cingor etiã straminea fune, & nudis pedibus qua cadauerũ strues iter dabat ingrediebar, & alijs mendicis additus sub horã tertiam pomeridianã, ad ipsum corpus exercitus peruenio, & arbitror ab ipso Daifu eiusq; filio probè visũ ac fortasse agnitũ, sed alia tot vrgebant mala vel malorum metus vt pudori locus nullus relinqueretur. Deinde leucas duas calcatis cadaverib⁹ emetior, alios aduerto semianimes, alios mille locis saucios, sanè obstupui tanta hominum multitudine, tametsi qua minor militũ globus conspiciebatur, illac iter dirigerẽ; Non facilè numerauerim quoties in collo sicam, in pectore lanceã viderim, vtinam hæc mihi pro merito tantillo corã diuina maiestate computentur. Sæpius ex itinere id occurrit, O vtinã in ædibus Acaxicamon, vna cũ ijs qui aderant Neophytis, mortẽ fuissem præstolatus, sed planè me peccati conscientia coëgit, ne volens arderẽ, cũ fugere me posse minore maximè periculo iudicarem. Illa ipsa nocte propè media, cum Achate meo, veni in pagum Quixinouadar in Regno Izumi nouem ab Ozaca leucis, nec enim propius Ozacenses cum omnia vastarant vlli pepercerant, veni inquam pedibus ita lacer & tumidus, vt quindecim diebus ibi oportuerit apud Neophytum, Mazayemon dicebatur, subsistere.

Ista ille, sed alius nihilo feliciore fortuna vsus, tandẽ tamẽ euasit infortuniũ. Posteaquã enim bellũ Ozacense descripsit, ita pergit. ædes in quibus tum degebã erant perangustæ, ideo neophyti duo in vicinas ędes ampliores abduxerunt, quibus vt militaris furor parceret, ex eo sperabant, quod illarũ herus in Daifu castris militaret, non enim permittebant neophyti vt me primo victorũ furori exponerem, & ita fecissem nisi totã Ozacam propè momento ignes occupassent, & quoniam venti cum incendio conspirabant, ante horam post meridiem quintam, Ozaca vel vrbs, vel arx in fauillam concidit, quo tempore magnum adij vitę discrimen vel ab igne vel à fumo, sed quoniam illa non tota simul arsit, potui nunc hac nunc illac fugiens flãmis cedere, sed non æq; fumo qui oculos torquebat, etiã cum in arundineto proximo, deinde combusta domo latitarẽ, in illo ipso arundineto, neophytos quotquot aderant, peccatis expiaui, quin etiã ethnicus periculo permotus, voluit baptizari. Totã illã noctẽ in arũdineto latuimus, neq; enim in ea quæ vrbẽ cingebat

multitudine tenebræ spem effugij dabant, sed potius militarem tegebant insolentiam, & maiorem cædibus libertatem dabant, sperari verò posse fatigatum iam furorem primo diluculo mitigandum, vix illud illuxerat cum milites ferè viginti in arundinetum irrumpunt, & vt latentem prædam eliciant fistulis suis temerè glandes toto arundineto displodunt, ac deinde cum in conspectũ venimus, stricto in nos ferro concurrunt. Alumnus meus ac famulus vna cum alijs diffugerunt, neque enim tempus erat auxilij mutui, sed solum vt quisque quo meliore posset modo sibi consuleret. Ego nullum in fuga præsidium videns accurrentes præstolor, ratus fortasse cum me vidissent externum, fore molliores, nec planè me mea spes fefellit, postquam enim me vestibus exuissent dimiserunt, non planè nudum, ideò quod consultò prius intimam vestem indueram tritam illam ac laceram, vt quæ militibus inutilis videri poterat, mihi non esset importuna. Atque ita Ozaca egredior nescius qua iter ingrederer aut aggrederer, vbique à dextris & à sinistris cadauera, semianimes, ambusti, saucij iacebant, tristi planè spectaculo, egrediebar igitur & hostes Ozacam per turmas suas ingrediebantur, obuij me non vno modo salutabant, alij dicterijs & scommatis, ferociores sicis & lanceis propè decies truncari me iam arbitrabar, sed clemens Dominus ex medijs me periculis eduxit, satis fidentem eius prouidentiæ, satis alacrem ex eo quod in eius causa hæc paterer.

Ibam tandem per medium agmen, Massamune Regis Voxu, (is qui nuper legatione, per P. Ludouicum Sotelum procurata, Pontificem & Hispaniæ Regem salutauit) qui socer est secundi filij Daifu, ibi me vir nobilis fortè conspicatus, & fortasse quis essem ex ipso vultu coniectans, in tentorio suo me perurbanè detinuit, vetuitque serio vltra progredi, nisi vellem exemplò mactari, totum eum diem Iunij quintum apud eum delitui, qui cum die insequenti Miacum pergeret, ego sine Duce ac sine remedio substiti, dubius quid maximè agerem, & tandem optimum factu iudicaui, si ad ipsum Masamune pergerem, quem iam equitare parantem Miacum versus inueni, Dixi me externum esse Nangasaquij commorantem, & ex eo quod Ozacæ me clades ista interceperit, in has

has angustias esse coniectum, quibus adductus rogabam, vt me in certum locum, Muro dicitur, abduci iuberet, tuto inde me Nangasaquium petiturum. Ad hoc postulatum ille mihi per honorarium puerum ita respondit, facilè sibi esse quod petitur, nec illibenter facturum; sed ideo quod sim Christianus, omnino sibi non licere quicquam auxilij conferre. Hoc responso lætior abij, quàm si mihi, quod petebam non abnuisset, nam cæpi firmius de diuina prouidentia confidere, fore vt ipse me protegeret, sin faceret, hoc solo peribam quod essem Christianus; atque ita hac vna fiducia armatus, cætera inermis, exercitum vniuersum, qui è Quanto venerat, illæsus pertransij, donec in Sumaxaxi veniret, nam cum ad locum accederem, obuios habui milites aliquot, qui me comprehensum tantum non sicis confecerunt, nisi vnus ex illis externum esse me, quod ego quoque monebam aduertisset, socijsque persuasisset, vt me dimitterent. Dimissus in vico proximo incidi in viros nobiles Dynastæ Regni Aua, à quibus quis essem repentè cognitus sum, vetant vlterius progredi, periculum exaggerant, & tandem ex ijs vnus, non sine magna doloris significatione, quem ex incommodis meis capiebat, conuiuio me domestico excepit, vestem addidit; & ferè sex dies me tenuit, in Aua secum nauigaturum. Sed prius nobilis Neophytus Tacuydo Matayemon appellatus, de me resciuit, & ad se per amicum me euocauit, hic demum malorum meorum oblitus, excipi cæpi Christiana caritate, & in tuto tandem sum collocatus. Ita maximè nostri duo qui Ozacam ad Christianos milites excurrerant, suo munere functuri, Deo duce per mille pericula in tutum euaserunt.

Verum quid Acaxicamon Ioannis filiæ, in hoc prælio acciderit, ad nostrum non ineptè spectat institutum, illa enim Christianè à parente educata, egregium de se toti Iaponiæ præbuit spectaculum. Obses erat in arce Ozacensi pro parente, qui vnus erat è tribus Ducibus exercitus Fideyori, quæ ingenij bonitate ac indole se matri Fideyori probarat, & in eiusdem se gratiam insinuarat, vt si prosper fuisset huius belli euentus, illa procurante nobilissimis nuptijs illiganda dicebatur. In communi rerum omnium perturbatione Regina, ita dicebatur, arcem egressa incidit in gregarios milites,

lites, è quibus cum esset vnus petulantior, restitit animo plusquam puellari, ceruicem aliquoties præbens, ne pudorem amitteret, & quia vires illius ætatis & sexus contra scurrilem impetũ videbat diu non posse subsistere, non dubitauit quænam esset prodere, quod mallet vitam exponere, quam pudorem. Rogat igitur vt ad Daifu deducatur, esse Acaxicamon filiam, continuit ea res petulantiã, vel præmij spe vel pænæ metu. Sistitur ergo Imperatori, qui puellæ consilium, quod è generoso pectore eduxerat comprobans; noluit videri victoria insolens in puellam sæuijsse. Iubet illam in gynæceo suo excipi, primariæ cuidam pellici; suæ commendatam, iussitque eam pro dignitate, & pro insigni facinore, magnificè tractari, Ac deinde cum vellet Surungam redire, denuo sibi Reginam sisti iubet, ex ea quærit de parente quid sciret, Illa quod erat, nihil se de illo inaudisse, quod Ozacæ intra arcem obses clauderetur, quærit deinde quot fratres haberet, respondit quatuor, imo quinque ait Daifu, cui Regina, quinq; sunt omnino, sed quod ad rem facit, sunt quatuor, quintus enim abdicato sæculo in societate IesuReligiosam vitam ducit; quem ego ex eo tempore velut sæculo mortuum æstimaui, mirè placuit Imperatori acuta Reginæ responsio, & hoc maximè omnes mirabantur, quod illa nullo metu perturbata, sibi semper constaret, nec hostem reuerita verecundiam animo superarit, fortes enim creantur fortibus. Institit Daifu, cum filia sis Acaxicamon oportet te proculdubio esse Christianam? planè ait Regina, esto inquit, age esto Christiana, & Deo tuo parentem tuũ, qui hoc bello perijt, commenda, (ideo perijsse putabatur quod nusquam compareret, sed quod hodie hactenus sciamus, est superstes) obtulit deinde illi, vt in familiam Maudacoræ, quæ Taicosamæ vxor fuit, si vellet adsciscceretur, verum maluit illa suum infortuniũ cum fidei thesauro in tutũ recepto, quam aliud quidlibet cum eius periculo; ergo libera dimittitur & quidem à Daifu non indonata vestibus & reliquo ad iter apparratu. In toto Imperatoris exercitu magna comprobatione vagabatur heroicum Reginæ facinus, prudensque consilium, & plerique Christianam efferebant, è cuius exierat professione, disciplinam. Non defuerunt aliæ plures in eodem prælio viragines, nam vna nobilitate quoq; sui generis nota, arrepta sica

seipsam

seipsam contra scurram est tuita; alia crinem sibi resecuit, ægritudinem finxit, & dierum quinquaginta inediam sibi indixit, orizæ paululum clam omnibus sumens, donec tandem pretio à propinquis redempta cum filijs duobus, pedisequas etiam suas liberauit, & ex Ozacensi strage thesaurum sui pudoris ereptum intra coniugij limites conseruauit.

Sed neque omitti debet magnum in ea strage prodigium, quod in fidei nostræ commendationẽ, vna cum ignibus illis toti Iaponiæ illuxit, nam cum milites in fauillis quærerent ea quibus ignes pariunt, repertę sunt aliquot imagines nostræ, in sola charta expressæ, quæ sub alto cinere sepultæ nihil ab igne pertulerant, nisi quantum ad faciendam fidem erat satis, nam extremi solum margines ambusti ad fidem miraculi videbantur, has imagines ethnici repererant, tantaq; fuit ex admiratione reuerentia, vt eas neophytis tradere nec pretio vellent, aliquot nihilominus in potestatem venerunt, è quibus qui hoc scribit tres se vidisse profitetur, vnã pueri Iesu tormẽtorum suorũ arma intra sportulã gestantis, alteram S. Ignatij, tertiã S. Xauerij effigiem nominauit. faxit Deus vt hoc prodigio fidem nostrã in medio persecutionum incendio illæsam semper fore portendatur.

ILLVSTRE MARTYRIVM IOANNIS
Neophyti in vrbe Fuximi.
CAP. XIX.

FVximi vrbs est inter Iaponenses primaria, Taicosamæ quondam Regia, & nunc ipsius Daifu, filijq; quoties in Cami comorantur, in ea vrbe illustre Christi causa prælium suscepit, ex eoq; prælio illustrem victoriã reportauit neophytus quidã, Ioannes vocabatur, nomine verò Iaponio Fiozayemon. Is in Regno Aqui, honesto loco natus, in oppido, cui nomẽ Tacayan primis annis militiã profitebatur, duce nescio quo Dynastæ Noridoni, sub quo etiam strenui militis nomen in arce quadam expugnanda dicitur consecutus. Verũ Surungæ tandem meliorem militiam à fratre nostro Paulo Rioym edoctus, in Christi castra confugit, cum annum ætatis ageret quartum supra tricesimum, nec tyro vnquam videri voluit in ea militia, in qua etiam illico multos superabat veteranos, bis quotidie

in

in ædem nostram ventitabat, singulis noctibus ad statas preces suas somnum abrumpebat, ieiunium illi erat frequens itaque rigidum, vt biduo subinde triduoue vix tantum caperet, teste coniuge, quantum ad vitam ægrè sustinendam satis esse videretur, huic addebat alias corporis afflictiones, & flagillationes æque asperas ac frequentes. Primum eius pro Religione certamen intra primum Christiani tyrocinij biennium, velut veteranus athleta sustinuit, eo enim tempore, quo Daifachi cum Arimensi regulo contendens, fraudes suas ignibus expiauit, à Duce suo qui Tateuaqui dicebatur, ad defectionem lacessitus repugnauit, eousque dum morti se exponeret, & missionem pateretur, publicatis bonis vna cum familia proscriptus, qui exilij sui sedem Fuximi constituens, alterum ibi prælium post edicta Daifu sustinuit, nam pro neophyto se suosque prodens inscribi voluit, cum facilè omitti potuisset, eaq; cum ethnicis vicinis inijt prælia, quæ alibi sæpè in alijs tetigimus, & cum de sententia deijci se non pateretur, ad vrbis gubernatorem est delatus, qui eum & coniugem ad orizæ saccos, vt intra illos alligarentur, damnauit, supplicij genus est libris superioribus sæpè commemoratum, in eoque supplicio, quod habet cum dolore contumeliam, abijcitur cum alijs ad pontem, qui Miacensis appellatur celebre illud, si tota vrbe est, triuium, & concurrente multitudine non defuere petulantis vulgi dicteria, quæ non altius quam in aures admitterentur. Verum ex eo supplicio non ita multo post ipse cum socijs, intercessione nonnullorum eripitur, liberque dimittitur eo consilio, vt tum denique deficeret, sed cum noua prælia vetere illo animo superasset, iterum iubetur comprehendi.

Non est facilè verbis exponere quanto gaudio hæc altera vincula induerit, in spem fundendi pro Christo sanguinis postliminio reuocatus, ethnicis ergo vicinis traditus vna cum vxore, arctissimo ergastulo clauditur, quod ægrè vtrumque capiebat, illud exterius repagulis cinctum, excubitores nocturni diurnique custodiebant, nec ad ea quæ necessaria erant inferenda, lucemque admittendam præter angustum foranen, aliud quicquam patebat, in eo ad dies viginti, minus quam vnquam soli degebant, ita alacres hila-

hilaresque cum beatis spiritibus conuersari videbantur, nihil inter se nisi de cælesti gloria suauissimè conferentes, & quoniam Firoximæ parentem habebat ethnicum, è suo ergastulo literas ad eum scripsit hortatrices, vt extremo vitæ tempore iter ad salutem rectum arriperet. Post dies 20, vxor libera dimittitur, ipse ergastulo eductus, nec sciebat quo vel quorsum, ab vxore iam libera multis monebatur, vti sibi constaret, arbitrabatur enim illa maritum ad mortem raptari, suumque lugebat infortunium, quod eiusdem fortunæ beneficio priuaretur. In huncigitur sensum scribitur prolocuta. Ne arbitreris mi Ioannes esse in me vel minimum defectionis vestigium, cuius causa dimittor, ego tecum mori cupiebam & sperabam, indigna tanto beneficio excludor. Tu licet hortatione mea non indigeas, nihilominus me auctore consta tibi, tametsi in cinerem ac puluerem redigi iubearis, & his dictis à marito diuellitur, ille à satellitibus in vrbis vicum, qui Miacensis vocatur abductus, in ea parte in qua vici quatuor coeunt, & vulgi frequentiam vix capiunt, tormentis exponitur. Nam eo in loco prægrandi sude altè defixa, vestibus planè omnibus exuitur, tum brachia in tergum immaniter retorta, iuxta cubitum arctissimè vinciuntur, manus verò immisso in fauces fune nihilo mitius constringuntur, per vim ad humeros vsque erecta, in hoc habitu ad palum funibus arctatur, iussus in globum complicatis cruribus Iaponensi more considere, alter funium collum sudi iungebat, alter brachia eidem coniungebat, ipsa quoque crura complicata triplici fune eoque admodum aspero colligant, & ne qua ex parte motus liber esset, arundinibus iam ex contorsione instar viminum lentis ad Zonam cingitur, vna cum ipso palo crudelissimè constrictus, in eoque ipso palo ad apicem inscriptio legebatur neophyto nostro gratissima, Ita plectitur quia Christianus. sex dies totos totidemq; noctes, absque vllo refrigerio aut relaxatione in hoc supplicio detentus, vulgi petulantiam animo semper æquabili tolerauit.

Elapso sex dierum interuallo soluitur, & reuinctis vt prius manibus, per celebriores vrbis vicos abductus, in carcerem reducitur, vbi eum neophyti aliquot præstolabantur, quos ille agnoscens humanissimè salutauit. Eo in carcere menses aliquot Ioan-

nes noster detentus est, tanta semper æternæ vitæ cupiditate inflammatus, vt ea iam frui videretur, & vt non inutiliter tempus falleret, cæpit ad vinculorum socios, de fidei nostræ veritate verba facere, & tribus quod suadebat persuasit, eosque Christianis mysterijs imbutos, ipsemet sacro fonte lustrauit, sparso fortè rumore inter neophytos increbuerat, eum ad extremum supplicium vocari, quo audito vxor eius Maria per internuncium hæc marito suo renunciari iubet: ferunt te iam morti adiudicatum, rogo vt tui memoriam, thecam tuam sacram ad me mittas, & addas aliquot capillos è capite tuo resectos, moneo vt cum ad mortem raptaberis, abiectè semper de te sentias, nam ad spectaculum concurrent permixti neophytis ethnici complures, vnam Dei gloriam, cuius causa moriere spectabis, ego tametsi indigna, procurabo tamen vt adsim tibi morienti. Huic ita respondit Ioannes. Miratus sum spargi de me posse, me fore martyrem, profiteor me planè indignum, vix audere ad tantum Dei beneficium aspirare, nonne vides Surungæ nuper septem Dei famulos tot supplicijs toleratis de Deo benè meritos (de ijs mox agemus) à Deo tamen vt pro eo morerentur non impetrasse, ego quid tuli, quid mereor nisi pro peccatis meis pænam, quam timeo futuram, si fuero libertate donatus, tum enim hoc erit, quod est nobis in diuerbio, manibus vacuis à diuitiarum monte domum reuerti, non audeo igitur martyrium sperare, si me viderem amputatis digitis subneruatum cum nostris Surungensibus, haberem satis quod mihi gratularer. Thecam meam facilè misissem, si tu ad me misisses tuam, capillos à me non habebis vllo modo quã diu vixero: si me in Christi causa mactauerint, spero de Dei misericordia fore, vt & nos videndi, & quæ cupis obtinẽdi facultas nõ negetur, aut desit. hacten⁹ noster hac sua demissione cõparatior.

Interim quippe, dum ipse se humiliat exaltatur, nam altero post Christi natalem, benè ominato protomartyris die, sub vesperam monetur Ioannes ceruicem illi ex gubernatoris mandato, ex ipsa nocte amputandam, nuncius illi fuit supra spem lætus, & iam nox illi, velut expectatum lucis æternæ diluculum, tardiore cursu aduenire videbatur, quæ cum aduenisset, iniustitiæ ministri eductum è carcere, manibus ex more à tergo reuinctum, trans flumen abdu-

abducunt, non procul ab eo ponte, qui Miacensis appellatur. Aderat tum fortè famulus eius, Iynzo dictus, cui tradidit agni cerei sacram thecam & precatorios globulos, quæ vtraque manu nunquã dimiserat, etiam dum vinciretur, eidem commendat vt heræ suæ sedulo obsequatur, deinde vt peccati pænitens ad Christi fidem, in qua nutarat, omni studio reuerteretur, quod vtrumq; facturum se abundè promisit. Cum eo plectendi abducebantur rei tres, viri duo & mulier vna, è viris alter eo ipso die in Christi renatus, ipso Ioanne procurante mortem suis sceleribus debitam, spe vitæ melioris moderatius patiebatur. Ioannes igitur vbi ad locum ventum est, in genua ruit, Domino suum agonem comendaturus, & idem eiusdẽ comes & nouus discipulus, qui nihil quod à magistro fieri videret omittebat, huic primum Iesum ac Mariam piè inuocanti ceruices amputantur inspectante Ioanne, qui nihil dubitabat eum cum innocentiæ veste præire, quo ipse mox erat secuturus, nam ad eum carnifex se conuertens, sacra illa nomina repetentem obtruncat, cũ ageret ętatis annũ 40. In eius deinde cadauere barbari satellites sicas suas exercuerunt, quod in flumen abiectum, à Christianis deinde harpagonibus ęxtrahitur nocte concubia, & in sarcophagũ recondentes loco decenti terræ mandarunt, idq; secretissimè, donec Ecclesiæ Iaponensi reddita pax honores martyri suos aliquando restituat.

SVRVNGÆ NEOPHYTI SEPTEM GRAuiora supplicia tolerant.

CAP. XX.

QVæ hoc capite scribenda suscepi ad annum pertinent 1614. sed ideo hactenus omissa sunt, quod nondum constaret certis auctoribus rei totius minuta narratio, nunc autem cum Nangasaquij viuant, suorum cicatricibus insigniti, ex ijs aliquot qui superstites euaserunt, ex eorum aliorumque occulta fide totius rei gestæ ordo constitit, nec visus est hic, è maximis fidei nostræ triumphis tametsi alieno tempore omittendus.

Februario mensè anni 1614, Surungæ cæpit ex mandato Daifu atrociter de Christianis inquiri, & tandem 27. Martij, quinta feria

hebdomadæ maioris, qui descripti fuerant iubentur à gubernatore Ficosaca Cusioye in domum vrbani Iudicis, qui erat eius famulus, Faxegaua Matasaburo dicebatur, conuenire, quos ille omnes vt à Christo deficerent, omni arte sollicitabat, sed cum plerique sibi constarent, comprehendebantur, sed tandem variorum rogatu soluuntur omnes, exceptis quinque, Ioanne Dogici, Petro Calusugue, Ioachimo Suquecuro, Petro Soquiu, & Emanuele quodam, quem surdum ac mutum natura parens effuderat, sed gratia illum Christianæ fidei ornamentis ad stuporem adornarat, hi vincti remanserant, sed soluti in gubernatoris palatium amandantur, qui interim, dum in atrio præstolantur, ethnicis concurrentibus dicteria multa & conuicia tolerarunt, quamuis non deessent etiam alij ingenio præditi molliore, qui compaterentur, imo qui legem illam extollerent, quæ sectatores eo adducit, vt nihil sit, quod eius causa pati recusent, sed fuit in turba desertor vnus aliquis, qui petulanter neophytis insultans animos illis addidit, cælestisque solatij compleuit. Nam Christi effigiem cum à Pilato spectandus proponitur his verbis, ecce homo, euoluens insultabat, ecce miseri, ecce quem adoratis? ad quod spectaculum neophyti profundæ venerationis officio perfuncti, ita ferè se inter se animabant. Crastinus dies ille est, in quo Dominus Iesus in quem nulla culpa nulla peccati macula cędebat, nostri causa in hanc miserabilē totius corporis lacerationem pro nobis venit, pro nobis est ad spectaculum expositus, ex eodem nos spectaculo sumamus animos ad omnia opprobria suppliciaque cum eo & pro eo toleranda.

Inde in Iudicis vrbani domum, nondum gubernatorem allocuti reducuntur, vbi ad noctem nunquam interrupto certamine prælia Domini depugnarunt, quorum hæc erat vna vox, neminem nę millies quidem proposita vel addita morte defecturum, ergo tandem in publica vincula mittuntur, sed ita vt fugam suadere viderentur, nam liberos nec vllis vinculis constrictos à longè secuti satellites præmittebant, sed nimirum maior erat in ijs ardor patiendi, quam in carnificibus supplicia inferendi, ibant igitur alacres hi quinque in carcerem, quibus breui additi sunt alij quatuor, Leo Cacubioye, Ioannes Xogiro, & Didacus Xeyam & Ioannes Faramondo,

mondo. Hi vinculis vltra septem menses detenti vix dici potest, quoties in fidei causa certarint, credi vix potest quoties vicerint; nemo fuit ex amicis, ex propinquis ethnicis, nemo qui non sæpius cum ijs manum contulerit. Iniustitiæ ministri minis vrgebant, & supplicia, quæ illi optabant, satis ineptè minabantur, sed illud ineptius, quod capite deorsum defossos terra obruerent, ne eorum animæ, quo adspirabant ad cælum iter inuenirent, & incidit die quadam, vt ad incutiendum metum, magno tumultu in carcerem delati, plectendos omnes euocarent, quos, cum hilariter prodirent, iubent præstolari tantisper, dum ethnici rei plecterentur, ficta res erat, euocatur tandem vnus Leo Cacubioye, velut capite minuendus, sed cum è cæterorum conspectu abijt, liber domum remittitur, nulla tamen sua culpa, sed amicorum rogatu satis illibens, & inopinans liberatur. Non latuit omnino Neophytos quod erat, ex eo quod præter morem sine vinculis educeretur suspicatos, vnde factum est, vt cum eadem ex causa Ioannes Xogiro euocaretur egredi recusarit, protestatus nolle se etiam sine culpa liberari, sed omnino velle quæ vinculorum socij paterentur, supplicia experiri, atque ita detentus est, attonitis stupore ethnicis, quod viderent ea quæ natura horremus omnes, salua etiam sua religione, ab illis ardenter exoptari, solutus est etiam planè inuitus Emanuel ille surdus & mutus, de quo mihi deinde plura, ex eo quod huiusmodi hominum monstra negarent edictis comprehendi.

Nec fuit Christianis militibus cum sola perfidia fidei certamen, ipsa natura gratiæ præsidio, cum diuturni carceris incommodis, cum vinctorum iniurijs, cum satellitum petulantia, ita certauit, vt tandem inuicta ipsorum patientia in venerationem verteretur, & contumeliæ in encomia conuersæ, alio iam sermone loquerentur, aiebant in illis Deum suum, Deum viuum in singulis viuere, in singulis operari, nec in laudibus constiterant, sed comprobatio in imitationem ita exarsit, vt è facinorosis hominibus, toto illo tempore sex & viginti Christum agnouerint, & quatuor fidei desertores cum Deo suo pænitentia duce, in gratiam redierint, & omnes quidem præsenti virtutis exemplo Christi fidem persuadebant,

bant, sed Petrus Soquin etiam oratione, quos exempla permouerant imbuebat, Ioannes autem Doju probè iam instructos salutaribus aquis eluebat, ab his occupationibus, quod supererat temporis, totum in cætera pietatis exercitia, sed maximè in statas preces effundebatur, tanta omniũ comprobatione, vt iam carcer infideliũ sceleribus hactenus infamis in sacrã ædem cõuersus esse videretur.

Quod cum resciuisset gubernator, audissetq; propè reos omnes dum plecterentur Iesum inuocare, hæsit anceps dubiusq; quid consilij caperet, sperauerat enim se diuturno carceris pædore effecturũ, vt tepesceret sensim in Christianis fidei retinendę ardor, nec difficile deinde futurũ, vt planè Christũ abdicarent, sed cum his contraria intellexit, timuit, ne qua alia via res ad Imperatorẽ erumperet, sibiq; pro gratia, quã sperauerat, ex eorũ defectione, indignationẽ accersiret, statuit ipse apud eum de Christianis queri, eos non solũ contumaces suis edictis, persistere, sed & alios in vinculis nos eadem legis contagione inficere, nec vllis rationibus, vt de sententia discederẽt adduci potuisse, Excanduit ad hæc inueteratus dierũ malorũ tyrannus, & supra quàm decebat eam dignitatem, bacchatus Dei seruos mortalium pessimos & abominandos appellauit, & deinde solers suppliciorũ inuentor, quibus eos pœnis torqueret, per otiũ gubernatorem dicitur instruxisse, tria igitur indixit tormentorũ genera, primum vt eam crucem quam tanta ambitione iactabant, candente ferro in frontibus eorum imprimeret, deinde manuũ digitos singillatim amputaret, ac deniq; singulos sub ipso genu subneruaret, ac illis aqua & igni interdiceret, vt longam mortem viuerent, & longam vitam morerentur. Extemplo iussit gubernator per fabrum crucem ferream expediri, quatuor digitos vndequaque longam, quam tamen Daifu iam propè carnifex factus, furore suo breuiorem iudicauit, nam ille crucis truncum extendi iussit, & ita crux intrà suam simmetriam perfecta & absoluta, prout hodieque videtur Nangasaquij in superstitum frontibus expressa.

Gubernator itaq; satis inuitus ad exequendum suppliciũ accingitur, & vt id constaret illi, cui hoc negotium comẽdauerat, edicit ne è familia sua carnificem eligat, sed pretio conducat aliquem, nolebat enim huius iniustitiæ infamiam in familia sua sustinere, vix enim erat vrbe tota, qui non eam immanitatem fuisset execratus, si

cui-

cuiquam licuisset mussitare. Primo Nouembris igitur eiusdem anni 1614, cum armata cohorte supplicij Præses, magno strepitu fertur in carcerem, & iam exultantes hilari nuncio, quem prius audierant, neophytos educit è cauea, vt in arenam cum perfidia descenderent. Vinciuntur ex more, & interim dum igne ferrea crux induitur, ipsi adstabant, vt essent de numero signatorum. Ergo alius post alium in media fronte sacro cauterio inuruntur, ea animi fortitudine, vt nullo motu, aut capitis nutu dolorem testarentur, stupentibus ad eam nouitatem ethnicis, nec satis capientibus, quid esset in hac lege quod hæc è suis impetraret. Et ne ab hoc spectaculo cursim recedamus, iuuat etiã quo ordine signati sint signo Tau, in frontibus suis enumerare, & fortissimos Christi athletas dignos qui essent in libro vitæ agni, ab obliuione, quoad fieri poterit, vindicare. Primus Ioannes Doju, 2. Petrus Cacusuque, 3. Petrus Soquiu, 4. Ioachimus Saquecuro, 5. Ioannes Xogiro, 6. Didacus Xeian, 7 Ioañes Faramõdo,

Sed quid interim dum signarentur acciderit, omitti nullo modo potest. Neophytus quidã Ioannes Sacuyemon, Ioannis Doju in baptismo filius, adolescens, sed in Christi fide colenda retinendaq; ardentissimus, summoperè hoc tempore exarsit, vt eandem cũ cæteris fortunã subiret, quid non fecit vt cum de Christianis inquirebatur, nomé daret? reiectus à vici sui Præfecto, ad alios confugit, æquè reiectus, nullũ solatiũ capiebat, statuerat porro cum vincti nostri ad supplicia sua vocarentur, exclamare, se eandem pænã pro eiusdẽ legis professione promereri, sed ab ea mente deductus est à patrino suo Ioanne, alijsque neophytis, vbi tamen vidit signari seruos Dei nostri in frontibus eorum, igne illo quem Dominus misit in terram magis, quam ferrea crux incanduit. Ergo vi via sibi facta, per medios satellites ad Christianos athletas irrumpit, & eos videns siccis oculis ac vultu sereno ignem excipere, exclamauit in hæc verba, fælices vos ac terque quaterque fortunatos, satis scio fidei commilitones, nihil vos mea cohortatione indigere, rogo tamen vt quod cæpistis facere, ad exitum perducatis, & pro me Deum rogate, vt me participem fieri vestris coronis peccatorem licet indignum non dedignetur. Interim non me contineo quin sacrum illud salutis nostræ signum in frontibus vestris venerer osculando, quod & fecit satellitibus præ stupore attonitis nec prohibentibus.

Iusto

Inusto iam Christi seruis seruitutis Christianæ cauterio, per primarios vrbis vicos raptantur, vt gloriosum Christi vexillum tota vrbe deportatum, de ipsa quodammodo infidelitate triumpharet, quem triumphum noui cruciferi suo tandem sanguine purpuraturi ad ripam fluminis, quod Surungam alluit abducuntur, & mox digiti manuũ in trunco detruncantur, & deinde proni in solũ abijciuntur, & vtroq; poplite subneruantur, manante ex singulorũ vulneribus cruoris riuo quo tota illa area rigabatur, vt in Ecclesiæ Iaponensis agro felicius deinde fides excresceret. Hæc omnia supplicia ita nostri tulerunt, vt merito dubites fortitudo mansuetudinem, vtra vtram superarit. Interim dum nostri suo in sanguine volutantur gratissima illis erigitur inscriptio, in qua characteribus cubitalibus hæc verba legebantur. Homines isti, quia legem Christianam contra Imperatoris edicta profitentur, hac pœna damnati sunt, nemini liceat illos in ædes suas recipere, qua vltima sententia planè omni humano auxilio destituti, ab vna hora antemeridiana vsque ad primam noctem in summo frigore lethalium vulnerum agoniam pertulerunt, sed diuina illis solatia defuisse à diuina bonitate videtur alienum, postea in pauperum quorundam tuguria vicina dimissi sua vulnera obligarunt.

EX HIS NEOPHYTIS DVO VI TORMENtorum cruciatibus immoriuntur.

CAP. XXI.

VErum ex ijs duo supplicijs cessere, & ipso die expulsam tormentis animam in cælum intulerunt. Alter Ioannes Daju, alter Petrus Susufuque vocabatur, de quibus priuatim pauca ideo dicenda sunt, quia iam ipsi salutem suam extra huius mortalitatis aleam in tuto collocarunt. Is in Regno Yama Xiro, cuius est metropolis Miacum, totius Iaponiæ caput, benè natus, ingenio valebat, nec illiteratus apud suos habebatur, sed in Christiana religione colenda absolutissimum erat & habebatur omnis sanctitatis exemplar, quem etiam ideo cæteri Christiani milites in vinculis primum,

num, in supplicijs Ducem habuerunt, nec planè mirum, nam in prælijs pro Christi fide adeundis veteranus iam erat, tolerato iterum in Regno Micaua exilio. & cum prima Miaci edictorum fulmina detonuerunt, Ioannes cæteros neophytos confirmabat, asserens hoc quicquid esset negotij, nihil vltra difficultatis habere, quam si quis apud se planè constitutum haberet, in Christi causa vitam ponere. Cuius constantiam ex eo iam ipso tempore multi concutere frustra conati sunt, petitis ab vxore liberisque rationibus, nam vt tu omnia perferas, quod de te creditur animosè, vxore tua liberisque quid agendum putas? Vtinam illi, ait, in minutissima fragmenta in oculis meis, pro eadem causa comminuerentur, haberem vnde in Domino exultarem, haberem de quo eidem Domino gratularer.

In vinculis iam Surungæ constitutus, ex carceris angustijs, pudore, æstuque intolerabili æstiuis mensibus in morbum incidit, quod cum vici Præfectus audisset, ad gubernatorem ire parabat, rogaturus vt illum suæ fidei curandum committeret, quod erat perfacilè impetrare. Verum ille vbi resciuit, vehementer impediuit, nec adduci vnquam potuit, vt annueret, quod assereret se captiuitatem suam totius orbis libertati præferre, nec assensurum vnquam, vt è suis vinculis abiret, tametsi iudicum sententia liber domum mitteretur, nec egressurum ante (nisi ad mortem,) quam Daifu restituta Ecclesiæ Iaponensi pace, id iuberet. Hic enim aiebat, hic inquam pro Domino meo Iesu Christo viuam & moriar, quæ hominis constantia plurimum cæteros in eodem confirmauit.

Tandem venitur vt supra commemorauimus, ad supplicium crucis inurendæ, quod ille primus flexis ante carnificem genibus, ac oculis in cælum erectis pacatissimè pertulit, Iesu ac Maria suauissimè inuocatis, quod cum alteri fuisset inustum, ita Ioannes exclamauit. Næ tu beatus es, non me teneo quin sacrum illud signum exosculer, quo te conspicuum video, & ad eum accedens, crucem recentissimè inustam, in osculo sancto veneratur, & deinde ad socios conuersus, qui & ipsi signum suum præstolabantur. Agite inquit socij, animos sumite, Bonus Iesus pro nobis pugnat,

tormentorum sensus leuior est eo, quem ipsa sibi terribilis natura fingebat, nam diuina gratia in auxilium naturæ submittitur, quibus verbis ita exarserunt commilitones, vt nouum illi esset suppliciũ. qui se fore timebat extremum. Cum deinde signati nostri se celebrioribus Regię vicis spectandos ostentaret, Ioannes nudis pedibus suas stationes decurrebat, nec adduci poterat vt oblata à Ioanne filio baptismi, sandalia indueret, quod diceret audisse se Christũ Dominum, cum ad crucem raperetur, nudis in Caluariæ montem pedibus euasisse, verum tandem ætatem grauiorem, quinquagenario quippe maior erat, recentemq; morbum causanti cessit, ne dum austerus videri vellet, caritati repugnaret. Cum iam eneruis in terra iaceret, oculis propinqua morte grauatis, accessit ad eum è neophytis vnus Iesum ac Mariam illi in memoriam reuocans, quem illi oculis apertis agnoscens ita est allocutus. Fili extremum à me vale, accipe constantem in Christi fide retinenda firmitatem, tibi nihil melius, mihi nihil gratius feceris, & cum idem reliquis concurrentibus commendasset, alienatus à sensibus defecit, & cum ad eum fouendum orizæ paululum in os immisissent, cum ad se rediji ex ore eiecit, asserens se illo die ieiunij religione, à cibo sumendo prohiberi, nec ita multo post cum iam vltimis suspitijs, vita cum morte luctaretur, oculos aperiens, & in certum locum attentè defigens, in hæc verba prorupit. Adorate Dominum Iesum, qui modo huc ad nos aduenit, quæ cum diceret expirauit, & in Diuorum societatem eo ipso die, quem illis Ecclesia celebrem designat, euolauit.

Petrus Cacusuque in sequentem auroram superstes fuit, de quo etiam nonnulla subiungam. Nangasaquij natus fuerat, sed Surungā concessit, mox vt pueritiam excesserat, ibi militiæ operam dedit, & quoniam iam ab infantia fuerat Christianè educatus, facilè aduertit in quantum salutis discrimen, militari libertate, vocaretur. ergo missione à suo Duce impetrata, minutis mercibus distrahendis tantum temporis & studij dabat, quantum ad sustinendam vitam satis esse videbatur, donec exorta sub Daifu, de qua nunc agimus, tempestate, ipse cum alijs duobus, Petro ac Ioachimo, inter se conueniunt egredi, quam huius Tragœdiæ finem viderent, fieri posse, vt ex ea plausum consequi, reportata victoriæ palma, possent, neq;

se ab

se ab hoc consilio vllis vel amicorum vel propinquorum cohortationibus abduci voluerunt. Tandem comprehenduntur; Petrus noster in vinculis, vt externus, plura initio patiebatur, sed eo euentu quem supra. Ad carceris labores & incommoda ferè continuum addidit septem mensium ieiunium, quamuis eo carcere teneretur, in quo solæ angustiæ satis erant ad hominem, vt robustus esset, de innato robore deturbandum. Nam intra palmos octodecim, in quadrum vincti, quadraginta tenebantur, cui cum accederent alia sexcenta incommoda, voluit etiam Petrus rerum omnium quibus laborabant, inopiã ipsa etiã ieiunij lege contineri. Si quando à visitatoribus neophytis de patientia moneretur, vix habebat verba quibus suam felicitatem explicaret, quæ omnia dicebat se sociorũ meritis consecutũ, suisq; peccatis fieri vt omniũ corona differretur.

Postquam è suo ergastulo educendi veniam offensarũ inter se mutuo fuissent comprecati, vbi in conspectũ circumfusæ multitudinis venerunt, ita Petrus distinctè & voce sublata exclamauit, Quotquot ex adstantibus Christum profitemini, amabo vos, pro eiusdem Christi reuerentia, in illius fide perstate, & eius præcepta seduli obseruate. Cæteri verò, qui nondum illum Dominum agnoscitis, quam possum enixissimè supplico, audite quæ de illius lege docentur, audita complectimini, & errores vestros abdicate, nam extra Christi legem nulla est vllibi spes salutis, illa est mortalibus ad æternitatem gloriæ via, illa est ianua, fieri poterit vt ex circumfusa corona me aliquis agnoscat, & meorum criminũ memoria offensus resistet, sic habete, quicquid à me peccatum est, id ex mea infirmitate, ignorantia, malitiaq; profectum est, nihil inde legis, quam profiteor, sanctitati detrahatur, si enim ex eius præscripto mores meos conformassem, nihil esset profectò, quod ipsi etiam iure carperent obtrectatores, illa enim est fons limpidissimus totius sanctimoniæ atq; puritatis. Ita noster Petrus totidem verbis scribitur perorasse. Cũ verò iam cruce insignitus, vrbe tota cum socijs circũraptaretur, ipse ingenti gaudio perfusus Psalmum, Laudate Dominum omnes gentes, cantu ecclesiastico inchoauit, quem ad finem vna cum socijs persecutus, videri potuit vespertinum suæ celebritatis officium præuenire. Cum iam ad flumen digitis truncus & poplite eneruis in solo iaceret, ab hora ante

meridiem postremā ad noctem vsque, perpetuò de nostræ legis sanctitate ad eam concurrentes cohortatus verba fecit, & cum vires animo deficerent, animus viribus destitui non posse videbatur. Nocturnis horis in vicinum leprosi mendici mapale deportatus, euocari se sensit ad præmium, & cum tota nocte fuisset cum Iesu suauissimè collocutus, primo diluculo eum inuocans in æternam lucem euocatur, 2. Nouembris eiusdem anni 1614.

Cæteri cum suis doloribus diu multúmque colluctati, vitam hodieque retinent, & superstites quaqua versus feruntur, vetitas tota Iaponia Cruces circumferunt, suaque fidei professione continua decorantur. Horum nobile certamen videtur priùs neophyto cuidam diuinitus præmonstratum, nam cum Didacus Mangoichi ad flumen Abe iter faceret, improuisus eum venti turbo inuasit, & mox in eo ipso loco, in quo postea plexi sunt, crux in aëre visa est, ijs coloribus insignis, quos in iride natura mentitur; ad cuius conspectum ipse subito horrore conceptus, in genua ruit, tamdiu crucem veneratus, donec illa disparuit. Alio etiam prodigio scribitur Deus hanc seruorum suorum agonem cohonestasse, nam ex fide dignis testibus constat, carnificem illum, qui pretio conductus neophytis digitos amputarat, ipsum deinde paulo post vtriusque manus vsu priuatum, spectaculum esse diuini furoris in se prouocati.

Ibam ad cætera, quæ Surungæ contigerant, enarranda succinctus, cum Emanuelis surdi ac muti nutibus admoneor, vt qui particeps vinculorum fuit, non planè ignotus dimittatur, nam tres illi qui è signatorum numero Nangasaquij commorantur, multa de illo narrant, è quibus illustriora seligamus. Natus fuit ille Surungæ, aurium, & quod sequitur etiam linguæ beneficio destitutus, parentes habuit natione Coreas, professione infideles, & in eodem ritu educatus, primos vitæ suæ annos ad reliquam corporis miseriam etiam hac animi cæcitate laborabat, sed cum in altera Regia Yendo aliquot annis viueret, de Christianorum æde, cum nescio quibus nutibus aliquid didicisset, in eam quotidiè ventitabat, & quia vix est quicquam, quod non assequatur nutibus, aut explicet, & Christianum se velle fieri docuit, & ipse quid sit esse Christianū

admi-

admirabiliter edoctus est, & deinde summo cum gaudio baptizatus. Inde dici vix potest quam accurratè Christianæ pietatis exercitia persequeretur, & quam capitali odió falsorum numinum simulacra detestaretur, eratque tandem Emanuel Neophytis ethnicisque gratiæ & naturæ prodigium, Surungam rediens à parentibus ethnicis vt ad simulacra rediret vrgetur, vexatur etiam ac demum patria domo eijcitur, quam ille dimittens, nummulos etiam quos fortè corrasserat, spontè dimisit, & à neophytis exceptus, ab eorum liberalitate pendebat. Vbi aduenit præsens procella, viditque neophytos, quod essent Christiani (hoc enim nutibus didicerat) comprehendi, ad eos se non euocatus adiunxit, & cum in gubernatoris ædes ducerentur, adduci nunquam potuit, vt ab alijs auelleretur, imo quod admirabilius, cum monitus eius parens accurrisset, post multa, etiam apprehensa veste conatus est illum per vim abducere, sed ille fortiter cum parente luctatus vt remaneret obtinuit. Porro si ad eiurandum Christum nutibus vrgeretur, ipse capite, oculis, manibus, ac denique toto corpore abnuebat, sed maximè in Iudicis vrbani atrio restitit, cum enim varijs nutibus ac signis vrgeretur, ipse quoque pluribus repugnabat, nares, aures, digitos, caput sibi amputandum offerebat, quibus obtinuit vt tandem cum reliquis vinciretur & in carcerem mitteretur.

Post dies vinculorum quindecim, mater Emanuelis, cuius ille nutus omnium optimè assequebatur, in carcerem mittitur, vt filium expugnet, verum ille intra carcerem in eas se latebras abdidit, vt reperiri non potuerit, sed illa deinde supplici libello, à iudicibus impetrauit vt solueretur, asserentibus in libelli ea petitione huiusmodi hominum monstra Imperatoris, vt dixi, edicto non contineri. nec ille tamen educi se patiebatur, nisi postquam vnus ex ministris illi globulos precatorios in collum iniecit, quo signo intellexit demum licere sibi viuere Christianè. frequens deinde in carcerem itabat, nec vacuis vnquam manibus, semper enim habebat quod in illorum victum adferret, nam per eos dies, per singulas neophytorum domos circumcursabat, stipem pro vinctis corrogabat, & quod magis mireris, etiam neophytos in fide confirmabat. Cum neophyti ad sua supplicia raperentur, aberat fortè

Emanuel in Arxi vico, non procul ibi de sociorum tormentis, solitis nutibus omnia didicit, & extemplo accurrens eos inuenit iam saucios truncosque in miseris leprosorum mapalibus humi iacentes, quorum ille vulnera suis primum lachrymis illinens, sua deinde etiam caritate confouit, quicquid hactenus manuum labore congesserat, in hæc Christianæ commiserationis officia liberalissimè profundens ferunt illum etiam horas multas orando transigere, maximè coram Christi pendentis effigie, vel illa quam nos, ecce homo, appellamus, & quoniam sæpe in lachrymas effunditur, credibile est eum diuinis inspirationibus doceri, & quod natura negauit, gratia supplente redundare. Agit ille annum quintum & vicesimum, de quo licet plura dicantur, hæc selectiora sufficiant.

LEPROSI SEX INTEGIRI VICO SVRVNGÆ *contermino pro Christi fide obtruncantur.*

CAP. XXII.

CONterminus Surungæ Regno vicus est Yegiri appellatus, in eo leprosi sex nitidiores anima quam corpore, miseris in mapalibus vitam emendicata à transeuntibus stipe sustinebant. Hi Christianam fidem egregiè colentes anno 1616. in Diuorum societatem admissi fuerunt, qui hactenus hominum societate naturæ vitio carere videbantur. Non procul ab his viuebat Petrus Soquiu, de quo paulo ante multa, ex ijs vnus qui biennio ferè ante, cruce fronte insignitus, cætera supplicia Surungæ pertulerat, sed ex amputatis neruis solo finistro poplite subneruatus euaserat. Is ex ipsorum leprosorum voluntate eo se receperat, factus ex viro non ignobili, mendicorum magister in ijs quæ ad Christianam spectarent disciplinam, & bonorum proscriptione in Christi causa eo deuenerat, vt eadem cum leprosis stipe victitaret, Contigit id temporis, nocturnos latrones in proximum fanum irrumpere, quod erat in proximo ethnicorum pago, Iuara vocant, eosdémq; multis, qui ex eo fano fuerant intercepti mactatis, omnia deprædatos ita se recepisse, vt ad hunc diem auctores facti, post longas disquisitiones, nesciantur. Porro cum Daifu illa via transiret, in regiam Yendo iter aggressus,

ſus, quidam, cuius vxor in eo latrocinio perierat, regionis moderatorem interpellauit, vt de facto accuratius inquireret, fieri poſſe, vt ex vicinis leproſis, quis de hac re inaudierit. Is ad ſupremos Regij tribunalis ſenatores rem referens, effecit, vt hic cohortem militum propè mille ſubmitterent, qui ex improuiſo irruentes arces illas, mapalia leproſorum obſidione cinxerunt, ibidem caſtra metati, comprehenditur illico Petrus vna cum Simone Xoſuque neophyto, qui fuerat olim Petri famulus, & nunc circumforaneus rerum minutarum venditor, ad herum ſuum viſendum venerat, cum quo etiam nonnihil de ſua tenuitate partiebatur, cæteri intra ſua mapalia clauſi tenebantur, ſatis ſolliciti, qua ex cauſa tanto tumultu cingerentur, donec reſcierunt, tum enim facilè in innocentiæ ſuæ conſcientia ſeipſos collegerunt. Deducitur interim ad ſupremos ſenatores cum Simone Petrus, in nouam arenam è cauea ſua, quod nõn ſperabat, eductus. Quæritur ex eo, quis ſit? reſpondet intrepidè ſe vnum ex ijs eſſe, qui iubente Daifu, quod eſſet Chriſtianus, cum alijs ſex, cruce frontem notatus fuerat, & digitos amputandos præbuerat, neruoſque ſub vtroque poplite ſuccidendos, & quia cum vinculis teneretur, ſuis concionibus pleroſque reos ad Chriſtum adduxerat, eiuſque rei delatus fuerat apud eoſdem Iudices, agnitũ, ingenti cachinno ſenatores excipiunt, & mox quærunt num etiam tum in Chriſti fide perſiſtat, quibus inuictus Chriſti miles ita reſpondit, ſi prius eram Chriſtianus, quam ſupplicijs in hac ipſa cauſa torquerer, nunc planè multo magis in eadem Chriſti lege perſiſto, nec erit orbe toto quicquam quod me ab ea colenda deterreat.

Ab his Iudicibus raptantur ad alium, cui nomen erat Fuoſaca Cabioye is Simonẽ interrogat, quis ſit, & cuius rei cauſa eo veneiit? reſpondit ille, quod erat, ſe quondam Petri famulum fuiſſe, & eſſe vna cum hero quondã ſuo Chriſtianũ, ſubinde ſe ad ipſum ventitare officij cauſa, & vt aliquid rerum omniũ indigenti, de ſuo lucello partiatur, Iudex omiſſis cæteris quærit, audierit quam ſeuerè Imperator edixerit, ne cuiquam liceat illam legem profiteri, audiui inquit adoleſcens, edicta planè atrociora, ſed nihilo quã ante minus ſum & ſemper ero Chriſtianus, quia ſalus æterna nihil habet cũ quo conferatur, & hæc ipſa cauſa eſt cur in hoc ætatis flore, ſine hero

hero viuam, neque hoc parum quæstuoso viuendi genere sustineam. Audisti inquit Iudex, de nocturnis illis latronibus, qui nuper fanum inuaserunt? Nihil planè ait Simon, neç vllius suspicionis vestigium intra tenues vtriusque sarcinulas potuit deprehendi, Ergo secessit iudex tantisper & mox rediens Simonem, quod hero suo etiam in aduersa fortuna fidem seruaret, collaudauit, idem ex Petro quærit, ecquam habeat effigiem ex ijs quas Christiani venerantur, cupere se aliquam videre, quam cum esset intuitus, absque vlla contumelia Petro reddidit.

His ita hactenus suspensis ad leprosos itur, eoque Petrus & Simon abducuntur. Iudices erant, hic quem modo nominaui, regionis illius moderator, Sugacu, nominatus hostis Christianæ legis ac nominis, plusquam capitalis, educuntur leprosi è suis taguriolis, quæritur ex ijs, sint nec ne Christiani, & omnium nomine respondit Paulus, qui erat leprosorum velut Archimandrita, esse se ad vnum omnes Christianos, Petrū se quoq;, rogasse vt ad se diuerteret, vt eo magistro, in ijs quæ ad salutem suam spectant commodius vterentur. De latrocinio quæsitum etiam sed nihil planè deprehensum; quæritur denuo, sint ne Christiani? & denuo æquè constanter, æquè explicatè respondetur. Interim ex ijs qui dæmonem se venerari profitentur, Iamabuxis vocari sæpè iam dixi, duo intercepti sunt, & in eandem latrocinij suspicionem vocati, à quibus vna cum Petro & Simone tormentis conati sunt de latrocinio elicere veritatem, sed vbi nihil est deprehensum, ethnici liberi dimittuntur, Petrus in domum suam, iussus omne de hoc facto curam deponere, Simon vici Præfecto traditur, inter compedes asseruandus. Interim leprosi in taguriola Pauli & Petri omnes compinguntur, adhibitis qui eos custodirent, excubitoribus, quod dicerent de Christianis diligenter inquiri, nolle magistratus, vt eorum indicio moniti diffugiant; sed post triduum, quod res erat edocentur, satis credibile esse, eos quod se Christianos essent intrepidè professi, capite luituros, quod illi alter alteri mutuo gratulantes, Petrum rogant, vt aliquid è pio aliquo libello, quod ad rem faciat, prælegere ne grauetur, qui ex libro P. Ludouici Granatensis, quem peccatorum ducem inscripsit, tria capita illis prælegit,

legit, de morte, de iudicio, de gloria, & ita imposterum vel oratione vel pijs colloquijs tempus fallebant, votorum suorum spe se sustinentes, quod in ijs nouum non erat, cum enim ex magistro suo alias audiret, quam multi eo tempore tota Iaponia proscriberentur, aut sanguinem profunderent, ex imo corde suspiria trahentes dictitabant. O vtinam hoc postremum nobis contingeret, nihil enim habet aliud tenuitas nostra, quo Domino suo fidem protestetur.

Tandem igitur desiderium pauperum exaudiuit Dominus, nam quartæ Lunæ die decimo, in quem cecidit 24. Nouembris anno 1615. magna militum manus, cum duobus iniustitiæ ministris, ex vrbe ad leprosos erumpunt, eductos interrogant num Christũ profiteantur ad vnum omnes, annuunt leprosi, quibus ministris mittit hanc legem, iubente Daifu, quod si feceritis, commodiore in loco commodiores ædes vobis extruentur, & deinde quam maximè vellent sectarum Iaponensium nullo prohibente, sequerentur, ad hoc omnes simul vna voce responderunt, nec possumus nec volumus fidem nostram mutare. Moriemini igitur omnes. Hoc est quod maximè optamus aiunt leprosi nostri, quid differtis? & mox hortatore Petro, ad id quod cœperant, optato fine claudendum confirmantur, & toti in preces effusi, magno animo singuli ceruices præbuerunt, & breui morte suas miserias claudentes, æternæ sibi fælicitatis ianuam reserarunt. Eorum nomina nullo modo hic desiderari permittam: Christiana sic se habent, Iaponensia non reperi, Franciscus, Gaspar, Paulus, Thomas, Matthias, Lucas, qui etiam hoc ordine obtruncati fuisse scribitur.

Qui adfuere milites, stuporem secum retulerunt, quod vidissent miseros mendicos ac leprosos, in ferenda morte generosissimum quemque militem superasse, nec illi solum ita sibi constiterunt, sed etiam mulierculæ trium vxores proposita capitis pœna Christum eiurare iussæ, caput obtulerunt, quod admirati ministri vltra vrgere destiterunt, & à mendicis ac mulierculis victi in tugurium se Petri receperunt. hi duo iniustitiæ ministri legem nostram prodigiosam admirabilemque prædicantes, deinde quærunt, esset ne in aliqua sectarum Iaponiensium spes salutis, quod vt negauit

Petrus, ita etiam dilucidè probauit, erat enim rei Christianæ probè peritus, nec habuere quod ethnici ſeprobarent, vrſit tamen vnus audiſſe ſe ex Christianis fidem ſuam perſecutione non minui, ſed augeri, quod tamen iam aliter fieri videretur, verum Petrus commemorauit etiam in ipſa Europa idem contigiſſe, & à Christo legem ſuam frumenti grano comparatam, quod oportet prius mori, quam in meſſem multiplex exuberet, ſi veritatem æq; facilè eſſet amplecti, vt agnoſcere, noſtri ſuppliciorum Præſides domum alij redijſſent. Abiere tandem, ſed poſtea ſubmiſſi ſunt, qui tuguria martyrum incenderent, quaſi nondum furori factum eſſet ſatis.

Verum vt nihil dubij ſuperſit, quin leproſi in ſola cauſa fidei iugulum præbuerint, quod deinde contigit, non videtur omittendum. redibat Surungam Daifu, & eius ſupremi ſenatores, quærunt quid factum ſit leproſis, eiuſque mapalibus? obtruncati ſunt reſpondit quidam quòd eſſent Christiani, & tuguria iuſſa ſunt incendi, nimia fuit illa crudelitas inferunt ſenatores, ecquid referebat mendicos paucos, quam maximè vellent, legem ſequi?

PETRVS ET SIMON NEOPHYTI POST *leproſorum mortem ſubneruantur.*
CAP. XXIII.

HVius tempeſtatis initia exceperant quatuordecim ex Imperatoris familia nobiles, qui tota Iaponia proſcripti aqua & igni propoſitis grauiſſimis pœnis interdicebantur, prout initio huius de Iaponijs triumphis, commentarij ſcribere me memini. Neſciebatur hactenus, quid ijs factum eſſet, & cupiebat Imperator ſcire, vbi aſylum ac latebras contra ſua edicta reperiſſent. Obtruncatis igitur leproſis, Petrus ac Simon poſt varios carceres & iudices, tandem in vrbem ipſam Regiam Surungam adducuntur, vt de his aulæ primoribus, ab ijs inquireretur, quod fortaſſe de ijs aliquid inaudire potuerint, ſiſtuntur ergo Iudici Iungacu, capitali Christianorum inimico, & lectis aliquod eorum nominibus iubentur prodere vbi deliteſcant, ſimul indicent omnes, quos noſſent vbiq; Christianos, cuius tandem ordinis aut conditionis eſſent, nec ipſos mendicos leproſoſq; prætermitterent. Multa petebantur, nihil

hil impetratum, ne tormentis quidem sæpius ac sæpius repetitis, minis, promissa libertate, si ea proderent, quæ prodere videbantur, sed cum nostrorum constantia nullo flatu flecteretur, sententia in Simonem pronunciatur, vt digitis manuum truncus, vtroq; poplite subneruaretur, Petrus in dextro crure, quod solum supererat supplicio eodem plecteretur, verum Simoni soli sententia exponitur, Petro post peractũ Simonis agonem tandem explicatur. huius tormenti occasione, Simon denuo ad eiurandum Christum sollicitatur, impunitate proposita, si faceret, nec vltra de prodendis Christianis agebatur, sed ille seipso semper fortior, importunos reiecit hortatores. Ergo Sabbatho sancto horis matutinis & Aprilis 2. 1616. Simon è vinculis educitur, & vna cum eo Petrus exire permittitur, ibat reorum more manus post tergum reuinctus, & collum reste impeditus, ducitur in locum cui Mangericane nomen est; vbi ex aduerso cuiusdam fani truncus erat, ad digitos detruncandos collocatus, super quadrato trunco culter erat ingens supplicij atrocis instrumentum. Et iam ventum erat ad locum, cum Petrus qui non ignarus mali misero succurrere didicerat, Simonem iam in genua prouolutum in hæc verba compellat, Simon age Deo sua in te beneficia gratulare, non ignoras apud mortales honestum haberi, pro hero suo cuius annona viuunt, vitam vbi casus tulerit, exponere, quanto honestius erit pro eo mori, à quo nihil est quod non accipiamus, & super omnia pro vniuerso eius in nos amore, quo inductus est, vt homo factus tot laboribus supplicijsque nostra causa se subijceret. Ne igitur horrueris eius causa sanguinem fundere, vitamque prodigere, sed potius ei gratias age quod occasionem tibi dederit, amorem amori, supplicia supplicijs referendi.

Simon his heri sui sermonibus ita incensus est, vt mox ad truncum accedens, cultrum vtraque manu correptum, capiti suo gentis more venerabundus imposuerit, stupentibus ad rei nouitatem spectatoribus, digitos deinde sua sponte præbuit amputádos, quos inhumanus carnifex, ter ad manus singulas ictu repetito, omnes amputauit, ac deinde cũ aliquod à doloribus respirandi spatiũ concessisset, proni neruos in vtroq; poplite succidit. Tũ ad Petrũ conuersi huiꝰ supplicij Pręsides exponũt ei, quid habeát in mandatis, quo ille

nuncio exultans poplitem dextrum, qui solus supererat, præbuit eneruandum, atque ita iacebat humi vterque sine vllo solatio, quod à mortalibus mortales possunt expectare, cum tamen tum immortalibus solatijs redundarint. Tandem vxor Petri Martha, vt in vicinum mendicorum tugurium deportaretur impetrauit, de Simone nihil, nisi die insequenti, potuit impetrari, vterque nunc Nangasaquij viuit, suoque conspectu neophytos in suscepta fide confirmat.

Nondum satis expleta videri voluit perfidia his contra fideles supplicijs, nam Iudices cum audissent sub vrbem tres è septem signatis illis delitescere, denuo comprehendi mandarunt, & multa tentantes, plura minati nihil profecerunt, cum etiam ipsi pedum digitos obtulissent, vt manuum fortunam sortirentur, detenti sunt diebus quinque supra quadraginta, sed tandem intercessione nescio cuius ethnici magnatis, liberi sed victores se cum sua religione Nangasaquium quoque receperunt.

DE SIMONIS NEOPHYTI MARTYRIO IN altera Regia, deq; reliquis regnis Quanto.

CAP. XXII.

NOluit altera regia Yendo Surungæ æmula, sine fructu suo hoc tempore sterilis apparere, nam præter eos, quos nuper tanto numero martyres dederat, alterum addidit, cui Simon in baptismo nomen obtigerat, patrio nomine Iambioye dicebatur, viuebat ille in regno Yio, quod facit Insula minima inter quatuor Iaponiæ maximas. Eo cum noster sacerdos Firoxima excurreret ad visendos excolendosque neophytos, non patiebatur Simonis caritas, vt alibi quam apud se diuerteret, & cum illi solemne erat seipsum peccatis expiare, ac cælesti pane reficere, sed nondum illis excursionibus contentus, excurrebat & ipse Firoximam, sinu maris ad 15. leucas transmisso, ibique se sacris epulis exercitijsque in æde nostra satiabat, & quoniam ad martyrium Deo duce, vocabatur, in Regiam Yendo, nescio cuius negotij causa, se contulit, ibique in reli-

religiosum incidit è D. Francisci familia, qui eo tum excurrerat ad neophytos excolendos, & vt erat religiosis excipiendis assuetus, eum in suas ædes aut potius hospitium inuitauit, non potuit ea res diu latere, quod in propria domo nihil haberet vel secretum, vel securum, res igitur ad iudicem defertur, ad quem ea res pertinebat, nec mora deprehenditur & comprehenditur vterque, nihil minus suspicantes, alter quod in Iaponia post proscriptionis edicta remansisset, alter quod proscriptum hospitio æquè contra leges excepisset. Religiosus denuo iubetur exulare, Simon mori, nisi à fide deficeret, verum ille nec vitæ cupiditate, neo mortis metu, nec amicorũ precibus adduci potuit, vt tanto se scelere contaminaret, ergo ad supplicium ducitur mirè hilaris, quod vbi minimè crediderat, martyrij coronã reperisset. Priusquã plecteretur ad circũfusam concionem pauca hæc verba protulit: nolite me arbitrari cuiuspiam maleficij reum, debitam legibus vitam dare, morior, quia Christianus sum, nec ab hac professione desisto, quæ cum dixisset, sacris nominibus Iesu ac Maria tertio repetitis obtruncatur & vinculis suæ mortalitatis exsolutus in liberam immortalitatem lætus euadit.

Cum noster Sacerdos, per hæc regna oues quærens, velut bonus pastor vagaretur, in regno Daua, in vrbe Xambocu nouum gregem reperit, qui nondum viderat pastorem, nam cum à septennio neophytus nobilis, Fitonique Petrus vocabatur, Firoxima venisset, in Dynastæ illius familiam adsciscendus, vt erat rei Christianæ benè peritus, idemque fidei propagandæ cupidissimus, ad ducentos Christo pepererat, suaque manu baptizarat, eosque omnes propè militaris ordinis non ignobiles, hos omnes magno suo solatio, adhibita extrema manu, si quid adhuc rude reperit, sicut vrsus catulos suos lambendo expoliuit, & primum illis locis sacrificium litauit, primũmque peccatis expiauit. Ita Iapones non rarò ex tironibus fiunt magistri, neque intra se quod bonum conceperunt, possunt auari continere.

Initio dixi de neophytis ad ortum Iaponiæ, in regnum Tzugaru Miaco relegatis, sed alia occasione narratio suscepta quædam non omittenda intermisit, quæ ex eorum litteris & nostri sacerdo-


tis, qui eo missus est, excerpta sic se habent. E quodam Surungæ Regni portu 9. Maij 1614. soluerunt, & in mari multis tempestatibus iactati, non sine labore, salui tamen omnes & incolumes in exilij sui locum appulerunt. Missus fuerat ad exulum solatium, cum ijs alumnus noster, quem scribunt magno illis auxilio fuisse, maiore solatio. Vix benè in portum appulerant; cum illius regni Dynasta, Yechudono appellatur, ad eos misit, qui significet, sibi à Daifu scriptum, eos in eum finem huc esse relegatos, vt extirpandis saltibus & aperiendis noualibus operam darent, scire se velle, an huic Imperatoris sui mandato parere sint parati. Huic ita neophyti consultatione inter se habita responderunt; se hactenus agriculturam numquam exercuisse, sed nihil esse ita asperum, itaque difficile, quod facere detrectarent, dummodo liberum sit illis Christianam religionem profiteri & exercere, cuius retinendæ causa vitam obtulerant, nec exilium detrectarant, Eo responso lætus Dynasta petijt hoc sibi responsum scripto dari, quod ad Imperatorem transmitteret, nec hoc abnuerunt, & deinde se suo muneri accingentes, hactenus coloni facti syluescentem iam tot sæculis Iaponiæ vastitatem suo exemplo eruderant, vt deinde in Ecclesiæ hortum conclusum conuertatur, qui mihi nascentis illius prima tempora referre videntur, cum Christiani ad effodienda metalla in abruptas rupes relegabantur. Contigit deinde fames illa, quæ Christianorum eleemosynis sublata Dynastam indigenasque quæsita, non data causa irritauit. Ad eos visendos vnus è nostris sacerdos Miaco excurrit, cuius epistolare fragmentum hic subijcio. Neophytos in Tzugara visitaui, solatus sum & confirmaui, diuisi eos in sua sodalitia, & illis præfeci, qui curam omnium gererent ex ordine. Bene collocatum habui laborem itineris, cum ad eos excurrerem, superaui montes duos, quibus asperiores non habet Iaponia, sæpè mihi perrumenda dumeta, & niuium præcipitia calcanda, quibus non raro ad cingulum immergebar, nec vltra progredi aliquando me posse arbitrabar. Ibam pedes ac sine cibo plerumque, quod ea loca carent hospitijs, nec sit qui in his locis viuat. Aliquot etiam epistolas ipsorum Neophytorum subijcere possem, sed quia ferè narrant quæ scripsimus, breuitatis causa prætermitto, non tamen

vnius

vnius Epistolæ præclarum epiphonema, & dignum, quo etiam hunc de Christianis apud Iaponios triumphis quintū librum claudam, in hæc verba: Non est gaudium, non est solatium quod eo perueniat, quo peruenit, pro Iesu Christo Domino nostro multa tolerare.

Hæc igitur Goæ reperi, quæ superioribus libris quatuor in Europa relictis adderem; & quia nondum præliorum, nec hæc triumphorum finis, conabor efficere vt continua rerum, temporisque serie prodeant, quamdiu Dominus vitam ac vires dederit, & donec Ecclesiæ laboranti pacem quietemque reuocarit.

Finis libri Quinti.



AVCTA-

AVCTARIVM AD

Libros quinque Trigautij

STATVS ECCLESIÆ apud Iaponas

Anno CIↃIↃCXVII. XIIX. XIX. & XX.



IN EAM Iaponensem anno CIↃIↃCXIIX. excoluerunt duodesexaginta, è quibus nostræ Societatis vnus & triginta censi, reliqui partim indigenæ sacerdotio honorati, partim aduenæ è varijs sacrorum virorũ ordinibus nobis suppetiatum missi, ad quos & sacri iuuentutis institutores accessere, qui rudibus elementa religionis Christianæ tradebant, nec non Ecclesiastæ qui ad populum certis diebus agebant. Et quia Nangasaquium prope totum Christum Deum colit, asilúmque est omnium Christi causa proscriptorum, exulum, vel eorum, qui vltro tyrannidem sæuientium Principum fugitantes, huc se conferunt, ab incolis Christianis cum ingenti charitatis significatione excipi solent, & amantissimè tractari. Ad quam rem impulsu Sociorum instituta sodalitas est quæ magnam vim pecuniæ ad exules subleuandos confert. Prætor vrbis homo paganus ex familia sua Simonem quendam Cuyemon Christiani nominis cultorem singularem, imperio regis omnibus artibus frustra tamen conatus est à Christo auellere, suísque idolis initiare, vicit enim constantia sua fregitque Prætorem Simon, & mores etiam quibus Christianam integritatem fædè inquinabat & offendebat emendauit, impetrauitque vt ab ipso etiam ab religio-

ne

ne abducendo prætor desisteret penitus, & desperaret.

Insederat infernus hostis & hospes alienum hominis hospitium & corpus, quod is homo se pro Christiano gereret, cùm sacro fonte tinctus nunquam esset. In æde quondam sacra inter reliquos Christianos aqua lustrali pro more sub finem sacri aspersus se genitali vnda ritè lustratum credidit. monitus identidem ab alijs & familiaribus non paruit, & inepto pudore præpeditus baptismũ neglexit, ita factum vti malus genius suum mancipium ratus inuaserit; sed precibus populi S. Ignatio illius causa sæpe supplicis tandem ab insessore liberatus, lustratus & altero mox die cum ingenti spiritus consolatione ad cælum translatus est.

Nangasaqui hoc anno tempestas atrociter in omne Christianum nomen desæuijt, quod Patres, qui magno numero Nangasaqui conuenerant ad Dominos & magistratus Tenzæ delati, curam prætoris excitarint, vt multis promissis & minis latentes è tenebris in lucem protraheret, & comprehensos vltimo supplicio necaret. Paucos tamen è multis nactus, duos S. Dominici sodales P. Franciscum Moralium & Alphonsum Menam presbyteros, & P. Carolum Spinolam cum Ambrosio Fernandesio è Societate nostra Omuram cum præsidio misit, quos multa Christianorum millia omnis ætatis, ordinis, & sexus, quantumuis præside per apparitores in populum sæuiente & prohibere conante, prosecuti sunt. Paullum quendam Christianum prætor eo nomine comprehendi iussit, quod pecuniæ in delatores Patrum partiendæ curam nollet suscipere. Præter Patres in vincula tracti sunt, qui eosdem hospitio susceperant, & alij qui in vicinia degebant, quos inter, fuit Dominicus Georgius domo Lusitanus, Morayanus Tochuan Andreas Ioannis Antonij prætoris Nangasaquiensis defuncti filius, Cotheda Thomas vir clarissimis natalibus oriundus & multis ante annis religionis caussa proscriptus & relegatus, cum non paucis alijs iam omnibus in censum martyrum relatis vt infra exponetur.

Omurenses Christiani fidem suam erga Christum luculentis testimonijs comprobarunt. Triginta admodum patres familias nomina sua chirographo signata Patri Societatis, qui cum illis versabatur, tradiderunt, testati se cum vxoribus & liberis totisque fa-

milijs in Christiani nominis professione constantissimè perseueraturos, nec vllis suppliciorum acerbitatibus cessuros nec vnquam de fide defecturos. Ex hoc numero fuit, cui prætor Omurensis rogum minatus erat, ni Christi sacra eiuraret. Sed is eo nuncio tam non perculsus fuit, vt etiam diceret, sibi verò nihil gratius aut optatius posse accidere, quàm si ipse ad incendium illud materiam suis humeris velut alter Isaac deportaret, tanta intus flamma ipse ardebat: qua constantia prætorem & in stuporem dedit, & ne sententiam exequeretur deterruit: cuius vxor pari cum marito ardore flagrans, cum sibi suisque supplicium vltimum imminere arbitraretur, vicinis ritu Iaponico velut ad epulas triumphales euocatis, omnes opes suas apposuit. Ab hac cum anicula quæ fidem prodiderat, præsidum iudicúmque nomine coronam B. Virginis exigeret, quod defectionis signum erat, nostra heroina, obiecto proditionis crimine, si omnis, inquit, Omura hoc faceret, nemo tamen vnquam efficiet, vt hoc scelus in me admittam.

Omuræ igitur hoc anno quinque palmari laurea martyrij affecti sunt, è quibus pater Iamaguchi Gonsuquius cum Xoiro Thoma filio tanquam Pylades cum Oreste contendit, vter prior moreretur. hi iussu magistratus IV. Nouembris CIↃ IↃC XVII. capite plexi sunt. Tertius Thomonaga Girobioye Linus, is fuit, qui antea P. Ioannem Baptistam Machadum è Soc. nostra sacerdotem cum alijs ceperat iussúque prætoris interfecerat, & mox ipse postea pridie Nonas Nouembr. anno CIↃ IↃC XVII. ob religionis Christianæ cultum obtruncatus est. Adeò vis cælestis humanas mentes vertere & versare cum ingenti paganorum stupore potest & solet. Ad hos accessit Yeyri Miyemon Ioannes, sectæ prius Iodoxanæ, sed cum tumultuantis conscientiæ fluctus aliter sedare non posset, (quamuis multam in eo sed inanem docendo operam Bonzij consumsissent) quam vt ad castra Dei transiret, suasu Lini Nangasaquium se contulit, ibique Christianæ legis tirocinio imbutus & tinctus Omuram redijt, eodémque anno varijs machinis tentata illius constantia gladio cæsus ad lauream victoriæ capiendam in cælum ipsis Natalibus Christi cælo renatus martyr abijt. Quintus

tus fuit Quintaro Ludouicus cuius fides initio tempestatis nonnihil laborauit & fluctauit, sed vxoris Hagnos conuitio euerberatus & ad nouum certamen obarmatus ad prætorem rediit, sextóque & vigesimo Iulij CIↃ IↃC VII. capite punitus palmam recepit. corpus è vestigio in cineres redactum, & in mare sparsum, ne quid inde Christianorum pietas lipsanorum quod coleret, haberet.

Arimæ, vbi quinque de socijs versantur, pax Christianis fuit, quod præses vel mitiori esset ingenio, vel exemplo aliorum de fortissimis Christi athletis victoriam desperaret. Ibi anicula annos nata septuaginta in confinio mortis tingi voluit, rogata caussam quod multos, inquit, videam solo metu tyrannorum reclamante conscientia à sacris Christianis deterreri.

Duo quidam pagani vna iter cum Christiano faciebant, cum orto de religionis cultu sermone Christianus vana illorum numina irridere, Camísq; & Fotoques explodere: tum alter ex paganis attende sis, inquit, quid agas dicásque & caue ne hos olim cachinnos sero luctu redimas. Nec territus his minis Christianus disputator multò magis personatos Deos ludibrio habuit. Ventum interim ad fanum idoli, cui miles Christianus non solùm honorem omnem abrogauit, sed contumelijs & onerauit, & conspuit etiam, literæ enim factis ipsis impium idolum delusum aiunt. Sed Acheronticus hîc hostis irritatus, cùm nihil in irri sorem Christianum auderet, cultorem suum inuasit, torsit, cruciauit, & tu inquit, audes cum impio illo Christiano hoste nostro colloquium miscere, familiariter agere & versari? arripuit inde paganus occasionem tortoris sui deserendi, petitóque baptismo Deum suum eiurauit, & illius conditorem omniúmque auctorem professus dæmonémque execratus hominem veterem exuit, Christum induit, inferósque cælo commutauit.

Fibicone vico, mulieri, quod à Christo defecisset, à dæmone arreptæ & atrocissimè cruciatæ exorcismis & R. P. Ignatij imagine, quam hostis velut telum igneum exhorruit, pulso infami hospite à Patre Societatis succursum est.

In Fingensi regno vir vxorem à Christo auerterat, ex quo tanta pœnitudine affecta est, vt præ dolore & angore animi notabili modo inciperet emarcescere atque contabescere. Cui misericordiæ parens B. Virgo significauit, vt apud Patrem è Soc. nostra si in aliquem alicubi incideret, animi sui curas deponeret. Aperuit hoc fœmina matri, quæ filiam ad Patrem misit, erant enim id temporis ibi aliquot è Societate, ad cuius prouoluta pedes scelúsque confessa curatáque ad maritum rediit, sanctè iurata & testata nunquam se deinceps à Christo recessuram. Alij duo fidei desertores cum ad se redijssent & facinoris magnitudinem perpendissent, sibi ipsi certas corporis afflictiones vel preces præscripsere, quoad sacerdoti nostro, si quem offenderent, satisfacerent. Alter enim coronas tres quotidie se coram B. V. lecturū spopondit & toto triennio nunquam inter misit. Alter fune lumbos constrinxit donec peccatis exsolueretur. Fœmina maritum precibus ab triduana, seipsam aquâ sacris reliquijs tincta morbo liberauit.

In Chicungano regno nullus Patribus vbi hærerent, relictus locus, per viatorum speciem subinde Christiani lustrati. Quos inter omnino tres ad lauream martyrij Yanagabæ sede regia adspirarunt; Sacai Torobioye Paulus, Moniubo Petrus, Xorzono Paulus, sexto & xx. Nouembris CIƆ IƆC XVII. interfecti.

Sacai Paullus aliorum institutor quos potuit Christianis sacris imbuit, è quibus eminebant Moniubo & Xorzono, quos modo nominaui eius sectæ, quæ militiam cum religione coniungit. Hi dæmonum cultores se pro militibus & Bonzijs gerebant. Capti & Bonziorum archisynagogo ad supplicium traditi sunt, quos ille è vinculis & vrbe cum magno præsidio, tumultu & tubarum strepitu eductos & intra labra cadorum constrictos lapidum imbre obruit sexto Cal. Decembris CIƆ IƆC XVII. Paulus paganis maioribus natus sub ætatis annum xx. Christum professus, vxorem Claram repudiauit, paganámque duxit, quam ad sua quoque sacra traxit, Maxentiámque dixit, quæ de officio admonita ab illo rursum diuertit, & piè sanctéque opera etiam ipsius Pauli decessit, tum & ipse se collegit cœpitq; mores & vitam emendare, quamquam à benefactis etiam cum malus esset, non destitit, nam & in

sua

ſua toparchia ædem ſacram poſuit, Chriſtianos in eam coëgit, (quibus Pater quem ſecum habebat, ſacra miniſtrauit) benignè omnibus fecit, ſuccurrit omnibus. Matrem prouecta ætate fæminam & plurimis annis ſuperſtitionibus mordicus affixam tandem Chriſto genuit. Mulierem anum quæ quadrageſimum ſupra centeſimum, vt ferebatur, agebat, adeóque obtuſis erat auribus, vt vix vllum ſonum quantumuis vocalem admitteret; hanc iam Orco imminentem hac arte ad Chriſtianas leges erudiuit. Arundinem auribus illius quam potuit proximè admouit, & per illam Chriſtum edocuit, quem ipſa & agnoſcere, quamuis vltima ætatis hora, & colere cœpit, ipſiúſque baptiſmi charactere inſigniri. Miſeros & omni ope deſtitutos tecto recepit, fouit, aluit. Patribus in re Chriſtiana promouenda maximo ſubſidio fuit. Delatus demum de Chriſtiana religione & comprehenſus, arctiſſima cuſtodia per ſeſqui annum fame, ſiti, frigore, omnibúſque ærumnis confectus literas interim plurimas pietatis & religionis plenas ad familiares compoſuit, in quibus ad D. Pauli exemplum ſub extremam clauſulam ſemper adiecit, Paulus vinctus in Chriſto. Caput III. Nonas Martij ↀ Iↀ XIIX. interfecti in maxima hominum corona Chriſtianus magna cum veneratione ſublatum deoſculatus eſt, ſed ab lictoribus extortum & exoculatum eſt, quod Iaponij perſuaſum habeant oculos & cor martyrum venerationis cauſa Romam tranſmitti, reliquum corpus ab miniſtris iudicum mucronis experiundi in mille partes conciſum.

Regnum Bungenſe in plures diuiſum toparchas & præſides, quos Tonos appellant, qui nationem Chriſtianam crudeliter exagitarunt, vt placerent regi quas feciſſent tragœdias.

Fingi, firmo caſtro, iuuenis erat annos natus vnum & viginti Aſotaroſacu Petrus, Nangaſaquij à Patribus à puero inſtitutus, hic pulſis noſtris, in nobilis pagani familiam adſcitus & omnibus artibus ab hero ad dæmonum cultum fruſtra ſemper ſolicitatus, capite reuulſo obtruncatus eſt.

Yetchudono Bugenſis toparcha olim Chriſtiani nominis & Societatis IESV fautor ſingularis, iam domino Tenzæ ſeruit, tantus Chriſtianorum hoſtis, quantus antea amicus, gentem noſtram

 acer-

acerrimè per omnem suam prouinciam persequitur. Ita factum vt multi pro Christo ijs in locis fortiter facerent, & occumberent; quos inter Cangayama Faito Iacobus, equestri loco natus & tribunus militaris, cui non minus octingenti parebant. Huius opera quamuis magnopere Dominus vteretur, cum tamen in eo à Christo auertendo frustra laborasset; officio, stipendio, & tecto exuit, & perdiu singulari domicilio inclusum, & ab nostrate subinde illac transmittente confirmatum, tandem resecta ceruice anno CIↃ IↃC XIX. mense Octobri interemit, cum sub initium anni CIↃ IↃC XIIX. esset in custodiam coniectus Octingentis illis signa ipsius secutis proscriptis & in exilium eiectis.

Idem tyrannus quinto & vigesimo Febr. CIↃ IↃC XIIX. in principe ciuitate sua Cocura sex Christianos gladio obtruncauit, quorum hæc nomina recensentur. Nacamura Guenxiqui Iustus, Cangayamæ affinis, cum filio Nacamura Gidayu Leone sedecenni adolescente, Onogorozayemon Simon cum filio suo vndecenni Paulo, Cuxifariyenyaman Thomas & Cuba Matayayamon Ioannes. Octauo & XX. eiusdem mensis, septem rursus è nomine Christiano capita ademit, Kisai inquam Leoni, & Marthæ coniugi, Ximada Ioanni cum vxore Anna & bimulo filiolo, quem è complexu mater noluit dimittere, quod diceret secum eũ ad amœnissima locorum & Elisios campos deducere velle. Huic Annæ fertur B. Virgo se videndam præbuisse, quæ illam ad mortem constanter perferendam hortata sit, adieceritque tempestatem illam persecutionum breui finiendam optatámque pacem secuturam, quod ipsa marito suo denunciauit. Secutus hos est Fucata Suquezayamon Petrus, quem vxor & propinqui valde ad defectionem solicitarunt. Septimus fuit huius filiolus Marcus puer sexennis.

Eodem anno CIↃ IↃC XIIX. VIII. Cal. sextiles idem tyrannus rursus duodecim heroibus capita decussit. Ytonaga Leoni qui ingentes in carcere solicitationum vexationes pertulit; Miyabara Ioanni, qui & ipse mille aduersariorum technas & insidias elusit tam lætus & alacer in vinculis, vti stolidi pagani illum insanire dicerent, cùm vel ipsi maximè furerent & insanirent; Toyamaa Paulo, Ximaya Suquesso Leoni, Xeizayamon Didaco, Cusioye

Lucæ,

Lucæ, Cagiyochim Gofioye Ioanni, Ximaya Ychizuqui Paulo, Ximaya Ioannis germano, Leonis Suquezo filijs. Hi duo in diuturna custodia, omnibus machinis ab hostibus fidei nequicquam oppugnati VII. Idus sextiles auulsis ceruicibus triumpharunt. Paulus natu maior Ioanni assiduè salutis nomina Iesum & Mariam suggessit. Postremus fuit Cori Fari Romanus, Cori Fari Thomæ martyris filius & prætoris Yetchudono filij famulus, V. Cal. Martias in heri domo cæsus. Yetchudono alios duodecim in vrbe Nacathu è medio sustulit. Primi duo Cori Fari Michael, Cori Fari Romani frater, Thomæ filius, Cuba Fixacuzuchi Thomas Cubæ Matazayamon filius, qui sexto & XX. Febr. sunt trucidati, biduo pòst eandem palmam recisis capitibus retulerunt Cuzayaman Benedictus, Guiugij Didacus; & Miyanari Thomas. III. Nonas Martias. Tyrannus idem septem Christianos pedibus in cælum versis ad exemplum D. Petri in crucem egit, Ichizayamon Vincentium, Naiyamon Simonem Mixanaga Ioannem, (qui vices patris absentis in instituendis catechumenis, tironibus, neophytis, tingendisque infantibus expleuit) Miyanaga Paulum natu minorem, Kixaman Benedictum, Gentaro Paulum hospitem Patrum, qui vltro se ad mortem obtulit loco cognati infantis, quod diceret illum fari nondum posse, nec ad obiecta capita respondere: idem filios suos geminos peroptabat secum ad palmam trahere, quo nomine etiam absentes quæsiuit, sed vt patrem sequerentur illis permissum non est: agmen clausit Saymosara Yosai Stephanus. Plures eodem tempore ex nobilitate & officijs prætoris morte pro Christo præclara defuncti sunt.

In prouincijs Nangato & Suo de Societate Pater Christianos reuisendo ad constantiam excitauit, quod fuit pernecessarium. nam paullò pòst prouinciæ prætor capitis pæna sanxit, vt omnes deserta Christiana religione ad sua idola & paganas superstitiones redirent: nec segniùs quàm edixerat, sententiam executus est. nam Fangui metropoli prouinciæ statim quatuor nobilissimos agonistas viuos cremauit, Quimura Paulum, Fluandaya Thomam, cum vxore

(neque

(neque enim fœminæ viris in hoc stadio vel segniores vel deteriores, sæpe etiam fortiores sunt) Clara, Guempo Vincentium, qui multis annis ecclesiæ Fanguiensi deseruijt, & Patribus in propugnanda religione maximo subsidio fuit. His cum ad rogum ducerentur prælata tabula, quæ caussam necis spectatoribus hoc elogio ostendebat.

NANGATVS TONVS

HOS FLAMMIS ADDIXIT
QVOD CHRISTVM COLANT
ADESTE, SPECTATE.

Cineres in mare sparsi. Dum hi quatuor cæli candidati ad supplicium ducuntur, occurrit illis Maquimura Cuzayamon Sanchus nobili genere natus, qui multis annis in Nangati Toni officijs fuit, cúmque Paulum salutasset, accipit ab illo coronam B. V. quàm illi Paulus libenter, tanquam pignus amoris exhibuit. Sed hoc palàm Sanchus sciens prudens fecit, vt suspicionem de se inconstantiæ vulgò conceptam dilueret, fluctuarat enim nonnihil antè, & conscientia postea vrgente hoc illius sanandæ remedium inuenit. Delatus illico ad prætorem capitis damnatus, prius apud Patrem quem domi suæ habuit, peccata per confessionem expiauit, tum cultu corporis quem habebat splendidissimum indutus, tanquam ad solennia nuptiarum procederet, ad Christi de cruce pendentis effigiem in genua demissus Idib. Aprilis CIↃ IↃC XIIX. ferrum accepit.

Postridie ex cineribus Pauli nouus extitit phænix: nam Gubara Cacuyaman Didacus ad eundem palum ad quem pridie Paulus & Vincentius religati & exusti fuerant, adstrictus flammísque, sed paullò remotioribus, vt torreretur potius quàm exureretur, circumfusus fortissimè supplicium exantlauit, & sempiternum in cælo sibi triumphum, apúdque mortales gloriam peperit. Hic postridie quàm illi quatuor, quos iam dixi, essent cremati per medias

dias custodias ad martyres penetrauit, in genua procubuit, palámque se illis velut iam Diuis commendauit, Pauli faciem cum magna veneratione absterſit, hócque ad exuendam horum opinionem, qui illum ab religione defecisse sparserant, fecit. Illico ergo comprehensus, vinctus & exustus est, cineresque in altum dispersi. In Firoximana & Aquiana toparchijs, sicut & Bigensi, Farimana & Ana præfecturis neophytos Pater de Societate adijt.

In Farimana Bonzius, multorum auditorum doctor Christum Deum agnouit, & vsque ad extremum spiritum (quamuis ipsius sectatoribus omnibus modis, illum ad damnatas superstitiones suas retrahere conantibus) constantissimè professus coluit, & non sine magna spiritus consolatione defunctus est, identidem Dei clementiam laudans, qui se ante mortem cælestis veritatis lumine illustrarit.

Prouinciam Cami quatuor Patres non sine ingenti & præsenti mortis periculo obierunt dignúmque laborum & periculorum fructum retulerunt. Miacum P. Ioannes de S. Maria ex D. Francisci disciplina sanguine suo purpurauit & ornauit, qui XIX. Cal. Septembres CIↃ IↃC XIIX. gladio ceruicem præbuit. Ad cuius cædem vis ingens Christianorum accurrit, qui à corpore occisi (quod propè complexi sunt) nullis verberibus potuerunt auelli; proinde duo rectà in neruum ducti, quibus alij adiuncti sunt. Saçái nobili ciuitate inter Bonzios egregiè doctus simúlque Varelæ præses per vxorem suam (quam paganam duxerat, sed postea Christiana disciplina eruditam & cælesti fide lustratam) ad Christiana sacra deductus est quod illius conuitia, irrisiones, & aduersus idololatriam disputationes perægrè ferret; sed cum aduersus stimulum conscientiæ diutius calcitrare non posset, cum identidem illi coniux obiectaret, quod post tot annorum labores, tantámque operam studijs impensam, nondum veram salutis viam reperisset, quam ipsa per Christianam doctrinam, quam apprehendisset, tam citò didicisset.

Alterum cum se Christianis sociasset, pater bonis omnibus exuit, quod ipse non solùm patienter, vti germanum Christi sectatorem decebat, tulit, sed paratum etiam si vsus esset, vitam pro

Christo ponere. Huic charitas Christianorum omnia, quæ ad vitæ vsum pertinebant, liberaliter subministrauit.

Regnum Oxu, prouinciam Masamune & circumiecta loca duo Patres prope sine periculo peragrarunt; in quibus adultos octingentos Christo genuerunt. Populus est admodum pius & religiosus, pueri decennes, & capulares senes octoginta annorum stata ecclesiæ ieiunia sanctissimè obseruant. In his regionibus duo quoque Bonzij synagogæ suæ principes eiuratis dijs suis, vnum Deum Christianorum colere cæperunt.

Pictor idola effigiare solitus, inuita sua thalami consorte ad nostra sacra transijt, quæ mox ipsa quoque cælesti viso edocta admisit, cùm illi fœmina humana specie augustior per quietem oblata pronunciauit hæc verba, Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus Amen. Virum è catechesi nostra postridie domum redeuntem rogauit an hæc apud Christianos in vsu essent? ex cuius affirmatione & reliqua institutione, sententiâ mutata, sacro fonte tincta est.

Christianus alius pagani ædes nocturnis lemurum & spectrorum terroribus infestas delata Christi in cruce pendentis imagine repurgauit. Vicus excitato fortè incendio & vento latè propagato arserat; in quo restinguendo cum incolæ frustra dominante flamma laborassent, duo Christiani in suorum tectorum fastigia euaserunt, illicóque magnis clamoribus ope potentissimæ mundi patronæ Virginis Dei genitricis implorata, domicilia sua sola salua & intacta vento repente auerso seruarunt; reliquo toto vico in cineres relapso.

Ex Patribus alter ad extrema Iaponum Deua & Sutgaru progressus Christianos ob fidem ibi exulantes cum magno illorum fructu & gaudio reuisit. Idem Pater in regnū Yezo quod Iaponiæ ad septentrionem est, septemque inde milliaribus abest, nauigauit, quo nemo Patrum vnquam antea aspirarat, nec procul inde alia est prouincia Iaponum regi, sed liberiore lege nec tam seruiliter subiecta, cuius vrbs Mathumai negotiatoribus frequentissima inter quos nonnullos Pater Christianos offendit, ex quibus didicit peninsulam esse, alteráque ex parte ad Scythas vsque seu Tartaros,

ros, vt est opinio, pertinere; institutum ibi versari decemmillia, populum solem & lunam adorare, colore candido, bellicosum, ingenio minime obtuso, carere idolis, Bonzijs, sacris, nec in varias diuisum sectas, vt spes magna sit, vtilem apud hanc gentem Christianæ legis sementem fieri posse. Atque hæc de septimo & octauo decimo anno. Sequitur nonus decimus, cum vigesimo.

EX LITERIS PATRIS MATTHÆI DEL COBO Prouincialis Nangasaquij 19. Octobris. Anno 1619. ad P. Valerium de Ledesma Prouincialem scriptis.

POliticus Iaponiæ status opima nunc pace fruitur, sed Christiana religio iam aliquandiu vehementer exagitata est, & Miaci immaniter adhuc affligitur, vt omnino mihi nascentis primùm Ecclesiæ faciem & exordia, quà crudelitatis Imperatorum, quà constantiæ Christianorum Iaponum virtus referre videatur. Miaci sexaginta in vinculis sunt, è quibus quinque aut sex cum summa animi æquitate Deo penitus deuoti & coniuncti in ipsa custodia varijs ærumnis extincti sunt. Nangasaquij non vno in carcere octo & viginti è religiosis viris custodiuntur. Omuræ è S. Dominici quatuor, duo Societatis, vnus è S. Francisci familia cum decem indigenis Christianis detinentur. è quibus tres vltimo supplicio affecti sunt, Linus, Petrus, & Thomas. Linus, quod, cùm esset carceris præfectus & mente clàm Christum coleret, plus captiuis sanctis cibi admitteret, quàm lex ferret. Petrus quod eisdem obsonia submitteret, Thomas quod illa deferret. Quibus impunitas oblata est, si à Christo ad idola redirent. Sed incliti heroës oppetere maluerunt, quàm datam Christo fidem fallere.

Idem pater Matthæus x. Nouembris ciↄ iↄ c x i x in hæc verba scribit: Pridie Nonas Octobris vrbs Miacum ex Iaponicis potentissima, nobilissimũ cælo munus, quale nunquã antea viderat, transmisit. Quinquaginta Christo initiatos, quod Dominũ Deũmque nostrũ adorarent, lentis ignibus coctos, victimas cęlo conse-

crauit. Ante hac renunciatum est non paucos Miaci è Christianis, quod nollent genua curuare ante Baal in neruum datos, è quibus nouem è vinculis carceris & corporis expediti in cælum euolarunt, quod ærumnis & vexationibus carceris sustinendis voluntate quidem, sed non æquè viribus pares essent, cùm interim se beatos prædicarent, qui morte spe melioris vitæ defungebantur.

Cùm Iaponum Imperator Duirium, quæ totius Iaponis caput & sedes regia est, esset ingressus, nunciatum est illi de Christianis qui passim in custodijs vrbis seruabantur. Is Christi & omnis Christiani nominis capitalis hostis omnes lentis ignibus torreri & cremari iussit. Itaque in foro publico ad fanum idoli Daibu, ingentem molem singulari artificio spectabilem, propter labentem aquam sex & viginti palos humi defixit. Pridie Nonas Octobris è vinculis sacratum agmen eductum, in quo tenerrimæ virgunculæ, infantes ab vberibus matrum pendentes spectabantur; quorum nulla vel ratio vel miseratio habebatur, tanta tyranni erat sæuitia & immanitas. Incessere per principes vrbis regiones & vias, prælato elogio quod Christum colerent, & eo nomine flammis sensim vstulandi & exurendi essent. Omnes tanquam cæli candidati candida veste exornati procedebant, animo tam alacri, tam læta exporrectáque fronte & gestu, vt vis diuina quæ animos omnium occuparat, in oculos vultum, & totum corpus redundaret. Nec qui fortissimos heroas dictis firmaret opus erat, ipsi se mutuò ad constantiam fortitudinem & patientiam hortabantur, & notis, si qui se in vijs obtulisset vltimùm gratulabundi salutabant, publicè simul aperteque testati, se non nisi quod Christiano nomine gloriarentur ad supplicium proficisci. Vbi ad locum supplicij ventum est, magis magisque se martyres animo efferri senserunt, tanto promtiores ad necem perferendam, quo propius à meta & cælo se abesse videbant. Ad singulos palos bini sunt religati, & matres cum ipsis infantibus quos in vlnis gestabant. Adfuere inter alios Christianos & spectatores etiam nonnulli quos Doxicos appellant, qui nostris in promulgando Euangelio bonam operam præstabant; hi vt morituros solarentur, accesserant, quos tamen ipsi qui cum flammis & morte luctabantur ob insignem animi fortitudi-

titudinem & alacritatem, potius solabantur & firmabant. Magna pars vultu & capite in cælum erecto, quo toto animo tendebant extincti sunt, eoque habitu corporis post mortem reperti. Demum omnes constantissimè extremũ supplicium sustinuerunt, rectá que cælum animis adierunt. Corpora aliquot diebus à custodibus assiduis excubationibus seruata, è quibus tamen aliquid lipsanorum per religiosos viros qui haud pauci id temporis Miaci fuere, surreptum est.

P. Matthæus Cobus de Societate Iesu prouinciæ præfectus vt supra monui; ingens Christianæ gentis apud Iaponas columna est, cui Pont. Max. per literas demandauit, vt Episcopi vices, vbi is desideraretur ageret, quam potestatem reliquis etiam prouinciarum ijs in locis præsidibus fecit. Nam quamuis recens creatus episcopus Didacus Valens de Societate nostra ad Iaponas appulisset, coactus est tamen Mazani cum P. Matos procuratore hærere, ne aduentu suo promulgato grauius in Christianos incendium exardesceret. Reliqui Sociorum per omnem Indiam interim sparsi, expectant dum tempestas Iaponica sedetur, quod nullus ad eos aditus iam pateat.

Carolus Spinola Societatis Iesu presbyter de quo supra memini, adhuc est in custodia & quotidie lauream cælestem ex martyrio expectat. Scripsit is ad Sociorum præsidem in Insulis Philippinis in hanc sententiam.

Dei nutu factum est, vt ego & Ambrosius Fernandesius mihi adiunctus comes & laborum socius cum Dominico Georgio Lusitano apud quem diuersati sumus, illa nocte quæ S. Luciæ diem festum insecuta est caperemur. Apparitores qui nos vinxerunt, ostenderant, se nos per mare in Manilam deportaturos, quod me non nulla affecit tristitia, cum Iaponas, apud quos mihi vitam ponere multis iam annis in votis erat deserendos putarem. Sed altera ex parte rursum consolabatur voluntas diuinæ prouidentiæ, quam in me perfici sentiebam. Sed longè diuerso itinere ducti sumus, Nangasaquio enim huc Omuram cum duobus S. Dominici Sodalibus & tribus Iaponibus indigenis famulis nostris in carceres tracti sumus, vbi iam PP. Thomam Dominicanum & Apol-

linarem Franciscanum cum sex indigenis in vinculis reperimus. Nangasaquij restrictis manibus & restibus collo iniectis per aliquot vrbis vias tamquã infames circumducti ac tandem in naues impositi sumus. Ad quod spectaculum tota ciuitas concurrit & abeuntes multis lachrimis & lamentis tanquam publico funere efferremur, prosecuta est.

In carcere hic omnes perinde ac si vnius essemus familiæ & ordinis summa concordia viuimus. Et quamuis neque graues vexationes, neque multæ cruces desint, quod loco perincommodo degamus, & custodes submissa ab alijs vitæ subsidia persæpe non admittant, nec plus porrigant quàm ad sustinendam duntaxat vitam, ne ante mortem moriamur, necesse est, Nihilomninus tamen subinde diuina puouidentia & benignitas ita nobis per aliorum pietatem succurrit, vt etiam lautiùs quàm optare possimus, viuamus. Sed præ cæteris nobis & vincula & reliquas omnes acerbitates mitigat lenítque conscientia nostra, dum recogitamus nobiscum quod religionis & Christi caussa hæc sustineamus & finem optatissimum speremus. Et quamuis non immeritò mihi vel propter innumeras noxas meas vel quòd segniùs in excolenda Domini vinea versatus sim, vel denique quod tantis tam liberalibus & effusis in me Dei beneficijs ingratus non responderim, magnopere timendum sit, ne velut inutile nulliusque vsus mancipium à Domino reijciar, miris tamẽ modis solatur me, quod dum ipsius Dei caussam ago & hominum salutem procurare studeo, vinctus sim & in carcere degam, quod ego inter summa Dei beneficia numero. Proinde cum in tantis coronis & præmijs impertiendis diuina Maiestas non semper ad hominum promerita attendat, spem ingentem concipio fore, vt me quoque, quamuis postremissimum & vltimum seruorum, sicut alios pios sanctósque religiosos Deo gratiores meque longè digniores, respiciat. Per infinitam ergo dulcissimámq; Dei misericordiam R.am V. etiam atq; etiã rogo percórque vti mecũ debitas Deo gratias persoluat, quod dignus habitus sim pro nomine Iesu contumeliam pati & salutari hostia pro

me

me litet, vt in hoc martyrij tirocinio proficiam & dignam Christiano nomine professionem edam. Omuræ in vinculis V. Martij ∞. I Ↄ C XIX.

R. V. Seruus

Carolus vinctus in Christo.

Atque hæc Carolus Spinola, qui longè maiori sibi honori vincula duxit, quàm torquati proceres solent monilia sua, quibus ceruices onerant & in pectus demittunt.

Dominicus Georgius adulto anno 1619. Quod Christi præcones tecto recepisset, per flammas Deo holocaustum oblatus est, cum quo idem supplicium cum alijs quatuor subijt Nansaquij Leonardus domesticus è Societate nostra adiutor indigena, qui tertium annum in custodia omnia vltima pertulit, & patientiam nobili coronide conclusit, secundum quos alij XI. Iaponij securi percussi.

Anno demum CIↃIↃCXX, mense Ianuario Ambrosius Fernandesius socius & comes P. Caroli Spinolæ in vinculis fame, frigore, aliisque sexcentis ærumnis exhaustus & confectus obijt, & hac quoque via ad martyrij coronam haud dubiè peruenit. Deus Opt. Max. his Iaponum noualibus, sedatis tempestatibus, pro infinita sua clementia pacem largiatur.

Cata-

Catalogus
MARTYRVM IAPONENSIVM,

qui ab anno duodecimo supra millesimum sexcentesimum vsque ad XX. pro Christo passi sunt.

LEo Cayemón O Zacæ capite plexus anno millesimo sexcentesimo duodecimo septima die Augusti.

Leo Quita capite similiter plexus Arimæ millesimo sexcentesimo duodecimo 22. die Augusti.

Bonauentura truncatur capite Mini millesimo sexcentesimo duodecimo.

Michael Sódai & Matthias Yoichi in Arié, idem capitis supplicium perpessi sunt, vigesimo sexto Iulij millesimi sexcentesimi duodecimi.

Arimæ vigesimo octauo Ianuarij, millesimi sexcentesimi decimi tertij. Thomas Feibioye eius frater Matthias Xocurô, cum Martha matre, Iusto & Iacobo Thomæ filijs plectuntur capite.

In Yendo decimo sexto Augusti eiusdem anni millesimi sexcentesimi decimi tertij, plectuntur capite Michael Saſánda, Ioannes Monién, Ludouicus Canda, Vincentius Tenáye, Ioachimus Fachiquán, Antonius Dáicu, Leo, Thomas Quiubióye. Apollinaris vero in carcere obijt.

Ibidem Marcus Quenzaimón, Simon Ficozaimón, Thomas Quiyemón, Ioachimus Quenzaimón, Antonius Fauzanburó, Iacobus Faizó, Leo Sacunái, Ioannes Toxirô, Marcus Cacosuqué, Ioachimus Quensuque, Michael Yasó, Matthias Xingoró, Damianus Mosuqué, Didacus Xaxiró omnes oblatis pro Christo ceruicibus coronantur decimo septimo Augusti anno millesimo sexcentesimo tertiodecimo.

Ioannes Mibócu, Gregorius Doxinxa, Paulus Mangobióye, Gregorius Gosióye, septimo Septembris anni millesimi sexcentesimi decimi tertij ibid. abscissis ceruicibus triumpharunt.

Arimæ Leo Suqueyemón, Martha eius vxor, Magdalena filia, & Iacobus frater, Adrianus Móndo & Ioanna eius vxor, Leo Canyemon

yemón & eius filius Paulus viui flammis exuruntur septimo Octob. millesimi sexcentesimi tertijdecimi.

In Oriqui Arimensi Pago Thomas Ecclesiæ custos capite plexus est, anno millesimo sexcentesimo decimo tertio vigesimo nono Octobris.

Ioachimus Xindén & Thomas triduo in equuleo suspensi tandem capitis abscissione martyrium consummarunt Facatæ anno tertiodecimo supra millesimum sexcentesimum decima quinta die Martij.

Matthias Xichirobocóye, plectitur capite Aquizúquij 15. die Martij anno millesimo sexcentesimo decimo quarto.

Benedictus intra saccum stramineũ præfocatus Búngi martyrij cursum conficit sexto Aprilis euisdem anni.

Ludouicus Miue ceruicibus amputatis Fucasóri coronatur vigesimo nono Maij anno decimo quarto

Adamus glorioso martyrij certamine post varios conflictus, cæsa ad extremum pro Christo ceruice triumphat Xiquij die quinta Iunij millesimo sexcentesimo decimo quarto.

Michael Xobióye & Linus Tarosaimón viui comburuntur decimo tertio Iunij millesimo sexcentesimo decimo quarto, Maxentia verò Michaelis vxor abscisso prius capite igni traditur.

Arimæ variè excruciati tandem datis ceruicibus agonem complent, eodem anno decimo quarto primo & vigesimo Nouembris Michael Nixi, Ludouicus Mazuxima, Thomas Dómi, Adrianus Ockomúra, Ioannes Nacamúra, Dominicus Adáchi, Michael Acafoxi, Andreas Iinxiró, Dominicus Yaxángui, Dominicus Mazudáque, Adrianus Súnga, Martinus Tacayá, Petrus Gotó, Ludouicus Gotó Michael Guiyemon. Adrianus Quido Ariyé & Thomas Cacunáy in Sucáua Arimensi pago vigesimo ac secundo Nouembris millesimi sexcentesimi decimi quarti martyrio coronantur.

In portu Cuchiuótru variè exagitati partim sola tormentorum acerbitate, partim capitis abscissione agonem consumarunt, vigesimo secundo Nouembris sexcentesimi decimi quarti. Petrus Faximóto, Paulus Rioyéi Thomas Chaúri, Ludouicus Fisazúmi

Dominicus Xagámi, Matthæus Aráqui, Thomas Nangauó, Dominicus Nangauó, Petrus Ikiunda, Michael Ikiunda Michael Cazay, Matthias Neúda, Matthæus Fucúxima, Petrus Coráy, Soter Cundó, Michael Cobayáxi, Ioannes Naraiá, Thomas Çaye.

Georgius Acasóxi Thomas Teramáchi, Petrus Cauáxima, Thomas Firáy vigesimo tertio Nouembris sexcentesimi quarti decimi varijs cruciatibus martyres effecti.

Fr. Nicolaus Ordinis S. Augustini natione Iapon viuus in ignem coniectus martyrium in Moscouia est assecutus, anno decimo quarto supra millesimum sexcentesimum.

Ioannes Fayemón, Saluator Fachiró Obámæ tormentorum atrocitate gloriosè defuncti vltimo Nouembris sexcentesimi decimi quarti.

Ioannes Fiozaimón eiúsque socius cuius nomen ignoramus Fuximi, Paulus Yasudayu Fingi amputatis ceruicibus pro Christo decertarunt, vigesimo quinto Ianuarij sexcentesimo quarto decimo.

Paulus Tarosúque in regno Figen gladio occubuit 25. Octobris anno 1616.

P. Ioannes Baptista Machado Societis Iesu & P. F. Petrus ab Ascensione ordinis S. Francisci, iussu Omuræ Dynastă obtruncati 22. Maij. Anno 1617.

P. F. Apollinaris religiosorũ S. Francisci qui in Iaponia degunt Commissarius, & P. F. Thomas à S. Spiritu è S. Dominici Familia eiusdem Dynastæ iussu gladij peremti. Circa idem tempus. Paulus Yasudayu in regno Fingo 29. Ianuarij anno 1615. In partes pro fide Christi fissus & diuisus.

Martinus Suquimoto in regno Chicungo fidem morte testatur amputatis ceruicibus. 19. Nouembris 1616.

Romanus in regno Bugensi pro Christo obtruncatus 21. Martij. 1616.

Dominicus Catzo Firoximæ in Crucem actus. 1616.

Ioannes Fiozayemon Fuximi pio fide gladio mortem oppetijt. 26. December.

Ioañes Daiu, Petrus Sususúque seu Cacusúq; tormentorũ cruciatibus

tibus immoriuntur Surungæ, ille 1. hic 2. Nouembres 1614.
Leprosi sex in Yegiri vico pro fide ibidem in regno Surungæ obtruncantur 1616.
Simon Neophytus in Yendo martyrio afficitur.
Quintaro Ludouicus 26 Iulij 1617.
Iamaguchi Consuquius 4. Neuemb. Omuræ. } Pater & Filius
Xorius Thomas 4. Nouembris 1617. }
Thomonaga Girobioye Linus 4. Nouembris 1617. Omuræ.
Yeyri Miyemon Ioannes 25. Decembris 1617. Omuræ.
P. Franciscus Moralius. } Dominicani.
P. Alphonsus Mena. }
P. Carolus Spinola adhuc in carcere è Soc. Iesu.
Ambrosius Fernandesius } è Societe Iesu mense Ian. 1620. Omuræ.
Dominicus Hergius Lusitanus.
Morayanus Tochuan Andreas Ioannis Antonij prætoris Nangasaquiensis defuncti filius. } Omuræ
Cotheda Thomas vir clarissimis natalibus ortus.
Sacai Torobioye Paulus } In Chicumgano regno, sede Ianagabæ 26. Nouemb. 1617. lapidibus obruti.
Moniubo Petrus }
Xorzono Paulus }
Asotarosacu Petrus in Fingi castro capite plexus.
Congayama Faito Iacobus eques nobilis & tribunus militaris in Bugensi regno obtruncatus 1619. mese Octobri.
Nacamura Guenxiqui Iustus Cangayamæ affinis cum filio Nacamuro Gidayn Leone sedecenni adolescente Cocuræ, 1618. 26 Febr.
Onogorozayenon Simon cum Paulo filio undecenni eodem loco, die & anno.
Cocuræ 1618 25 Febr.
Cuxifariyenyaman Thomas & Cuba Matamayamon Ioannes. ibidem eodem die & anno.
Kisai Leo, Martha Leonis coniunx, Ximada Ioannes cum Anna vxore & bimulo filio. 28. Febr. 1618. capite puniti.
Fucata Suquezayamon Petrus cum filio Marco sexenni puero ibidem 25. Iulij 1618.

Ytonaga Leo, Migabara Ioanes, Toyaman Paulus, Ximaya Suquesso Leo, Xeizayamon Didacus, Cusioye Lucas, Cagiyochim Gosioye Ioannes.

Ximaya Yxizuqui Paulus Ioannis Ximayæ frater, Leonis Suquezo filij, 7. Augusti 1618.

Cori Fari Romanus, Cori Fari Thomæ Martyris filius 23 Febr. 1618.

Eod. año 26. Febr. vrbe Nacathu ab Yetchudono tyraño interfecti.

Cori Fari Michaël, Romani frater, Thomæ filius.

Cuba Fixacuzuchi Thomas Cubæ Matazayamon filius.

Ibid. 28 Febr. 1618.

Cuzayaman Benedictus, Guingij Didacus gladio cæsi.

Ibid. 4. Martij Miyanari Thomas ferro obtruncatus.

Eod. tempore in crucem acti ad exemplum D. Petri Apostoli Ichizayamon Vincentius, Naiyamo Simon, Mixanga Ioannes, Miyanaga Paulus, Kixıman Benedictus, Gentaro Paulus, Sagmosara Yósai Stephanus.

In Prouincijs Nangato & Suo quatuor flammis exusti.

Quimura Paulus, Fluandaya Thomas cum vxore Clara, Guempo Vicentius, quorum cineres in mare sparsi. 1618. 13. April. Maquimura Cuzayamon Sanchus eques nobilis gladio occubuit 13. Aprilis 1618.

Gnubara Cacyaman Didacus flammis tostus & exustus 14. Aprilis 1618.

Maci P. Ioannes de S. Maria affectus est Martyrio 14 Augusti, 1618. Erat è S. Francisci contubernio,

Linus, Petrus, Thomas, Omuræ interfecti anno 1619.

Quinquaginta martyres Miacenses lentis ignibus tosti 1619. x. Nouembris.

Alij nouem è carcere ærumnis confecti in cælum liberi euolarunt.

Duirij, quæ metropolis est Iaponiæ 6. Octobris sex & viginti lento igninm tormento absumti sunt, inter quos infantes etiam è sinu & vbere matris avulsi, & in rogum coniecti, quorum nomina nondum expressa interim in librum vitæ sunt relata.

Dominicus Georgius, cum alijs quatuor
Leonardus domesticus è Societate adiutor } Nangasaquij 1619.

De his ex Auctario descriptis plura in dies & certiora expectamus.

Cata-

Catalogus DOMORVM AC RESIDENTIArum Societatis Iesu, quibus hac persecutione sæuiente Patres coacti sunt cedere.

Hic numerus est illarum Ecclesiarum in quibus Patres sedem ac domicilium fixum habebant, prætermissis alijs innumeris locis, quos in pagis habebant & assidua solicitudine curabant. Si verò domicilia seu residentias quas in alijs persecutionibus relinquere aut mutare coacti sunt, recenseamus, quadraginta prope numerantur vltra prædicta.

Sub Rectore Miacensi.

Miaci regni Vamaxirú Residentia Rectoris.
Fuximi in eodem regno.
In Camigió eiusdem regni.
O zácæ regni Tunocúni.
Sacái eiusdem regni.
Canazéuæ regni Cánga.
Firóximæ regni Aqui.
Surúngæ regni Surunga.

Sub alio superiore Bungi.

Tacátæ Regni Bungi Residentia Maior.
Xinguæ eisdem regni.
In Nótzu eiusd. regni.

Item Sub alio Facata.

Cócuræ regni Biyen residentia maior.
In Nacátzu eiusdem regni.
In Facatá regni Chicugiu residentia maior.
Aquisúqui eiusdem regni. Et postea Amanguj.
Yanadáua in regno Chicugó.
In Curumé eiusdem regni,

Sub Rectore Arimensi.

Arimæ Collegium cum seminario.
In Ariè ditionis Arimensis.
Ximambáre eiusdem ditionis.
Canayáma eiusdem ditionis.
In Saêgo eiusdem ditionis.
Chinguiuæ in eadem ditione.
Cauzusa in eadem ditione.
In Cuchinotzu eiusdem ditionis.
Xiquij regni Fingo.
Conzuræ eiusd. regni.
Amacusæ in eod. regno.

Sub Rectore Nangasaquiensi.

Nangasaquij, vrbs est regni Figen, Collegium.
Ibidem residentia dicta á Misericordia.
In eadem vrbe Hospitale S. Iacobi vbi nostri residebant.
In ead. domus probationis dicta omnium sanctorum.
Vracáni regni Figen.
Moqui in eod. regno.
Fucafori eiusd. regni.
Ysafáy eiusd. regni.
Fundoyámæ eiusd.
In Tone eiusd. regni.

Aliorum porro Ordinum Religiosi suis etiam sedibus pulsi sunt.
S. quidem Francisci, Nangasaquio, Ozaca, Fuximi, Yêndo, Quayáma, Sacai.
Patres familiæ S. Dominici ex Fungitzu, Nangasáquio, & duabus præterea quas in pagis Regni Figen fixerant.
S. Augustini denique, Nangasaquio & Vsúquio regni Bungi & Fiunga.


FINIS.



NOs FERDINANDVS II. Dei gratiâ electus Romanorum Imperator, &c. renouamus, extendimus, & damus Raphaëli Sadeler hoc priuilegium ex Cæsareâ potestate, ne quisquam intra decennium illorum imagines antehac seu maiore seu minore formâ æri incisas & excusas, seu libris etiam insertas, seu posthac ab ipso & filijs eius incidendas & edendas, quacunque formâ imitando, seu æri incidendo, seu ligneis typis inscribendo, seu quomodocunq; adumbrando, vel è libris eius petendo, vel vnà cum libris, quà totis, quà diuisis, vel alijs operibus permiscendo imprimat, edat, vel excudat sub interminatione indignationis nostræ Cæsareæ Majestatis & pœnâ duodecim pondo puri puti auri, partim in fiscum Cæsaris redigendi, partim ipsi Sadelero & filijs eius sine vllâ remissione soluendi, operísque totius simul amittendi.

Ferdinandus.


RAPHAEL SADELER
SVB PARVO, SED MEO




IHS